HIERONYMI KROMAYERI,
SS. Theolog. Doct. & P. P. Primarii in Academia Lipſ.

THEOLOGIÆ POSITIVO-POLEMICÆ

PARS ALTERA,

In qua

Articuli Fidei nervosè ac perſpicuè proponuntur, ſuccus ſingulorum in ſuccinctos Aphoriſmos contrahitur, deducitur, inque Uſum Didacticum & Polemicum reſolvitur;

Opus Poſthumum,

à

D. VAL. ALBERTI, SS. Theol. P. P.
Extra-Ordinario ibid.

Editum, & quà ultimos quatuor Articulos continuatum;

Adjectis in fine Indicibus neceſſariis.

)o(

FRANCOFVRTI ad MOENVM,
Sumptibus FRIDERICI KNOCHII.
Typis JOHANNIS ANDREÆ.

Anno M DC LXXXIII.

Digitized by Google

Pari Dilectisſimo

VIRIS

Admodum Reverendis, Ampliſſimis, Clariſſimisque

DOMINIS

THEOPHILO SPIZELIO, CHRISTOPHORO SEYFARTO,

Philoſophiæ Magiſtris Celebratiſſimis, & Eccleſię Orthodoxæ,

ILLI, Auguſtę Vindelicorum,

Huic, Görlicii,

Miniſtris Vigilantißimis, optimeque Meritis,

Meis ſub diſciplina KROMAYERI olim, hodieque in Militia Chriſti Commilitonibus Exoptatiſſimis,

Fautoribus, Amicis & in Chriſto Fratribus meis Chariſſimis

S.

Digitized by Google

QUod ſub auſpicium Commentarii ſui in Geneſin dixit Vir DEI Lutherus: *Hujus Libri Enarrationi immorabor & immoriar*: id B. Kromayerus Noſter de hac ſecundæ Theologiæ Poſitivo-Polemicæ parte jure meritoque ſuum facere potuiſſet. Immoratus enim tam utili, tàm etudito atque pio laboti, imò immortuus eſt; adeò ut non minus hoc ſcriptum Kromayeri, quàm illud Lutheri, ſi trito in ſermone Proverbio locus eſſet, cantionem Cygneam appellare poſſimus. Tanta utriusque eſt ſuavitas, tanta harmonia, &, cùm utrumque maturo judicio elaboratum ſit, tanta quoque perfectio, ut non minus deſiderium tantorum Autorum, quàm aculeos in animis legentium relinquere valeant; quemadmodum eos Audientibus prius efficaciſſimè impreſſerunt. Libri enim hi in eo quoque conveniunt; quòd uterque ab Authore ſuo in Cathedra Academica Studioſæ Juventutis animis calamisque inſtillatus fuerit, ita tamen, ut non magis hujus auribus, quàm aliorum oculis digniſſimi ſemper viſi ſint eſſe. Uterque lucem etiam publicam adſpicit cura fidelis diſcipuli; ille ſuperiori ſeculo per Vitum Theodorum, Eccleſiæ Norimbergenſis Myſtam præcipuum; hic per me typis jam commiſſus. Quam tamen collationem minus caute inſtituere mihi videor, cùm tantum propè inter me atque Theodorum, quantum inter muſcam & aquilam, diſcrimen eſſe haud ignorem. Enimverò hæc inter nos diverſitas fortè diſſimulari poſſet, cùm non noſtras, ſed alienas merces, ſuo ſatis pretio commendabiles, utique exponamus; niſi de meo ego aliquid, ſcorias ſcil. auro, adjicere opus habuiſſem; quo ſupplemento non indiguit conſummatiſſimum Lutheri opus. Huic enim ultimam manum impoſuit Heros noſter ipſe 17. Novembr. Anno 1545. eique per quadrantem anni circiter, Pater optimus fœtui optimo, adhuc ſuperfuit. Aliud fatum expertus hic poſthumus Kromayeri Noſtri, cùm à Parente ſuo, meliori fortuna longe digniſſimus, relictus nobis ſit mutilus. Ultimi enim quatuor Loci, ſi, quod tes eſt, abſque verborum floſculis eloqui volumus, ne tacti quidem aut delineati ſunt à B. Autore; tantum abeſt, ut conſummati expreſſique fuerint. Quis tamen anteriora ædium eorumque ſplendorem deſpicit, etiamſi quod in poſtremis ſuperſtrui poſſit, inveniat? Utinam verò hoc loco id, quod defuit, adjectum fuiſſet à manu operæ Kromayeranæ pari, eaque non indigna! Sed tantum valuit apud me autoritas Eorum, qui hoc ſcriptum in apricum exponere, jure non minus poterant quàm ſtudio Boni Publici volebant, ut meam qualemcunque ſymbolam conferre non detrectarem. Movit verò me vel maximè pietas in Præceptorem Optimum, cui à me longe plura atque majora, ſi ea mearum virium eſſent, deberi, facilè intelligebam, adeò ut tam exile grati animi ſpecimen, monitus à propinquis ejus, aut, quæ ipſorum modeſtia eſt, rogatus, non potuerim non iis publicum dare. Accedebat memoria fortunæ meæ, cujus beneficio ipſum inter omnes hujus Academiæ Profeſſores primum audivi, poſtquam ante integrum ſeculi quadrantem me in illam contuliſſem. Si dicerem, me ad illum Lipſiæ, non minus ac Auguſtinum ad Ambroſium Mediolani, properâſſe, ſuavitateque ſermonis, qua uterque abundavit, Kromayerus etiam tum, Doctor Eloquentiæ Publicus, inclaruit, delectatum fuiſſe, nihil quod à vero abemaret, in medium afferrem. Primo verò Doctori meo quo jure, quâ conſcientia ultimum hoc ἐπιθάλαμον μίσῳ denegaſſem? Nimirum ſi non alia, hac ſaltem ratione

Ultima conveniunt primis.

Patria verò cum in rebus ac doctrinis ipſis facere non potuerim, ad ordinem earundem, quo clariſſimè propoſitæ aptiſſimeque connexæ ſunt à Μεθοδικοπάτρῳ Magiſtro, quàm proxime accedere allaboravi. Hinc in ſingulis Locis, ſive illi à Kromayero ſive à me conſcripti ſint, primùm ea, quæ ad naturam docendorum pertinent, nervoſe in definitionem, ſimiliaque methodi compendia, redacta, ſed & evoluta invenis; deinde, quæ uberiorem deductionem admittebant, aut ulteriorem

curam

curam & defenſionem adverſus orthodoxiæ hoſtes efflagitabant, ſuccinctis Aphoriſmis incluſa, pòſt expoſita, & in ſuccum ac ſanguinem, ſive doctrinam ſive controverſias ſpectes, verſa ſunt, adeò ut non minus inter docendum, ſi quis hoc Duce uti velit, quàm inter legendum, intellectus pariter atque memoria habeant, quibus nitantur, fulciantur. Hae ſini in certas periodos, & mea diſtinxi, & Kromayeriana diſtribui juſſi; præfixis ubique conſuetis notis & adjectis ſubinde pauciſſimis in margine voculis. Quod opus ita formatum conſummatumque ſi Aphoriſticam Theologiam appellâſſem, forte nec à ſcopo ipſius, nec ab intentione Autoris ejus aberrâſſem; neutro tamen invito *Pars Theologiæ Poſitivo Polemica Altera* dictum fuit, cùm & idem utrobique Locorum ordo ſit atque numerus, & quæ ibi deſiderari fortè videbantur, hic novâ atque perſpicuâ methodo ſubjiciantur.

Vos autem, Duum-Viri Clariſſimi plurimumque honorandi, honore dedicationis onerare volui, debui, cùm ſub Kromayero Vos olim Commilitones ſuaviſſimos ſtrenuiſſimosque habuerim, adeoque Autoribus hujus Libri, alteri ex lege gratitudinis, alteri ex amicitiæ blanditiis, addictiſſimos eſſe ſciverim. O quam grata mihi eſt illius temporis recordatio, quo in altiſſima pace, non animis, ſed animis conjunctis, ſub tanto Duce ſtipendia fecimus! Suſcipite itaque hoc in B. Præceptorem inque Vos ipſos monumentum amoris mei publicum benivole, Noſtrumque Kromayerum, quà modeſtiam & eruditionem, quà pietatem & eloquentiam in ſuggeſtibus celebratiſſimorum Templorum orbi porrò reddite; ſicut ego eundem in Cathedris hujus Academiæ pro modulo recte annitar, gratulaturus mihi, modò dicatur de meo conatu benigne:

Sequitur Patrem non paſſibus æquis. B. V, Lipſ. 6, Octobr. An. 1678.

D. Val. Alberti.

SERIES LOCORUM,
QVI HOC IN LIBRO TRACTANTUR.

I.	De Scriptura Sacra.	pag. 2	XII.	De Pœnitentia.	318
II.	De DEO.	42	XIII.	De Juſtificatione.	344
III.	De CHRISTO.	83	XIV.	De Bonis Operibus.	386
IV.	De Creatione.	116	XV.	De Sacramentis.	404
V.	De Providentia.	140	XVI.	De Baptiſmo	428
VI.	De Prædeſtinatione & Reprobatione	161	XVII.	De Cœna Domini.	460
VII.	De Imagine DEI.	190	XVIII.	De Eccleſia.	497
IIX.	De Peccato.	211	XIX.	De Miniſterio Eccleſiaſtico.	527
IX.	De Libero Arbitrio.	243	XX.	De Magiſtratu Politico.	556
X.	De Lege.	264	XXI.	De Conjugio.	579
XI.	De Evangelio.	289	XXII.	De Noviſſimis.	589

Digitized by Google

Σὺν τῷ Θεῷ.

LOCI THEOLOGICI, CANONICI & APHORISTICI.

PRÆLOQUIUM.

VT Facultates & disciplinæ reliquæ per certam σωμαλοποίησιν in unum aliquod systema compinguntur: ita & Theologia, doctrina tradens rationem consequendi vitam post mortem beatam. Non tantùm enim ordine nihil pulchrius & concinnius est, sed etiam lumen memoriæ præfert, secundùm istud Xenophontis *in Oecon.* Οὐδὲν οὕτως ὠδὲ ἔυχρηστον, ὠδὲ καλὸν ἀνθρώπῳ ἐν βίῳ, ὡς ἡ τάξις, i.e. Nihil utilius, nihil pulchrius est, quàm ordo. Et secundùm id, quod in communi dicto circumfertur: τὸ ἐυσύνθετον ἐυσύνετον, i.e. quod in ordinem benè redactum est, memoriâ facilius retinetur. Quantumvis autem circa dispositionem locorum Theologicorum Autores varient, quidam secundùm ordinem analyticum, prout à Philosophis docetur,
p. 2. quidam secundum syntheticum, quidam secundum articulos præcipuos partes ordinent: plerique ordinem observent arbitrarium, connexionis rationes non insuper habentes: nos tamen cùm in dispositionis modo tantum momenti situm non sit, quoad partes majores, eum, qui occurrit in compendiis & locis Theologicis famosioribus, observabimus, in minoribus, præmissâ cujuslibet loci definitione, canones & aphorismos plus in recessu, quàm primâ fronte promittunt, habentes, trademus, eorumq; tam in Theologia didactica, quàm polemica usum monstrabimus. Faxit DEUS, ut emolumenti quamplurimum ex hoc labore in Auditores nostros redundet.

Locus I.

De

SCRIPTURA SACRA.

§. 1.

CUm principium aliud sit essendi, aliud cognoscendi, an ab illo, an hoc tractationis faciendum sit initium, &, an prius de DEO, quàm scriptura, sit agendum, nonnulli disquirunt, & circa partium harum collocationem variant. Verùm quia omne, quod de DEO salutariter cognoscēdo, ut etiam de ipsius voluntate ac operibus intelligendis, ex scriptura nobis hauriendum, non immeritò ab hoc *principio cognoscendi* tractatum hunc ordimur. Ubi suum locum habet illud *Philosophi*, quod extat *l.* 1. *Φυσικῆς ἀκροάσεως c.* 2. *πρὸς τὸν ἀναιροῦντα τὰς ἀρχὰς ὑπ' ἔστι λόγος*. i. e.
p. 3. *Contra negantem, aut tollentem principia non verbum amplius commutandum.* Si enim nobis sub traheretur hoc principiū, de dicendis omnibus esset actum. Subrue fulturam, patitur structura ruinā.

§. 2. Licet autem principium hoc in illa ipsa disciplina, cujus est principium, sit *ἀναπόδεικτον* i. e. indemonstrabile (aliàs non esset principium) si tamen Christianus de veritate principii hujus dubitare incipiat, Pagani & in doctrina convertendi rationem induit, adeoque certis argumentis est convincendus. Sic philosophi principia sua in illa disciplina, cujus sunt principia, non probant, sed ponunt: interim in superiore aliqua statuminant, vel rationibus Topicis à posteriore declarant.

§. 3. Argumentum primum, non primarium, per quod, non propter quod, fide divinâ credimus, principium hoc à DEO profectum esse, testimonium est Ecclesiæ, cum quo tot neces Martyrum, qui sanguinis & vitæ profluvio doctrinam in hoc scripto contentam obsignârunt, cōjungimus. Primarium à *χριτηρίοις* internis, sanctitate, majestate, utilitate, veritate, præsertim in vaticiniorum complementis, harmoniâ pulcherrimâ, styli simplicitate, inter tot persecutiones conservatione, nec non aliis est desumtum. His testimonium Spiritus S. in cordibus nostris, scriptum hoc esse *θεόπνευστον*, nos convincens accedit, quod ipsum licet non valeat *πρὸς ἕτερον* (v. g. tu credere debes, scriptum hoc DEUM autorem habere, quia ego certus sum, & Spiritus S. in corde meo docet, rem non aliter habere) *πρὸς ἑαυτὸν*, tamen i. e. ad seipsum plurimum valet.

§. 4. Vocatur hoc principium Theologiæ scriptura sacra & *definitur*, quòd sit verbum DEI à Prophetis & Apostolis impulsu Spiritus S. literarum monumentis consignatum, instruens nos de DEO ejusque

ejusque voluntate ac operibus ad æternam salutem.

§. 5. *Definitum* est *Scriptura S.* circa quod notandum, quòd inter materiale ac formale termini hujus sit distinguendum. Materiale, vel res contenta, quæ scripto postmodum fuit comprehensa, est antiquissima, non Ecclesiâ tantùm, sed & hoc universo prior. Lex enim est æterna & immota divinæ justitiæ regula: Evangelium est decretum DEI, ante jacta mundi fundamenta de reparando genere humano per Filium unigenitum factum. Quòd autem DEUS non statim à condito mundo, nec statim post promulgatum πρωτευαγγέλιον, sed post duos denum millenarios annorum verbum suum literis
p. 4 consignari voluerit, rationes à Theologis adducuntur partim â longævitate Patrũ, partim à crebrioribus revelationibus, partim ab hominum paucitate desumtæ. Patres antediluviani pleriq; ad annorum millenarium vixerunt, & sæpiùs in sextam & septimam generationem posteros viderunt, & ita doctrinam divinitus acceptam ad posteros velut è manu in manum commodiùs propagare potuerunt. Quantumvis autem post diluvium ætas hominum decreverit, ad aliquot tamen annorum centurias adhuc fuit extensa. Revelationes divinæ crebriores ex ὁδοιπορίᾳ Patriarcharum Noachi, Abrahæ, Isaaci, & Jacobi satis elucescunt. Aucto verò genere humano, inprimis Patriarcharum posteris, DEUS ter Opt. ter Max. ut à corruptione verbum suum præservaret, Mosen idipsum literis consignari jussit, imò, quod nonnulli volunt, ipse initium scribendi fecit, cùm legem tabulis lapideis inscripsit. Formale itaque, ut ex dictis patet, nimirum ipse scribendi actus seriùs cœpit, & Ecclesiâ posterior est.

§. 6. Vox, *Sacra*, quæ loco epitheti scripturæ additur, est ἐπὶ τῶν ἀφ' ἑνὸς πρὸς ἕν & inæqualiter iis, quæ in codice Biblico continentur hodie, libris competit. Κατὰ πρότερον hæc vox libris genuinis & Canonicis, qui citra controversiam tales sunt, competit: καθ' ὕστερον apocryphis, qui cùm rejiculis & spuriis, ut est tertius & quartus Esdræ, Evangelium Nicodemi & ejusdem farinæ plures, opponuntur, & ad ædificationem plebis, non dogmatum confirmationem, leguntur, tribui potest. Non hi posteriores, sed priores definitione allata explicantur.

§. 7. Ipsa definitio genere ac loco differentiæ causis constat.

§. 8 Genus est verbum DEI, quod in ἔγγραφον & ἄγραφον Pontificii dividunt, per ἔγγραφον ipsas sacras literas, per ἄγραφον traditiones non scriptas intelligentes. Licet autem distinctionem hanc penitus non rejiciamus, sed in eo sensu, quem superiùs adduximus, quòd Patres antediluviani & postdiluviani, qui Mosen antecesserunt, verbum habuerint ἄγραφον, qui Mosen secuti fuerunt, ἔγγραφον, toleremus, traditiones tamen Pontificiorum dogmaticas, quas jactitant, verbum DEI esse, πυξ καὶ λαξ inficiamur.

§. 9. *Differentia causalis.* Causa efficiens Scripturæ vel principalis est, vel organica. Principalis est Spiritus S. organica Prophetæ & Apostoli. De causa principali loquitur *Petrus 2. epistolâ c. 1. v. 22. Non humanâ voluntate allata fuit aliquando prophetia, sed Spiritu S. impulsi locuti sunt sancti DEI homines.* Quod ipsius etiam jussu scripserint, in aphorismis inferiùs probabimus. Sic & *Paulus* p. 5
2. Tim.

2.Tim.3.v.16. Πᾶσα γραφὴ θεόπνευστος, i.e. *omnis scriptura divinitus inspirata & utilis est ad docendum, ad redarguendum, ad corrigendum & erudiendum in justitia.* De causa organica Prophetis & Apostolis idem ad *Eph.2.v.20.* docet: *Superstructi estis super fundamentum Apostolorum & Prophetarũ, lapide angulari existente CHRISTO JESU.* Non hîc in V.T. Moses, Prophetarum Oceanus, nec in N.T. Evangelistæ excluduntur. Interdum scriptura pro causa organica V.T. ponit tantùm Prophetas, ut hoc loco, & *Act.26.v.22. cùm Paulus* inquit, *se nihil locutum ἐκτὸς τῶν προφητῶν* i.e. *extra Prophetas*: interdum Mosen & Prophetas opponit, ut *Lucæ 16.v.29.* cùm Abraham ad divitem epulonem inquit: *Habent Mosen & Prophetas, audiant illos*: interdum Mosen, Prophetas & Psalmos, ut *Lucæ 24.v.44.* cùm Salvator ex Mose, Prophetis (prioribus & posterioribus, majoribus & minoribus) & Psalmis passiones & resurrectionem suam probat. Judæi siquidem in Legem, Prophetas & Hagiographa V.T. dividebant, ubi Salvator locutione Synecdochicâ librum Psalmorum, tanquam præcipuum, pro Hagiographis ponit. Ex Evangelistis duo fuerunt Apostoli Matthæus & Johannes, reliqui duo Marcus & Lucas Apostolorum fuêre συνεργοὶ, dubio procul extraordinariis Spiritus S. donis ornati.

§.10. Materia scripturæ sunt DEUS καὶ τὰ θεῖα, voluntas nimirum & opera divina. Voluntas est vel legalis, vel Evangelica. Legalis pro parte quidem τῇ φύσει, vel naturâ nota est, pleniùs autem ex scripturis nobis innotescit. *Concupiscentiam non novissem*, inquit *Apostolus Rom. 7.v.7. nisi lex*, divinitus revelata, *dixisset: Non concupisces.*

§.11. Formula est essentialis, vel accidentalis. Essentialis est, quòd sit θεόπνευστος i.e. divinitus inspirata, sed accidentalis, quòd hoc vel illo charactere, Hebræo, vel Græco sit conscripta.

§.12. Finis est salus æterna. *Scripturæ nos possunt σοφίσαι* i.e. *sapientes reddere ad salutem 2.Tim.3.v.15.*

CANON, vel APHORISMUS I.

Quicquid Christus de suis dictis & factis nos scire voluit, scribendum discipulis, tanquam suis manibus, imperavit.

SCHOLIUM. p.6

§.1.

Ejus hujus aphorismi est: non injussos, aut τύχῃ vel casu Apostolos ea, quæ de λόγοις καὶ ἔργοις Christi (hæc enim in ipsius vita maximoperè fuerunt observanda *c.1. Act. v.1.*) nobis cognoscenda fuêre literis consignâsse, sed ipsius mandato fuisse factum. Ut enim in actionibus animæ imperatis, cùm locomotivam regit, videre licet, manus, pedes & alia corporis membra functiones suas, animâ dirigente, non posse non exercere: ita discipuli CHRISTI, tanquam manus corporis ejusdem, ita jubente ac dirigente DOMINO, non potuêre non literis consignare, quæ nobis ad salutem cognoscendam necessaria videbantur.

§.2. *Usus* hujus aphorismi *didacticus* est, scripturam fuisse necessariam necessitate, quam vocant, expedientiæ, propter certitudinem nostram & corruptionis evitationem.

Dictio

Dictio dicta perit, litera scripta manet.

Hinc *Lucas* in frontispicio *historiæ suæ Evangelicæ c. 1. v. 4.* dicit, *se* propter ἀσφάλειαν i. e. *certitudinem nostram scribere.* CHRISTUS etiam non ad traditiones vivâ voce propagatas, sed ad scripturam in conflictu cum Satana *Matth. 4. v. 4, 7, 10.* cum Pharisæis *Luc. 10. v. 26.* cum Sadducæis *Matth. 22. v. 29.* provocat, & ad scrutandas scripturas nos amandat *Johan. 5. v. 39.* Quid? quòd actum sit de repurgatione doctrinæ, invectis forsan erroribus, si normâ scriptâ destitueremur.

§. 3. *Usus in polemicis est*, cùm Pontificii, quibus scriptura sudes est in oculis, scriptionem nec necessariam, nec mandatam fuisse volunt. Quibus præter dicta jam mandatum divinum *Ex. c. 34. v. 27. Es. 8. v. 1. Habac. 2. v. 2. Apocal. c. 14. v. 13.* & alia loca opponimus.

APHORISMUS II.

Hebræi fontes, Græci vivos, Latini paludes bibunt.

SCHOLIUM.

§. 1.

Sensus. Dictum hoc *Capnionis*, sive *Reuchlini* de codice Biblico V. T. est intelligendum, in quo textus authenticus, & immediatè θεόπνευς & Hebraicâ linguâ conscriptus, ab interprete v. LXX. virali in linguam Græcam, ab Hieronymo & aliis in Latinam etiam translatus. Hinc semper textus authenticus fontis nomine venire solet: quò longiùs autem abeunt versiones (ut Latina, quæ Græcum potius textum, quàm Hebraicum secuta fuit) eò
p. 7 plus impuritatis attrahunt. Voluit autem DEUS ter Opt. Max. (si rationes à posteriori licet adducere) codicem Biblicum V. T. conscribi linguâ Hebraicâ, quia omnium est antiquissima, & ante confusionem linguarum Babylonicam humana: Novum verò Test. propter vocationem gentilium ad Ecclesiam Græcâ, quæ tum temporis (quia linguæ propagabantur cũ Monarchiis, & hæc cum Monarchia tertia Græcorum fimbrias latissimè tunc proferebat) omnium fuit frequentissima, prout *Cicero in oratione pro Archia* inquit: *Græca leguntur ubilibet, Latina v. lingua suis finibus exiguis est circumscripta.*

§. 2. *Usus* hujus canonis *in Theologia didactica* est, quòd solus fons sit divinus, & autoritatis irrefragabilis, & quòd in controversiis Theologicis ad fontes sit recurrendum. Id quod etiam in forensibus & aliis negotiis locum habere videmus, cùm, subortâ de versionibus, aut transsumtis controversiâ, ipsum Originale consulimus.

§. 3. *Usus in Theol polemica* est, cùm Pontificii, rejectis fontibus, quos impuritatis arguunt, latinam versionem vulgatam in ἀυθεντίας solium collocârunt. Quid de paraphrasi Chaldaica & Syriaca sit habendum, ex dictis etiam patet, quòd scil. cùm nulla versio sit authentica & infallibilis, & ipsæ tantùm probabiles sint.

APHORISMUS III.

Sine supra & infra scriptura legi non potest.

SCHOLIUM.

§. 1.

Sensus. Dictum hoc de punctis & accentibus Hebræorum, quòd absque iis scriptura legi nequeat, πρώτως accipiendum venit; postmodum etiam ad con-

textum, quòd sine antecedentibus & cõsequentibus scriptura intelligi nequeat, fuit extensum.

§. 2. *Usus istius in Theologia didactica est*, quòd vocales & accentus Hebræorum pars sint essentialis scripturæ, consequenter non sint recens inventum Judæorum, sed consonantibus coæva. Sunt enim vocales anima, quibus consonantes, tanquam corpus inanime, moventur. His subtractis, primæva lingua, unde tamen promanârunt reliquæ, omnium esset imperfectissima. Sequeretur etiam, ipsius DEI linguam & codicem Biblicum, per quem DEUS nobiscum colloquitur, esse merè hieroglyphicum. Repugnat vox Salvatoris, qui *Matth.* 5. p.8 *v.* 18. *nec jota, nec apicem de lege perire posse* dicit, *donec omnia fiant.* Ad vocales insuper & accentus Critica sacra Doctorum Synagogæ magnæ sese extendit. Jam verò nõ Entis nullæ sunt affectiones.

§. 3. *Usus in Theologia polemica est*, cùm de fontium integritate inter nos & Pontificios controvertitur. Ubi Pontificii pro adstruenda sua sententia, fontes non esse integros, etiam hoc argumento, quòd puncta vocalia sint recens inventum Judæorum, de quo num ad mentem dicentis congruant, vel secus, dubitandum, pugnant.

APHORISMUS IV.

Masora est sepimentum legis.

SCHOLIUM.

§. 1.

Sensus. Dictum hoc est *Judæorum*, quo Criticam suam sacram, quòd à corruptione codicem Biblicum præservet, commendant.

§. 2. Nomen habet vox Masoræ à radice מָסַר i.e. tradidit, h.l. docuit, & nihil est aliud, quàm

§. 3. Critica sacra priscis Hebræorum sapientibus circa textum Hebræum scripturæ sacræ ingeniosè inventa, quâ versus, voces, literæ, puncta omnisque varietas eorum notara, suisque locis indicata est, ut constans & æterna ejus lectio conservetur, & ab omni corruptione præservetur.

§. 4. In hac definitione genus desumtum est à forma, & quidem generica, prout in definitionibus accidentium fieri solet, & est Critica sacra, quæ judicat de versibus, vocibus, literis, punctis, accentibus, quot v.g. in toto codice Biblico extent, quoties his, vel illis jungantur, quæ mater lectionis, quæ scriptionis, & quæ præterea labore stupendo & prorsus inimitabili fuêre peracta.

§. 5. Differentia desumta est à causis, ubi efficientis loco ponuntur prisci sapiẽtes Hebræorum, de quibus dicunt, quòd cor ipsorum fuerit simile portæ templi Salomonis, citeriorum foramini acus. Fuerunt autem illi, non Tiberienses, qui post quadringentos à Christo nato annos vixerunt, ut ab Elia Levita sparsa fert fabula, sed Synagogæ magnæ Doctores, Esdras, Nehemias cum tribus Prophetis ultimis Haggæo, Zacharia, Malachia, de quibus vide *Buxtorffii Tiberiadem.* Quãtumvis inficias non eamus, Masoreticum studium progressu temporis continuatum & actum fuisse. Materia circa quam est textus Hebræus Scripturæ Sacræ V. sc. p. 9 Test. In N.T. licet Masoram non habeamus, non defuit tamen custos Israëlis. Ut super Chaldaicam, aut Syriacam Paraphrasin, quod in votis nonnulli habent,

Masora

Masora conficiatur, necesse non est, cùm non sint textus authenticus, sed tantùm versiones: In isto textu primò versus integri numerati fuerũt per singulos libros Biblicos, & in Pentateucho Mosaica etiam juxta sectiones majores, quæ per tria majuscula ס aut פ indicantur. Quin & singulorum librorum per totam Scripturam V. T. medius indicatus est, quæ omnia in fine cujuslibet libri textui subjiciuntur. In vocibus 1. genuinam ipsarum scriptionem & lectionem, ubi diversitas aliqua occurrebat, notârunt. 2. ubi cum literis quiescentibus scriptæ fuerunt plenè, vel absque iis defectivè. 3. situm earum in principio, medio & fine versus, & quam formam vel per se, vel propter accentum aliquem habeant. 4. Conjunctionem earum cum aliis vocibus, vel compositionem cum literis servilibus. 5. Significationem, ubi ambiguitas id requisivit. 6. Voces vocalibus & accentibus differentes, ubi peculiaris aliqua observatio, aut differentia id postulare videbatur, annotârunt. Circa literas qualitatem in figura, quantitatem in numero annotârunt. Figura literarum deprehensa in quibusdam est extra usum vel majuscula, vel minuscula, vel inversa, vel extra ordinem punctata. Quantitatem quod attinet, omnium librorum V. T. literas certo numero comprehenderunt, & quæ media in tota lege, quæ media in quolibet libro, & in qua voce consignârunt. Imò etiam ad puncta & accentus hæc κρίσις extenditur. Quâ de re doctrinæ hujus clavem *tractatum Buxtorffii jam citatum* vide. Forma hujus Masoræ, prout hodie in excusis Bibliis circumfertur, vel est parva, meris technologicis & abbreviaturis textui circumpositis constans, vel magna. Magna iterum duplex est, vel marginalis, vel finalis ad calcem cujusq; libri adjecta. Nonnullis placet πληχοτομία, quòd Masora sit vel parva, vel major, vel maxima, quæ cum finali jam dicta coincidit. De quibus rursus vide Buxtorffium. Finis Masoræ est, ut textus Biblicus codicis V. T. sartus-tectus conservetur, nec litera, nec apex minutissimus, quin jactura ipsius deprehendi queat, in æternum excitat. Hujus laboris intuitu Judæi Bibliothecarii, Capsarii & Scriniarii nostri dicuntur.

§. 6. *Usus* aphorismi hujus *didacticus* est, quòd codex Biblicus V. T. non tantùm sit integer, sed etiam per Masoram ita custoditus & quasi circumseptus, ut corrumpi nequeat.

§. 7. *Usus in Theologia polemica* est adversus Pontificios, qui codicem Bibli- p. 10
cum V. T. ut Latinæ vulgatæ versionis autoritatem extollant, corruptionis arguunt, quod sepimentum hoc legis non admittit. Imò Judæi centies mortem oppeterent, quàm in minutissimum apicem ex codice Biblico tollerent. Huc respiciens *Lutherus, eosdem quidem literarum & vocum numeratores, non autem genuinos scripturarum Interpretes vocat, super Gen. c. 48.*

APHORISMUS V.

Scriptura est mare, in quo elephas natat, agnus peditat.

SCHOLIUM.

§. 1.

Ensius. Dictum hoc *Gregorii Magni*, quo Sacram Scripturam cum mari quibusdam in locis vadoso comparat, hoc vult, Scripturam in se continere, quibus

quibus & simplices & sapientes hujus mundi queant exetceti, nec non rationi, ut Ministræ, non autem ut Magistræ in scripturarum lectione locum esse relinquendum. Per agnos Christiani simplices, per elephantes, animalia grandia, sapientes hujus mundi, persuasione multiplicis scientiæ turgidi; per τὸ peditare firmiter inniti, per τὸ natare fluctuare, titubare, hærere, fundum non attingere, intelligitur.

§. 2. *Usus in Theologia didactica* esse potest duplex, 1. Scriptutam omnibus servire, nec satis legi posse, quin semper aliquid novi secum apportet. Unde cum aurifodina divite, in qua nova subinde metalla, vel metallorum materia subuascitur, non inconcinnè comparari potest. 2. Profunda mysteria humanæ rationis acie penetrari non posse. Dubio procul *Gregorius* respexit ad visionem *Ezechielis c.*47. prophetiæ ipsius descriptam, ubi Propheta jubetur ingredi flumen, quod scaturiebat in templo, & primum pertingebat ad ipsius talos: post intervallum mille cubitorum ad genua: rursus post 1000. cubitos ad lumbos, tandem fundo carebat, ita ut Propheta natare cogeretur. Idem scrutatoribus Majestatis & rerum divinarum supra id, quod nobis in scripturis revelatum est, evenit, ut opprimantur à gloria, vel in mysteriis divinis natare cogantur.

§. 3. *Usus in Theologia polemica* potest etiam esse duplex, 1. contra Pontificios, qui scripturam obscuritatis arguentes Laicos ab istarum lectione arcent, cum esse debeat *lucerna pedibus nostris & lumen semitis nostris, Ps.119.v.105.* & *stylo humano conscripta sit Es.*8.*v.*1. ita ut sensus ejus nec è cœlo, nec ab inferno, nec ex locis transmarinis petendus sit, sed *prope sit in ore ac corde nostro*, i.e. verbis ex usu communi petitis conscripta sit, & faciles conceptus gignat, *Deut.c.30.v.*14. 2. contra Calvinianos & Socinianos, qui Christianæ religionis agros humanæ rationis decempedâ metiri solent, falso prætendentes, Deum nihil ad credendum hominibus proponere, quod incomprehensibile sit rationi. Quo admisso principio, de omnibus mysteriis & miraculis esset actum. Interim genuinum rationis usum, si scripturis sese submittit, iisdem illustrandis inservit, & Dominum, qui liberè naturæ leges dedit, agnoscit, non improbamus: Si verò sese extollit super id, quod scriptum est, ipsique DEO leges figit, deprimenda est secundùm Apostoli monitum *2.Cor.10.v.*5. & intra sphæræ suæ carceres constringenda. *Beati, qui credunt, etiamsi non videant*, Salvator Thomæ & Thomistis *Joh.20.v.29.* regulam præscribit. P. 11

APHORISMUS VI.

Pascimur apertis, exercemur obscuris: illis fames, his tædium pellitur.

SCHOLIUM.

§.

Sensus. Idem propemodum sensus est hujus dicti *Augustiniani*, qui fuit prioris. Licet scriptura in iis, quæ ad salutem cognitu necessaria sunt satis sit perspicua, superesse tamen multa, in quibus scripturarum lector exerceri queat. Dantur enim cognitionis gradus: alius à docentibus, alius à discentibus requiritur: alii lacte, alii cibo solido gaudent: alii legunt, ut cognitionis habeant sufficientiam, alii cognitionis ubertatem etiam requirunt.

§.2. *Usus*

§. 2. *Usus didacticus hujus dicti est*, quòd scriptura perspicua sit omnibus linguam intelligentibus, in iis, quæ ad salutem creditu sunt necessaria. Ubi tamen non de perspicuitate interna, quæ fiduciali apprehensione meriti Christi obsignatur, sed de externa, quæ cadit etiam in non renatos, nec de perspicuitati opposita obscuritate, quæ in rebus est v.g. typis, vaticiniis eventu nondum completis &c. sed de obscuritate, quæ in verbis est, agimus. Sic etiam non de subjectiva, cùm quis fascinatus est præconceptis opinionibus, sed objectiva perspicuitate quæritur. Probatur autem hæc perspicuitas præter ea loca, quæ in scholio præcedentis aphorismi adducta fuerunt ex *Ps. 119. & Deut. c. 30. 1.* ex *2. Cor. 4. v. 4.* ubi Apostolus inquit: *Si*
p. 12 *opertum est Evangelium nostrum, in iis, qui pereunt, est opertum, in quibus DEUS hujus seculi obcæcavit mentem infidelium, ut nō fulgeat eis lux Evangelii de CHRISTO.* Unde collectio facilis est: Quicquid demum per accidens obscurum est, propter præconceptas opiniones à Satana suggestas, illud in se perspicuum est & lucidum. Doctrina Evangelii &c. E. 2. Ex *c. Matt. 2. 24. v. 15.* ubi Salvator ad lectionem Propheræ Danielis nos amandat, & adjicit: *Qui legit, intelligat.* Unde colligimus: Quicquid lectum intelligi potest, illud in se non est obscurum, sed perspicuum. Scriptura lecta potest intelligi. E. 3. Ex *2. Petric. 1. v. 19.* ubi comparatur *lucernæ lucenti in loco caliginoso, donec dies illucescat & lucifer* (salutaris cognitio de CHRISTO) *in cordibus vestris oriatur.* Addimus hîc obiter, aliud esse laternam à latendo dictam, quæ non habeat lucem insitam, sed ut forinsecus inferatur, requirit, (ut Pontificii delectantur hâc voce) aliud lucernam, quæ luce fulgeat intrinsecâ, prout *Psal. 119.* declarationis loco additur lumen. In loco Petrino fontes habent vocabulum αὐχμῷ i.e. lucis.

§. 3. *Usus in Theologia polemica* est adversus Pontificios, qui scripturam obscuritatis arguunt, ut Pontificem suum infallibilem controversiarum judicem commodius adstruere, nec non scripturarum lectione Laicis facilius interdicere queant.

APHORISMUS VII.

Nullus in scripturis est apex, à quo non pendeant doctrinarum montes.

SCHOLIUM.

§. 1.

Sensus. Dictum hoc est *Rabbinorum*, quo, nihil in scripturis usu suo destitutum contineri, volunt. Objiciat quis præter nomina propria in multis scripturæ capitibus nihil contineri: sed etiam ab iisdem pendent doctrinarum montes. Vel enim antiquitas ex omnium populorum origine, vel tribuum distinctio, vel Christi genealogia in iisdem continetur, vel scriptis posterioribus, inprimis Propheticis, in quibus multoties pro integris gentibus, aut tribubus nomina propria ponuntur, lux præfertur. Sic *Amos 6. v. 7.* per contritionem Joseph status miserrimus in choro, foro & toro, qui tū temporis erat in regno Israëlitico, locutione antonomasticâ & synecdochicâ intelligitur. Posteri siquidem Josephi, vel, ut clariùs dicam, tribus Ephraim & Manasse, qui duo Josephi filii succedebant non in stir-
p. 13 pes, sed capita i.e. non pro Jacobi nepo-

tibus, sed filiis habebantur, potiores erant in isto regno, & defectionis initium faciebant, prout etiam primus Rex Israëlitarum Jeroboam oriundus erat ex tribu Ephraim. Sic *Ps.* 60. *v.* 9. Ephraim vocatur fortitudo capitis à Davide, metaphorâ delumtâ vel à tauris, vel aliis animalibus cornigeris, quæ robur suum habent in cornibus, quia tribus Ephraim erat populosissima & potentissima. Ipse verò Ephraim filius Josephi non erat σύγχρονος Davidis, sed jam ante centurias aliquot annorum in Ægypto fatis erat functus. Sic in *eodem Ps.* 60. *v.* 10. Moab vocatur olla locutionis i. e. posteri Moabi (qui filius erat Lothi ex incestuoso toro cum filia genitus) vilissimis officiis, cujusmodi erant lotiones, à Davide destinabantur. Ita passim in historiis & sacrificiis V. T. Christus, totius scripturæ scopus, centrũ & nucleus, elucescit. Cùm vitia sanctorum proponuntur, non ad imitationem, sed ad emendationem proponuntur. Pœnæ siquidem delictis è vestigio junguntur, ut lapsus majorum sit timor minorum.

§. 2. *Usus* aphorismi *didacticus* est, quòd nihil in scripturis sit vile, nihil supervacuum, sed magni momenti, quæ continentur in iisdem, omnia.

§. 3. *Usus in polemicis* est partim cõtra Catabaptistas & Fanaticos, qui sacras literas vilipẽdunt, &, ut Rheno innatent, exoptant: partim contra Pontificios, qui scandalosa & inutilia multa in iisdem cõtineri volunt, & sub hoc prætextu à lectione scripturarum arcent.

APHORISMUS VIII.

Τὰ πῶς περὶ Θεὸν ζητεῖν, σαφὴς τῆς ἀπιστίας ἔλεγχος, i. e. Modum de DEO (& rebus divinis) quærere, manifestum est incredulitatis argumentum.

SCHOLIUM.

§. 1.

Sensus. Dictum hoc *Justini Martyris*, qui dixit Seculo secundo post CHRISTUM natum, & inter scriptores Ecclesiasticos γνησίους manibus nostris obversantes habetur antiquissimus, Quomodistas perstringit, de reb. divinis modũ quærentes. Ejusmodi Quomodista fuit Nicodemus, qui *Joh.* 3. *v.* 4. ex CHRISTO quærebat: *Quomodo potest homo nasci, cum sit senex? num potest in uterum matris suæ iterum ingredi ac nasci?* Tales quo- p. 14
modistæ erant Capernaitæ, qui cum CHRISTO sermones cædentes *Joh.* 6 *v.* 32. dicunt: *Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad edendum?* Tales sunt hodie Calviniani & Sociniani, quorum illi dicunt: Quomodo CHRISTUS sub pane tam parvo potest nobis corpus suum edendum dare? Quomodo corpus unum potest esse in pluribus locis? quomodo corpus tricubitale, præsertim brachiis expansis, ut Bergius in Stercomate suo somniat, os nostrum tam parvum potest ingredi? Quomodo corpus CHRISTI fieri potest ἄφαντον? Hi verò quærunt: Quomodo tres personæ possunt esse unũ numero? Quomodo infinitum & finitum, spirituale ac corporale, æternum & in tempore productum in unam personã possunt copulari? quomodo unus homo pro infinitis ferè potest satisfacere? Scriptura nos rem ipsam docet, licet modum sæpius reticeat. Ubi voluntas & potestas facientis est ipsa facti ratio. Si idem non prius adhibere vellemus assertionibus divinis,

vinis, nisi prius de modo constaret, nobis etiam quærendum esset: Quomodo Virgo potest parere? Quomodo ignis, objecta materiâ ustili, potest non urere? Quomodo corp⁹ grave sursum tendere? Quomodo corpus humidum claudi potest terminis proprijs? Quomodo pars major esse potest toto? Cùm verò Maria quærebat ex Angelo, *Lucæ* 1. *v.* 34. quomodo fieri hoc potest, quoniam virum non cognosco? Τὸ πῶς non erat dubitantis, sed admirantis, quia subjicit v. 38. *Ecce, ancilla DOMINI: fiat mihi secundùm verbum tuum.* Si diceret Calvinianus: Ecce servus Domini: verbis ipsius fidem habeo, faciet ipse quod promisit, aut ordinavit &c. aliter se res haberet.

§. 2. *Usus didacticus* hujus aphorismi est, Dei verbis esse fidem habendam, licet ratio nostra, quomodo res se habeat, penetrare nequeat. Sic Elector Saxoniæ *Augustus* dixisse fertur: *Si CHRISTUS corpus suum esse in lapide, dixisset, se tamen fidem derogare nolle.*

§. 3. *Usus in Theologia polemica* est contra Calvinianos, Remonstrantes & Socinianos, qui nisi quod acie humanæ rationis penetrare queant, credere nolunt.

APHORISMUS IX.

Scriptura per Scripturam est explicanda. Item, Spiritus S. est optimus verborum suorum interpres.

SCHOLIUM.

p. 15

§. 1.

Ensius. Scriptura semetipsam vel actu, vel potentiâ explicat. Actu, cùm statim explicationem addit, ut cum CHRISTUS *Joh.* 2. *v.* 19. ait: *Destruite templum hoc, & intra triduum erigam illud*, subjicitur *v.* 21. *At ille loquebatur de templo corporis sui.* Sic cùm *Joh.* 12. *v.* 32. idem Salvator inquit: *Ego, cùm exaltatus fuero de terra, omnes traham ad me ipsum*, explicatio verborum horum statim additur *versiculo seq.* 33. *Hoc autem dicebat significans, quâ morte esset moriturus.* Sic *Apoc.* 5. *v.* 8. *quæ sunt in phialis aureis odoramenta de precibus sanctorum* exponuntur. Potentiâ, cùm media scripturas interpretandi, ut sunt lingua originalis, antecedentia & consequentia, scopus, loci paralleli, analogia fidei, scopus totius scripturæ generalis, nobis suppeditat, quæ scripturis sunt insita, licet ulus forinsecus accedat.

§. 2. Supremus controversiarum judex est Spiritus S. à quo Prophetæ & Apostoli fuerunt afflati: subordinati sunt Ecclesiæ Doctores, & quivis Christiani secundùm Spiritus S. verbum, tanquam normam, judicantes. Ubi tamen inter judicium προφητικὸν καὶ δοκιμαστικὸν distinguimus: hoc, non illud Christianis, qui non sunt Ecclesiæ Doctores, asserentes. Ad hos enim etiam præceptum Apostoli *Johannis* 1. *c.* 4. *v* 1. pertinet: *Charissimi, probate Spiritus, an sint ex DEO.* Item *Apostoli Pauli* 1. *Thess.* 5. *v.* 21. *Omnia probate, quod bonum est tenete.* Nec non Salvatoris *Matth. c.* 7. *v.* 15. *Cavete vobis à Pseudo-Prophetis.* Sunt, qui verbum DEI sacris literis comprehensum faciunt controversiarum judicem secundùm illud Salvatoris *Joh.* 12. *v.* 48. *Verbum, quod locutus sum, judicabit eos in novissimo die.* Id licet nullatenus improbemus, prout aliis etiam legibus dijudicationem controversiarum forensium adscribimus, si tamen ἀκριβολογίαν sectari velimus, quia vox judicis est nomen personæ, ipsum Spiritum

ritum S. commodiùs judicem supremũ controversiarum, scripturam autem vocem judicis, vel normam controversiarum appellamus.

§. 3. Ipse aphorismus lucem accipit ex 2. *Petri c. 1. v. 20.* ubi dicit: *Scriptura non est ἰδίας ἐπιλύσεως* i. e. *propriæ interpretationis.* Additur ratio, qũia non *voluntate hominis allata fuit olim Prophetia, sed à Spiritu S. impulsi locuti sunt sancti DEI homines.* Sensus est: Quo Spiritu inspiratæ fuerunt sacræ literæ, eodem quoq; debent intelligi. Pontificii loco privatæ interpretationis privati sc. hominis interpretationem substituunt. Sed Græcus textus id nullatenus admittit, quippe qui
p.16 non habet *ἰδιώτου*, sed *ἰδίας ἐπιλύσεως*. Ubi vox *ἰδίας* autori principali, Spiritui S. à quo profectæ sunt sacræ literæ, opponitur, quando non exponuntur ita, ut Spiritus S. intellexit. Licet itaque Pontifex Rom. in autoritate centies majore constitutus esset, & sacras literas nõ ad mentem Spiritus S. vel scripturam contra scripturam exponeret, privata esset interpretatio. Contra, si Parochus aliquis infimæ conditionis eo sensu, quo Spiritus S. intellexit, exponeret, hęc interpretatio Pontificis multis parasangis esset præferenda. Sic *Rom. 12 v. 6. prophetia, vel interpretatio scripturæ* (Propheta enim vel futurorum prænuncium, vel scripturæ interpretem, ut in N. T. plerumque, significat) jubetur esse *ἀνάλογον τῇ πίστει* i. e. conformis fidei, quæ creditur. Est autem analogia fidei uniformis scripturarum concentus, vel constans & perpetua scripturæ in credendis & faciendis sententia.

§. 4. *Usus didacticus* hujus aphorismi est. quòd scripturæ sensus ex ipsa scriptura sit desumendus, nec alius in cerebro nostro, aut scrinio cordis allatus eidem sit affingendus.

§. 5. In *Theologia polemica* contra Pontificios, Calvinianos, Remonstrantes, Socinianos, Fanaticos, qui vel ultimã fidei analysin ponunt. Papa dixit, vel ratio dictavit, vel monitor nocturnus suggessit, ac proinde media hæc vel rejiciunt & oppugnant, ut Pontificii, qui tamen *αὐτοκατάκριτοι* utuntur iisdem in praxi, vel abutuntur, ut Calviniani, Remonstrantes, Sociniani, vel negligunt, ut Fanatici, usus hujus aphorismi prolixus esse potest. Id quod ex sequentibus magis patebit.

APHORISMUS X.

Οὐδεμία γραφὴ τῇ ἑτέρᾳ ἐστὶν ἐναντία, h.e. Nulla scriptura (sc. *θεόπνευστος*) alteri est adversa.

SCHOLIUM.

§. 1.

Sensus. Hoc aphorismo *Justinus Martyr* de veritate Christianæ religionis agens omnes contradictiones à codice Biblico excludere voluit. Licet enim longo temporum tractu libri, qui codicem Biblicum continentur, fuerint coagmentati, ab uno tamen Spiritu, qui non est confusionis, aut vertiginis, sed Spiritus rectus, proficiscuntur. Interim *τὸ ἐναντιοφανὲς* i. e. contradictionem apparentẽ, præsertim exercitatos in scripturis sensus nõ habentibus, occurrere, inficias nullatenus imus. Interim legib. oppositiones probè observatis, p.17
ἐναντιοφάνειαι tales facilè solvuntur & salvantur. E. g. Si quis Paulum cũ Jacobo cõferat, eosdem in vicem contendere posset. Ille siquidẽ ad *Gal. 2. v. 16.* inquit: *Scimus, non justificari hominem ex operibus legis,*

nisi

nisi per fidem: Et nos in Christum Iesum credidimus, ut justificaremur ex fide Christi, & nos ex operibus legis: propterea, quòd non justificabitur ex operibus legis ulla caro. Hic verò *epistola suæ c. 2. v. 24.* dicit: *Videsigitur, quòd ex factis justificetur homo, & non ex fide tantùm.* Verumenim verò non est contradictio vera, sed apparens tantùm, quia desideratur hîc τὸ αὐτὸ i. e. πρὸς αὐτὸ respectu ejusdem. Paulus enim vocabulum fidei pro fiduciali apprehensione meriti CHRISTI accipit: Jacobus contra titulares Christianos disputãs pro externa fidei professione, id quod ex *c. 2. v. 24.* liquet, cùm inquit: *Quæ utilitas, fratres mei, si fidem aliquis dicat habere se, facta verò non habeat? num potest fides salvum facere illum?* Vult itaq; non sufficere signum hoc, externam scil. fidei professionem, ut quis probet, se esse justificatum, præsertim si malis operibus det operam, sed addendum esse alterum signum, bona opera. Sic *Fidem ex factis perfici* dicit, non in producendo, sed significando, dicit, ejusdem *cap. v* 22. prout funiculus duplex non facilè rumpitur; signũ duplex simplici magis notificat. Terminum justificationis etiam aliter sumit Paulus, pro justificatione sc. coram tribunali divino: Jacobus pro justificationis declaratione coram hominibus. Abraham enim cùm obtulisset (oblaturus erat) filium Isaac super altari, non justificatus, sed justus declaratus fuit. Vide *vers. capitis hujus 2, vigesimum primum* & cõfer cum *cap. Gen.* 22. Justificatus autem fuit, cùm credidit DEO *Gen. 15.* & accepit circumcisionem justificationis sigillum, *Gen. 17. v. 11. Rom. 4. v. 11.* Quâ ratione non tantùm lex prima veræ oppositionis, quòd debeant esse eadem extrema sine ambiguitatibus intellecta, verùm etiam tertia πρὸς αὐτὸ i. e. respectu ejusdem, violatur. Quia Paulus justificationem coram DEO, Jacobus coram hominibus intelligit.

§. 2. *Usus* hujus aphorismi est *in Theologia didactica*, quòd Scriptura S. sibimet constet, nec, ut aliorum scripta, sibimet contradicat, sed sit veritas ipsissima, cœli & terræ compage firmior, invicta manens in æternum *Esa 40. v. 6. 1. Petri 1. v. 25.*

§. 3. *Usus in Theologia polemica* est adversus Pontificios præprimis, qui scripturam obscuritatis arguentes & eandem floccipendentes, contradictiones eidem objiciunt.

APHORISMUS XI. p. 18

Optimus Scripturarum interpres est, qui sensum non infert, sed effert.

SCHOLIUM.

§ 1.

Sensus. Dictum hoc *Hilarii Pictaviensis*, quod habet l. 1. de Trinitate, directum est adversus eos, qui scripturas torquent ad præconceptas opiniones.

§. 2. De his Apostolus *Petrus 2. c 3. v. 16.* conqueritur *verbis seqq.* Οἱ ἀμαθεῖς καὶ ἀστήρικτοι στρεβλοῦσι τὰς γραφὰς εἰς τὴν ἰδίαν αὐτῶν ἀπώλειαν i. e. *Parum docti* (sc. in scripturis) *& malè fundati torquent scripturas in propriam perniciem.* Torquere autem scripturas est alienum ipsis sensum affingere secundùm præconceptas suas opiniones, non congruentem ad mentem dicentis.

§. 3. Ejusmodi præconceptam opinionẽ Apostolus *Paulus 2. Cor. c 3. v. 14. & 15.* vocat κάλυμμα i. e. *velamentum & operculum*, quod oculis objicitur, ne videãt claritatem

ritatem lucis. Conqueritur enim ibidem super Judæis, quòd sensus habeant excœcatos, & quòd velamen in lectione Veteris Testamenti cordibus eorum sit impositum, nesc, ipsis fulgeat lux Evangelii de CHRISTO, ut clarius hæc exponit *c. seq. 4. v. 3.*

§. 4. Idem velamen oculos *Calvini Judaizantis* etiam ita obcœcavit, ut, quæ de CHRISTO Novum Test. exponit, & quæ in ipsum solum quadrant, de Davide, aut Salomone in Psalmis, aut de Prophetis & Regibus illorum temporum, quæ in vaticiniis Prophetarum de CHRISTO dicuntur, exponat. Ex ubertima messe spicam unam atque alteram colligendo, quid clarius est *Ps. 40.* qui de CHRISTO ad *Hebræos* explicatur: *Sacrificium & oblationem noluisti, aures autem perfodisti mihi: holocaustum & pro peccato non comprobâsti. Tunc dixi: Ecce venio, in capite libri scriptum est de me, voluntatem tuam, DEUS mi, facio libenter.* Hæc verba, in quibus antithesis inter sacrificia legalia & satisfactionem CHRISTI continetur, in Davidem minimè quadrant, sed tamen de ipso exponuntur à Calvino, quòd nimirum sacrificia sua laudis sacrificiis legalibus opponat, & quòd hoc ipsi, ut & omnibus hominibus sit præscriptum. Quid est σκιβλότης, si hæc non est? Sic verba *Ps.* 118. quæ Christus ipse in se compleri dicit: *Matth. 21. v. 42. Lapis, quem reprobaverunt ædificantes, factus est caput anguli. A Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris &c.* Verba hæc, inquam, judaizans ille de Davide accipienda putat
p. 19 conquirente, quòd à maximis quibusque rejectus fuerit, cùm tamen apparuerit Dei judicio ipsum electum fuisse. Sic verba Prophetæ *Michea c. 2. v. 12. Ascendit perruptor ante eos, & perrumpent, & gradientur per portam, & egredientur per eam, & ibit Rex eorum ante eos, & DOMINUS in capite eorum*, de Zedekia Rege in captivitatem eunte, ipsiusque comitibus exponit, non attendens, quòd perruptor ille Jehovah dicatur. Non absimiles detorsiones ipse ac complices afferunt, cùm ad præconceptas opiniones de absoluto decreto dicta scripturæ de universali DEI gratia, universali Christi merito & universali vocatione sole meridiano clariora, vel de universalitate electorum, vel de voluntate signi, non beneplaciti & sic de dolo bono, ut *Beza* loquitur, de generibus singulorum, non singulis generum, vel aliis modis exponunt, insuper habentes, quòd vocabulum κόσμος nunquam pro electis accipiatur, sed, si particulariter sumatur, potius impiorum colluviem denotet, & sic electis opponatur, quòd ex DEO veracissimo hypocritam perniciosissimum faciant, quòd κόσμος ὅλος, ἅπας, πάντες πανταχῆ, ne quidem aliquibus exclusis, *1. Joh. 2, v. 2. Marci 16. v. 15. Act. 17. v. 30. 2. Petri 3. v. 9.* intelligantur. Ex ejusmodi detorsionibus πολυκεφαλία inter ipsos nata, cùm genuinum verborum cœnæ sensum deferentes, unus subjectum, alter copulam, tertius prædicatum propositionis Sacramentalis aggreditur, unus ex Grammaticis, alter ex Logicis, tertius ex Rhetoricis, quartus ex Physicis, aut aliunde subsidia petit. In torquendis scripturis excellunt etiam *Sociniani*, v. g. cùm ad præconceptas opiniones de nuda Christi humanitate pervertunt locum *Johan 8. v. 58.* quando Salvator inquit: *Antequam Abraham fieret, ego sum*, & ita exponunt: Antequam Abram fieret Abraham i, e. Pater multarum gentium scil. spiritualium

ritualium (quod factum in N.T. post universalem Evangelii prædicationem) ego sum, non ponderantes, quòd Judæi computationem annorum instituant, deque priori existentia controversia sit. Sic *Joh.* 20. *v.* 28. cùm Thomas *Christum Dominum & Deum suum* vocat, non adorantis, sed admirantis esse verba statuunt, ac si Thomas dixisset : Bone DEUS, quid hîc video! susque deque habentes, quod CHRISTUS hæc verba tanquam fidei confessionem commendet. Sic crucifigunt locum illum Apostolicum 1. *Tim.* 3. *v.* 16. in quo μυστήριον ὁμολογουμένως μέγα describitur, *quòd DEUS manifestatus sit in carne.* Per carnem siquidem viles & abjectos homines, cujusmodi fuerunt Apostoli, qui DEUM prædicârunt in mundo, intelligunt, pensi minus habentes τὰ ἐν κύκλῳ, quòd justificatus i.e. justus declaratus fuerit à Spiritu S. cùm pro seductore populi haberetur à Pharisæis & Scribis, quòd prædicatus fuerit in mundo, visus Angelis, assumtus in gloria. Sed talia sunt subjecta, qualia permittuntur à prædicatis. Hoc non est efferre sensum, ut communis hominum intellectus super eum cadit, ex scripturis, sed eundem inferre, vel potius argutiis humanis eludere. Unde Calviniani verba cœnæ vocant egena elementa, vix oculo sinistro adspicienda. p. 20

§. 5. *Usus* hujus aphorismi *didacticus est*, eum esse genuinum scripturarum sensum, qui convenit menti dicentis. Ex mediis itaque scripturam interpretandi eundem venari debemus, eo studio, ac si mentem dicentis introspicere vellemus, &, ut evadamus ἀμετάπτωτοι, hoc & non aliud Spiritum S. & ipsius organon voluisse. Ut enim analytica doctrina non tantùm facit, ut sciamus, sed etiam ut sciamus nos scire: ita etiam h.l. si legitimis scripturas interpretandi mediis legitimè fuimus usi, cognitionem habere possumus reflexam, sic & non aliter oblatum in scripturis locum esse intelligendum, nosque CHRISTI mentem tenere.

§. 6. *Usus in Theol. polemica* contra irrationales rationalium torturas, cùm scriptura ipsis venit exponenda, esse potest. His enim scriptura regula Lesbia est, quam ad structuram cerebri sui, præconceptas opiniones, flectunt potius, ac si mensuram fidei dogmatum ex hac regula desumant. Unde non nisi ψευδερμηνείαι & ψευδογραφήματα nasci possunt, quæ falsariis istis relinquentes ad aphorismum sequentem accedimus.

APHORISMUS XII.

Fides est una copulativa.

SCHOLIUM.

§. 1.

Sensus. Dictum hoc, quod *Luthero* frequens in ore fuit, ad imitationem istius Ethicorum, virtus est una copulativa, fuit extructum, & hoc vult articulos fidei velut annulas in catena esse connexas, soluto uno, solvi plures.

§. 2. Innuit hoc Apostolus, cùm ad *Gal.* 5. *v.* 9. Græcum senarium adducit: Μικρὰ ζύμη ὅλον τὸ φύραμα ζυμοῖ i.e. *parvulum fermenti totam massam inquinat.* Quo ipso innuit, errorem Galatarum de circumcisione & aliis operibus legis Mosaicæ in N.T. ex necessitate observandis errores plures post se trahere: consequenter etiam parvos errores esse vitandos, ne maximi fiant in fine. Senarium hunc Græcum bis adducit Apostolus, *semel hoc loco* p. 21

de cor-

de corruptione in doctrina, *semel 1. Cor. 5. v. 6.* de corruptione in vita, quando conversationem incestuoso vitare jubet.

§. 5. Quod Apostolus dixit in epistola ad Gal. idem etiam asserit *Philosophus c. 2. libri 1.* Φυσικῆς ἀκροάσεως: Ἑνὸς ἀτόπου δοθέντος τἆλλα συμβαίνει i. e. *Uno dato absurdo, sequuntur plura.* Et *c. 5. l. 1. de cœlo*: Τὸ μικρὸν ὑπερβῆναι τῆς ἀληθείας ἀφισταμένοις γίνεται πόρρω μηριοτλάσιον i. e. Modica transgressio veritatis discedentibus porrò fit decies millies major.

§. 4. Exemplo nobis esse possunt illi Confessionis Augustanæ socii, qui deflectentes à recepta doctrina peculiares sententias sibi defendendas sumserunt, quò pedem unum luto impactum sustulerunt enixius, eò profundius fixerunt alterum i.e. quo magis erroris patrocinium susceperunt, eò plures errores inciderunt. Sic cùm *Matthias Flacius*, Theologus aliàs de CHRISTI Ecclesia, præsertim interreligionis tempore, meritissimus, in Colloquio anno superioris seculi 61. proximo post Melanchthonis obitum, Vinariæ cũ Victorino Strigelio habito propositionem hanc admisisset, peccatum non esse accidens, sed ipsam hominis substantiam, illamque postmodum defenderet, etiam has cõsequentias, hominem in statu transgressionis secundùm substantiam suam esse figmentum diaboli, CHRISTUM assumsisse carnem alterius speciei, hominem in conversione substantialiter mutari, admittere coactus fuit. Sic *Victorinus Strigelius* Philippista quando συνέργειαν gratiæ & liberi arbitrii propugnavit, vires post lapsum residuas in negotio salutis auxit, corruptionem humanæ naturæ extenuavit, gratiæ divinæ, cui conversio nostra in solidum venit adscribenda, detraxit, & sic in cæteris erroribus.

§. 5. *Usus* aphorismi hujus *in Theologia Didactica* esse potest, quòd τὸ φιλόκαινον i.e. studium novitatis Theologo sit vitandum, & omnis doctrina vel parumper ab ὑποτυπώσει τῶν ὑγιαινόντων λόγων i.e. à forma sanorum verborum deflectens velis & remis fugienda.

§. 6. *In Theologia polemica* contra sectatores novitatum, qui se nihil theatro, vel plausu dignum in medium afferre posse, nisi novitatem resipiat, censent, non expendentes, quòd syrma errorum secum vehat.

APHORISMUS XIII. p. 22

In scripturis non datur prius & posterius.

SCHOLIUM.

§. 1.

Sensus. Dictum hoc *Rabbinicũ* in scripturis ὑστερολογίας multas esse, docet. Videre licet hoc ipsum maximè in Prophetis, quorum conciones non eo, quo digestæ sunt, ordine ab ipsis fuerunt habitæ. Sic *Esaiæ* vocatio *capite* demum *sexto* describitur, & res diversissimæ non rarò in unum caput compinguntur. Persuasum hîc sibi habent nonnulli, à Sacerdotibus, qui programmata prophetica publicis locis affixa refixerunt, non ab ipsis Prophetis vaticinia in hunc ordinem fuisse redacta.

§. 2, Nec desunt in N.T. ejusmodi ὑστερολογίαι, super quibus interdum contentionis serra non parùm fuit reciprocata. E.g. Controvertitur inter nos & Calvinianos, an Judas proditor interfuerit institutioni cœnæ, ut etiam, an Christus ipse biberit ex poculo Eucharistico, quorum prius nos, posterius Calviniani affirmant. Utraque pars urget seriem rerum gestarum,

gestarum, prout ab hoc, vel illo Evangelista fuerunt descriptæ. Quod Judas interfuerit institutioni cœnæ primæ, nostrates probant ex Evangelista *Luca*, qui verbis institutionis cœnæ *c.22.v.21.* ἀμέσως hæc verba subnectit: *Veruntamen ecce manus prodentis me mecum est in mensa.* Calviniani ex *Joh.c.13.v.30.* quòd Judas post acceptam offulam intinctam *exiverit* εὐθέως *statim.* Quòd Christus ex poculo Eucharistico non biberit, nostrates iterum ex *Luca c.22. v.18.* probant, qui verba hæc: *Dico enim vobis, quòd non bibam de fructu vitis, donec regnum DEI veniat,* institutioni cœnæ præmittit. Affirmativam Calviniani ex ordine, qui habetur apud *Matthæum* & *Marcum*, hujus epitomatorem, stabilire conantur. Hi siquidem duo Evangelistæ verba illa Salvatoris: *Dico autem vobis, non bibam posthac ex hoc fructu vitis usq; in diem illum, cùm illum vobiscum novum bibam in regno Patris mei, Matth.26. v.29. Marci 14 v.25.* postponunt. Quis ordo hîc observandus, quæritur? Ut oppositio φαινομένη tollatur, particulæ connexivæ & aliæ circumstantiæ probè veniunt attendendæ. Nos quoad utramque controversiam hîc sequimur Evangelistam *Lucam*, non tantùm quòd is ordinis sit tenacior, sed etiam quòd *c.22 v.21.* duas adhibeat particulas *Veruntamen* & *ecce* demonstrativâ, versiculum hunc cum proximè antecedente connectentes. Unde Patres quoque magno consensu. Judam proditorem, ut hospitem indignum, institutioni cœnæ interfuisse, panemque Domini (scil. sacramentalem, κοινωνίαν corporis Dominici) non panem Dominum i.e. non spiritualiter accepisse, volunt. Est enim spiritualis manducationis objectum totus Christus cum omnib⁹ suis beneficiis. Sic *v.18 c.22.* bibitionem poculi paschalis per conjunctionem causalem cum agni paschalis cœstione connectit. *Johannem* quod attinet, licet ille dicat, Judam statim post acceptam offulam exiisse, non tamen negat institutionem cœnæ fuisse interjectâ, sed cum hoc egressu Judæ proditoris ex diversorio egressum Christi ex urbe Hierosolymia connectit. *Matthæum & Marcum* quod concernit, sæpiùs ὕστερον πρότερον committunt, & ordine præpostero res suas proponũt: nec ejusmodi vinculis seriem rerum gestarum h.l. constringunt. Posito etiam ex Calvinianorum sententia, Corpus Christi spiritualiter duntaxat in cœna comedi, & Sanguinem ejusdem spiritualiter duntaxat bibi, ne sic quidem Christus semetipsum comedisset, ac sanguinem suum bibisset.

§. 3. *Usus* aphorismi hujus *in Theol. didactica* esse potest, non tam ordinem, quàm res ipsas scriptores istos sacros spectâsse, posse tamen ex circumstantiis & particulis connexivis, ut diximus, res gestas istas facilè contesserari. Quod ipsum nos docuerunt, qui harmonias Evangelistarum contexuerunt.

§. 4. *Usus in Theol Polemica* contra Pontificios & quosvis sacrarum literarũ contemtores, qui tales ὑστερολογίας ad probandam ipsius obscuritatem & vilipendium conciliandum in medium proferunt, esse potest.

APHORISMUS XIV.

Non est in scripturis objectio, quin remedium habeat in latere.

SCHOLIUM.

§.1. *Sensus.* Quantumvis hoc *Rabbinicum* ad קְרִי & כְּתִיב i.e. lectum & scr ptum

ſcriptum (quorum in hoc contextu, illud in margine habetur) reſpicere videatur, quin tamen harmoniam ſcripturarum ſimul adſtruat, extra dubitationis aleam poſitum putamus. Licet itaque ex lectione ſcripturarum ſcrupulus alicui ſubnaſcatur, eundem tamen ipſa ſcriptura eximit. Remedium iſtud vel ſtatim in con-
p.24 textu, vel in locis collateralibus habetur. E.g. Si ex lectione *c.8. ad Rom. v.3.* ſcrupulus alicui ſuboriatur, ac ſi CHRISTUS tantùm *in ſimilitudine carnis* noſtræ venerit, & quod volunt ſchematici, ſchema tantùm vel phantaſma humanæ naturæ, nō ipſam humanam naturam aſſumſerit, in latere ſtatim eximitur, cùm additur, *peccatricis*, quòd ſcil. propter infirmitates liberè, *κατ' οἰκονομίαν* aſſumtas (quæ aliàs ex peccato, tanquam ex fonte, profluunt) in ſimilitudine carnis peccatricis veniſſe viſus fuerit. Cùm Chriſtus *2. Cor. 5. v. ult. peccatum factus* dicitur, quit men à Spiritu S. conceptus erat, ſtatim remedium in contextu habetur, *quòd DEUS eum, qui non noverat peccatum, prò nobis fecerit peccatum* i.e. quòd illi, qui per inhærentiam ſanctiſſimus erat, imputata fuerint peccata noſtra, prout dicitur *agnus DEI, qui portat peccata mundi Joh 1. v. 29.* Si, quod faciunt Anti Trinitarii, ex loco *Rom 9. v. 5.* quis colligat, CHRISTUM eſſe nudum hominem, propterea *quòd ex Patribus originem traxerit, συνέχεια καὶ συνέπεια* remedium ſuppeditant, quòd ſc. *ſecundùm carnem* (quæ limitatio non fruſtra hîc additur) ex Patribus ſit, nihilominus idem ſit *DEUS ſuper omnia benedictus in ſecula.* Quod ſi contextus medicinam hanc non ſuppeditat, id faciunt loca collateralia paſſim obvia. V.G. Cùm vita æterna vocatur merces *Matth. 5. v. 12. merces veſtra copioſa erit in cœlis, Rom. 6. v ult.* vocatur *χάρισμα* i.e. *donum gratuitum.* Cui & tota ſcriptura conſonat. Quærendum itaque eſt aliud terrium, quàm debitum, aut ſymmetria, in quo vita æterna & noſtra bona opera, vel paſſiones propter Chriſtum conveniant, nim. ſuperabundans compenſatio, & quod detur in fine laborum.

§. 2. *Uſus* aphoriſmi hujus *didacticus* eſt, quòd de Scripturæ harmonia ſibi conſtante certiores nos faciat.

§. 3. *In Theologia polemica* contra Bibliomaſtygas uſus ipſius eſſe poteſt.

APHORISMUS XV.

Litera geſta docet, quid credas allegoria,
Moralis quid agas, quid ſperes anagogia.

SCHOLIUM.

§. 1.

Senſus. Autores ſuos hi verſus inſulſi facilè reſipiunt, Græcarum ſcil. literarum non admodum gnaros. Hoc autem ſibi volunt, ſenſum ſcripturarum eſſe quadruplicem, literalem, allegoricum, tropologicum & anagogicum. Id quod Scholaſtici & Doctores Pontificii exemplo Hieroſolymæ, quæ ſenſu literali ſigni-p.25
ficat terræ ſanctæ metropolin, ſenſu allegorico Eccleſiam, ſenſu tropologico pacis ſtudium, ſenſu anagogico vitam æternam, illuſtrant.

§. 2. Sed tenendum h l. ſenſum allegoricum, tropologicum & anagogicum non eſſe diſtinctas à ſenſu literali ſpecies, ſed unius ſenſus literalis accidentia diverſa, vel accommodationes. Orthodoxa noſtra ſententia eſt, quòd ſenſus ſcripturæ

vel

vel sit literalis vel mysticus. Literalis (qui etiam Grammaticus, Historicus, genuinus &c. dicitur) vel immediatè fluit ex litera, vel est figuratus à Spiritu S. tamen intentus. Prioris exempla in scripturis sunt frequentissima v.g. cùm Christus *Luc. 2. v. 21.* dicitur *octavo die circumcisus, in templo Hierosolymitano præsentatus v. 22.* posterioris cum Christus vocatur *agnus Joh. 1. v. 29. Herodes vulpes Luc. 13. v. 32. Christus oculos eruere, pedes amputare jubet Matth. 18. v. 8. 9.* Hic enim posterior, licet figuratus sit, à Spiritu S. fuit intentus. Ubi si quis literam contra mentem dicentis urgere vellet, vitium circa sensum literalem committeret, ut cùm *Judæi & novi Chiliastæ* literam urgent *de cohabitatione pardi & ovis, de conversione gladiorum in falces Es. c. 2. v. 4.* à mente dicentis passim in scripturis nobis patefacta non parùm aberraret. Mysticus sensus est accommodatio sensus literalis ad aliud: & in rebus potius, quàm verbis consistit, ut cùm Evangelista *Matth. c. 2. v. 18.* planctum Benjamitarum ex *Jer. 32.* accommodat ad matres Bethlehemiticas liberos suos ab Herode interfectos deplorantes. Vocatur etiam allegoricus, sed non in eo significatu, quo figuratus à Spiritu S. intentus. Hic enim versatur in verbis, ille verò in rebus. Sic, quæ *Paulus* de Sara & Agar ad duo Testamenta V. & N. accommodat, ἀλληγορέμενα dicit i.e. per allegoriam realem accipienda, *Gal. 4. v. 24.* Ut unius rei unica est forma: ita literæ unius unicus est sensus literalis, qui tamen ad res alias interdum vel ab ipso Spiritu S. in scripturis, vel à Theologis nostris accommodatur.

§. 3. *Usus* aphorismi hujus *didacticus est*, ut sensus literalis ab accommodationibus diversis ad res alias distinguatur.

§. 4. *In Theologia polemica* contra Scholasticos & Pontificios, qui sensum literalem, allegoricum, tropologicum & anagogicum distinctas sensus species faciunt, & sic omnem certitudinem tollunt. Audiamus super hac μεταμορφώσει Megalandrum *Lutherum in Commentario super Ep. ad Gal. majore pag. 254.* tragicè conquerentem: Also haben die müssigen/ ungelehrten und unversuchten Mönche und Sophisten vorgeben / daß die Schrifft vierley Verstand und Außlegung habe/ einen den der Buchstabe mit sich bringe/ den sie sensum literalem nennen / den andern/ den sie nennen tropologicum, da man die Schrifft den Leuten zum Exempel fürhält/ und sie vermahnet demselben nachzufolgen; den dritten allegoricum, welches ist eine heimliche verborgene Bedeutung; den vierdten anagogicum, wenn man den Verstand aller Dinge auf eitel himmlische Dinge ausser diesem Leben zeucht. Nach diesen viererley Sinnen/ oder Meynungen haben sie fast alle Wort in der gantzen Heiligen Schrifft außgeleget. Als wenn man allhier von Jerusalem handeln will/ nach dem ersten Verstand deß Buchstabens heists die leibliche Stadt im Jüdischen Land: Nach dem andern Verstand tropologicè heist es ein rein Gewissen. Nach der allegoria soll es die Kirche heissen/ so in diesem Leben auf Erden zu Felde liget/ und immerdar streiten muß. Nach der anagogia aber bedeutet es das himmlische Vatterland/ oder die herrschende Kirche ausser diesem Leben im Himmelreich. Mit solchen ungeschickten/ ungereimbten/ erdichten und altvetterischen losen Zoten / dardurch sie die Schrifft in so mancherley Meynung und Verstand zer-

riſſen/ haben ſie den Jammer angerichtet/ daß man die Gewiſſen von keinem Dinge recht gewiß und gründlich hat unterrichten und lehren können.

APHORISMUS XVI.

Solus ſenſus literalis argumenta firma ſuppeditat. Literæ inhærendum, niſi in abſurdum aliquod Theologicum impingat.

SCHOLIUM.

§. 1.

Senſus Aphoriſmi primi. Agnoſcit hoc ipſe *Bellarminus*, qui *libro 3. de verbo DEI c. 3.* ſcribit: *Convenit inter nos & adverſarios, ex ſolo literali ſenſu peti debere argumenta efficacia. Nam eum ſenſum, qui ex verbis immediatè colligitur, certum eſt, ſenſum eſſe Spiritus S. At ſenſus myſtici & ſpirituales varii ſunt, &, licet ædificent, cùm non ſint contra fidem & bonos mores, tamen non ſemper conſtat, an ſint à Spiritu S. intenti. Libro 1. de Euchariſtia cap. 5.* idem ſcribit: *Communis regula explicandæ ſcripturæ eſt, ut nunquam dimittamus proprium verborum ſenſum, niſi cogamur ab aliqua alia ſcriptura, vel ab aliquo articulo fidei, aut certè à communi totius Eccleſiæ explicatione* (quod tertium membrum nos non admittimus) *alioqui peribit fides, & remanebit opinio ſola de re-*
p. 27 *bus divinis, & aperietur porta infinitis erroribus.* Ejuſdem *libri c. 12.* inquit: *Cur ſequamur proprium ſenſum, non debent à nobis petere adverſarii* (Calviniani), *ſimile ſiquidem id eſſet, ac ſi quis quæreret abius, qui ſunt in itinere, cur ſequantur viam communem & tritam, vel cur ingrediantur per portam, non per feneſtram.* Hæc *Bellarminus* ἐφ ὁδοξίας tectis. Quod autem dicebat de ſenſibus myſticis & variis (allegorico, tropologico, anagogico) de illis, qui ab hominibus, non à Spiritu S. accommodantur, intelligit. V. g. cùm Doctores Eccleſiæ locum aliquem ad ædificandam fidem per allegoricum ſenſum, ad excitandam charitatem per tropologicum, ad fovendam ſpem per anagogicum accommodant. Cùm autem Spiritus S. ipſe facit applicationem, ſenſus myſticus fit literalis, ex quo ſimiliter argumenta firmiſſima dicuntur. V. G. Locus *Deut. 25. v. 4. Bovi trituranti non obligabis os*, literaliter de bobus irrationalibus, ut habetur apud Moſen, venit intelligendus, myſticè verò ſignificat, operarium eſſe dignum ſuâ mercede. Myſticus hic ſenſus quando *1. Cor. 9. v. 9.* ab Apoſtolo Paulo ad probandam ſententiam ſuam, quod Eccleſiæ miniſtris proſpiciendum ſit de ſalariis, aut operæ navatæ compenſationibus, adhibetur, fit literalis, ex quo contra Fanaticos argumentum firmum deducere poſſum, ſtipendia Miniſtris Eccleſiæ non eſſe denegenda. Sic locus *Oſ. c. 11. v. 1. Ex Ægypto vocavi filium meum* quantum ad ſenſum literarum, ut apud Prophetam extat, de Iſraëlitis, quos idololatria arguit, venit accipiendus, quia verò quoad hoc tertium comparationis, ingreſſum in Ægyptum & eductionem ex eadem, Iſraëlitæ typus erant Chriſti, myſticus ſenſus hujus loci eſt de CHRISTO. Hunc ſenſum quando *Matthæus* in hiſtoria Evangelica, *c. 2. v. 15.* ut egreſſum Chriſti ex Ægypto prædictum demonſtret, adducit, fit literalis. Sic locus *Ex. 12. v. 47. Os non comminuetis ei*, ſi ſpectatur in contextu apud Moſen, literaliter de agno Paſchali venit accipiendus, quia verò iſte

agnus

agnus typus erat Christi, sensus hujus loci mysticus est de Christo. Hic apud *Johannem* usurpatus, cùm ex eodem Christum à crurifragio liberum fuisse probat, *c.19. v.36.* fit literalis. Idem de typis aliis habendum, qui vel sunt innati, vel illati. Typos innatos ipsa scriptura explicat de Christo, ut typum *serpentis anei Ioh.3. v. 14. agni paschalis 1.Cor.5.v.7. sacrificiorum V.T. passim in epistola ad Hebraos*: illati ab Ecclesiæ Doctoribus probabiliter adhibentur. De applicatione hac diversa vel ab hominibus, vel ab ipso Spiritu S. facta non inconcinnè rursus loquitur *Bellarminus* ὀρθοδοξίας testis *l.2. de gratia & libero arbitrio c.11. Quamvis*, inquit, *ex mystico sensu non soleat fieri solidum argumentum, tamen cum mysticus*
p.28 *sensus in ipsa Scriptura exponitur solidissimum argumentum conficitur. Illa enim expositio mystici sensus scripturæ V.T. non est mystica, sed literalis sententia Scripturæ N.T. Et libro 3. de verbo DEI c.3. Augustinus in epistola 48. ad Vincentium meritò ridet Donatistas, qui ex illis verbis mysticè explicatis, indica mihi, ubi pascas, ubi cubes in meridie, colligebant, Ecclesiam Christi in sola Africa mansisse. Hieronymus quoque in Commentario super c. 13. Matth. docet, fidei dogmata ex mysticis sensibus (si sc ab hominibus ex scripturis eruuntur) efficaciter confirmari non posse.* *Bellarminus* à fratribus Cadmæis dissentiens. Ubi contra *Calvinum* Judaïzantem & sequaces notamus, quòd ille sæpius mysticè ac typicè de Christo exponat, quòd literaliter de Christo, tanquam subjecta istus loci materia, fuisset accipiendū. V.g. cum *Psal.22.40,69.* & alia plura de Davide literaliter exponat, cùm tamen Davidis manus ac pedes nunquam fuerint perfossi, nec super vestimentis ipsius sors missa, nunquam de ipso in capite libri scriptum fuerit, nunquam felle sitiens potatus fuerit. Idem de pluribus aliis locis, quorum συνάφεια probè venit inspicienda, judicandum.

§. 3. *Secundum aphorismum* quod concernit, literæ inhærendum esse, nisi in absurdum aliquod Theologicum impingat, ex dictis jam etiam lucem accipit. Sic exponentes verba cœnæ non immeritò literæ inhæremus, quia sensus ejus non refragatur aliis scripturis, aut articulis fidei, sed potius ab iisdem stabilitur, licet in judicium rationis impingat. Si sedem propriam verborum respicimus, *oclies* hæc verba secundùm utramque speciem apud Evangelistas & Paulum leguntur. Jam quid facilius fuisset, quàm vel semel dicere, τοῦτο σημαίνει τὸ σῶμά μου i.e. hoc significat corpus meum, vel, τοῦτό ἐστι τὸ σῶμά μου σημεῖον i.e. Hoc est signum corporis mei, si τὸ αὐτὸν deserendum esset, & quærenda διάνοια. Licet etiam Lucas & Paulus in altera specie propositiones adhibeant usuales (in quibus usus de re prædicatur) non reales (in quibus res de re prædicatur) ut Matthæus & Marcus, nequaquam tamen usuales sunt tropicæ, ut ex posterioribus analyticis discimus. Aliud enim est dici de aliquo, aliud dici pro alio, vel substitui alterius loco. In tropo vox una pro altera ponitur, aut substituitur. Tantum etiam abest, ut doctrina nostra de cœna repugnet aliis scripturæ locis, ut potius ab iisdem stabiliatur, utpote, cum *Paulus 1.Cor.10.v.18. Panem, quem frangimus (i.e. in cœna distribuimus)* vocat κοινωνίαν i.e. *communicationem corporis, & poculum, cui benedicimus, communicationem sanguinis Christi.* Sic quando

eodem in capite v.21. corpus & sanguis Dominicus non secus ac idolothyta participa-
p.29 *ri* dicuntur, τὸ ῥητὸν etiam statuminatur. Idolothyta siquidem ore corporis â Corinthiis participabantur. Hic locus reverâ parallelus est, vel ipsorum Antagonistarum confessione. Quem verò adducunt ex *c.6. Ioh.* non est parallelus & homogeneus, sed heterogeneus & peregrinus. Quod si ex tali loco quæsitum probetur, μετάβασις εἰς ἄλλο γένος committitur. Nec analogiæ fidei repugnat τὸ ῥητὸν, vel literalis sensus, sed potius ab eadē confirmatur, quia constat ex tota scriptura, præsertim *epistola ad Coloss. 2. v.17. & ad Hebr. 10. v.1.* quòd V. T. habuerit σκιὰν i.e. umbram, Novum Test. ipsum τὸ σῶμα i.e. corpus Christi. Unde regula Theologorum: Sacramenta imitantur naturam eorum Testamentorum, quorum sunt Sacramēta h.e. quia Vetus Testamentum habuit umbram, materia cœlestis in Sacramentis Veteris Testamenti tantùm est typica: quia verò Nov. Test. habet ipsum corpus Christi, materia cœlestis N. T. est realis, non typica. Fuisset etiam Vetus Test. novo longè clarius, si panis tantùm significaret, aut repræsentaret, non exhiberet corpus Domini, quia per agnum paschalē multis modis evidentius, quàm per panem, adumbrari potuisset. Articulus de ascensione Christi literali sensui verborum cœnæ non refragatur, sed in Adversarios potius retorqueri potest. Idcò enim ascendit, ut sederet ad dextram Patris & ad χρῆσιν universalem divinorū ἀυχημάτων secundùm humanam naturam sibi communicatorum, cujusmodi etiam est omnipræsentia, pertingeret. Falsa etiam est hypothesis Calvinianorum de cœlo Monastico & phantastico supra stellas fixas posito, in quod Christus per ascensionem suam sit ingressus. Ita enim conversationem suam visibilem per ascensionem suam in cœlum nobis subtraxit, ut nihilominus invisibiliter nobiscum maneret usque ad consummationem seculi, secundùm promissionem suam *Matt. 28. v. ult.* cujus etiam præsentiæ suæ specimina plura in actis Apostolicis, epistolis Paulinis & apocalypsi Johannis consignata edidit. Relinquitur itaque, quòd sensus literalis verborum cœnæ tantùm in judicium rationis impingat, quod hîc non attenditur. Et hæc paulò fusius propter media scripturas interpretandi nobiscum communia cum Calvinianis diducere placuit.

§. 3. *Usus* aphorismi hujus *didacticus est*, cum sensum, qui fluit ex litera, super quem omnium legentium, aut audientium intellectus cadit, nisi corrigatur ab ipsa scriptura in locis aliis, aut absurdū aliquod Theologicum secum vehat, præoptimis esse attendendum. Nam scriptura sese attemperans conceptui nostro res ar-
p.30 duas & sublimes simplici dicendi genere proponere, scaphamque scapham *dicere* solet.

§. 4. *Usus in Theologia polemica* est contra Pontificios istos, qui validissima ex sensu mystico argumenta desumi posse censent, utpote quādo *Cornelius à Lapide* in encomio scripturæ *Commentario super Pentateuchum præfixo* inquit: *Historicus* (literalis) *scripturæ sensus est prior, sed mysticus est potior, & ex hoc, uti ex illo, validissimum trahit Theologus dogmatis sui stabilimentum.* Id quod Pontifices observant in praxi v. g. cùm *Innocentius 3. canone solitæ in extravagantibus de majoritate & obedientia* primatum Pontificis ex sensu mystico *c.1. Gen.* probat hunc in modum:

modum: *Ad firmamentum cœli, h.e. universalis Ecclesiæ, fecit DEUS duo luminaria magna, h.e. duas dignitates instituit, quæ sunt Pontificialis autoritas & regalis potestas. Sed illa, quæ præest diebus h.e. spiritualibus, major est altera, quæ noctibus, h.e. carnalibus præest, minor*: ut, quãta est inter Solem & Lunam, tanta inter Pontifices & Reges differentia cognoscatur. Sic *Bonifacius octavus Can. unam sanctam titulo eodem* ex sensu mystico *Lucæ* 22. jus utriusque gladii Pontifici vendicat: *Dicentibus Apostolis, ecce hic duo gladii, sc. in Ecclesia, non respondet Dominus, nimis est, sed satis est E. in Ecclesia sunt duo gladii, spiritualis scil. & temporalis.* Hæc Pontifices isti. Quod si prius probata (cujusmodi φορτικώτατα hæc non sunt) per sensum ejusmodi mysticum, ut à nobis applicatur, illustrentur, res alio modo se haberet. Usus in polemicis est *adversus Calvinianos & Socinianos*, qui, cùm incomprehensibile quid rationi proponitur in scripturis τὸ ῥητὸν deserendum & quærendam διάνοιαν, censent.

APHORISMUS XVII.

Theologia allegorica non est argumentativa.

SCHOLIUM.

§. 1.

Sensus. Per allegoriam h.l. non sensus figuratus à Spiritu S. intentus, nec allegoria ex mystico sensu resultans ab ipso Spiritu S. in N.T. applicata, sed quam nos ex sensu literali elicimus, intelligitur. E.g. Cùm ex parabola de homine incidente in latrones *Lucæ* 10. versiculis pluribus, Põtificii, quòd semimortuus fuerit relictus, liberi arbitrii vires, in spiritualibus & quod Samaritanus mercedem operibus supererogationis promittat, opera supererogationis (rectiùs superarrogationis) probare conantur. His opponendus est canon dictus, quòd Theologia allegorica p. 31 non sit argumentativa, & quòd in explicatione parabolarũ ejusmodi (nisi Christus ipse parabolam explicet) minutissimi apices nõ sint excutiendi, sed respiciendus scopus, qui est h.l. monstrare proximum. Interim tamen quod dicitur de homine semimortuo, vel de viribus naturalibus (de quibus *Bernhardus* dicit, *quòd in naturalibus homo sit vulneratus, in spiritualibus planè mortuus*) vel de capacitate conversionis passiva intelligi potest. Per τὸ πέρδαπανᾶν i.e. ulterius insumere non opera indicata & commendata, vel consulta, quæ præceptis, imperatis & mandatis à Pontificiis opponuntur, sed potius fidele studium & beneficentiæ continuatio intelligitur. Idem Canon opponi potest Pontificiis, quando ex parabola de laborantib. in vinea meritum bonorum operum probare nituntur, quod tamen scopo CHRISTI contrarium. Interim quod de denario dicitur, licet interpretes hîc varient, & quidam ejusdem nomine dona gratiæ, quidam gradus in vita futura, quidam aliud quid intelligant, ad commodissimum tamen sensum revocari potest, si jus æternæ vitæ per eundem intelligatur. Qua de re *disput.* 10. *de Justif. Dn. D. Hopfneri* videri potest.

§. 2. *Usus* aphorismi hujus *in didacticis* esse potest, ex evidentibus argumenta firma esse petenda, non ex incertis & analogiæ fidei repugnantibus.

§. 3. *In polemicis* adversus Pontificios, & alios, qui probationes dogmatum fidei ex allegoriis incertis, ab ipsa scriptura minus explicatis, desumunt.

APHO-

APHORISMUS XVIII.

Scriptura non deficit in neceſſariis, nec abundat ſuperfluis.

SCHOLIUM.

§. 1.

Enſus. Quod aliàs de natura dicunt Phyſici, eandem non deficere in neceſſariis, nec abundare ſuperfluis, id ad ſcripturam Theologi accommodârunt. Hoc ipſo ſiquidem, ſcripturam in iis, quæ cognitu neceſſaria ſunt ad ſalutem, perfectam eſſe, nec tamen in reliquis vel apicē eſſe ſi uſtraneum, docere voluerunt. Perfectio finis hîc intelligitur, quod nihil ipſi deſit eorum, quibus finem, æternam ſcil. ſalutem, conſequi licet. Sic *Joh. c. 20. v 31.* inquit: *Hæc ſcripta ſunt, ut credatis, IE-*
p. 32 *SUM eſſe CHRISTUM Dei filium, & ut credentes vitam habeatis in nomine ipſius.* Præſtat etiam omnes uſus Theologicos in credendis & faciendis, in θέσει & ἄρσει, cùm *nos inſtruit ad διδασκαλίαν καὶ ἔλεγχον*, ad *παιδείαν τὴν ἐν δικαιοσύνῃ*, *& hominem DEI*, vel Miniſtrum Eccleſiæ (ut Prophetæ olim Viri DEI appellabantur) *facit ἄρτιον* i.e. *perfectum, ad omne bonum opus*, ſcil. miniſterii ſui pertinens, *inſtructum*, *2. Timoth. 3. v. 16, 17.* Hinc etiam divina Majeſtas *Deut. 5. v. 32.* ne quis addat, aut demat verbis iſtius, præcipit. Et *Johannes* non tantùm coronidem impoſituru s apocalypſi ſuæ, ſed etiam canonem Biblicum obſignaturus in hæc erumpit verba: *Conteſtor omni audienti verba prophetiæ libri hujus, ſi quis appoſuerit ad hæc, apponet DEUS ſuper illum plagas ſcriptas in hoc libro: & ſi quis diminueret de verbis libri prophetiæ hujus, auferet DEUS partem ejus è libro vitæ & è civitate ſanctâ, & ex his, quæ ſcripta ſunt in hoc libro, Apoc. 22. v. 18, 19.* Quantumvis non eamus inficias citari plures libros, v.g. librum juſtorum, librum bellorum Domini, dicteria Salomonis phyſica &c. ſed, an unquam fuerint in canone, vel catalogo librorum ſacrorum, dubitatur. Nec enim citantur in N. T. nec θεόπνευστοι (poſito, libros iſtos à θεοπνεύστοις fuiſſe profectos) ſed interdum ut perſonæ privatæ. Id quod patet exemplo Davidis, qui Pſalmos ſuos, ipſo fatente Salvatore, *Matth. 22. v. 43. ἐν πνεύματι, per Spiritum S.* ſcripſit, cujus tamen litteræ ad Uriam datæ à Spiritu S. nullatenus fuêre profectæ; ut & Prophetarum, qui, quando de voluntate divina inſtruere debebant homines, revelationes prius expectârunt. Unde noſtrates inter ſermonem Prophetæ & ſermonem Propheticum diſtinguūt. Fatemur etiam, non omnes Chriſti conciones, non omnia miracula, fuiſſe conſignata, ſufficit tamen ut hîc habeamus genera ſingulorum, licet non ſingula generum, prout *Johannes* id ipſum confirmat, & diſtinctionem hanc ſuppeditat, *c. 21. v. 23. hiſtoriæ ſuæ Evangelicæ*, cùm inquit: *Sunt autem & alia multa, quæ fecit IESUS, quæ ſi ſcribantur καθ' ἕν* i.e. *quodq; ſigillatim, nec ipſe mundus, opinor, caperet eos libros.* Quod ſi etiam vel ſola Pentateuchus Moſaica, vel ſolus codex Biblicus V. T. canon perfectus fuit ſui temporis i.e. pro iis, qui tunc vivebant, cur noſtro tēpore canon Biblicus utriuſq; Teſtamenti non ſufficeret? Nec enim diverſum ſpecie, ſed numero duntaxat i.e. uberiores explicationes, illuſtrationes, typorum & vaticiniorum complementa poſteriores libri adjecerunt. Dico diverſum ſpecie, quia utrumque doctrinæ genus,

legem

legum & Evangelium, & Patres antedi-
[33] luviani, & postdiluviani, qui Mosis, Christi & nostris temporibus vixerunt, habuêre. Μία πίστις i.e. *una fides* sc. objectiva, est, dicit *Apostolus ad Eph.4.v.4.* Hinc in dogmaticis non tantùm id, quod contra, sed etiam quod præter scripturam affertur, rejiciendum, ut docet Apostolus *Gal.1.v.8.* Cæterùm, *etiâsi nos, aut Angelus è cœlo prædicaverit vobis Evangelium παρ' ὃ* præter id, *quod prædicatum est vobis, anathema sit.* Id quod *versiculo sequente* repetit, *versiculo verò sexto & septimo* etiam ἄλλο ἢ ἕτερον i.e. *aliud & diversum Evangelium, in 2.Tim.1.v.3.* τὸ ἑτεροδιδασκαλεῖν i.e. *diversam tradere doctrinam prohibet.* In *1.Cor.4.v.6.* ne quis sapiat *supra id*, ὑπὲρ ὃ i.e. supra id, quòd scriptum est, præcipit: in *Actis autem c. 26.v.22.* se *nihil ἐκτὸς τῶν προφητῶν* i.e. *extra Prophetas prædicare*, dicit. Superfluis etiam hic liber nullatenus redundat, quia, ut *aphorismo septimo* audivimus, nullus in scripturis apex habetur, à quo non dependeant doctrinarum montes, qui licet non ad sufficientiam, ad ubertatem tamen cognitionis faciunt.

§.2. *Usus* aphorismi hujus *in didacticis est*, nos esse debere contentos iis, quæ docentur in scripturis sacris, non ad traditiones dogmaticas, quæ præter & contra scripturam afferuntur, aut peregrinam doctrinam quamcunque *Hebr.c.13.v.9.* attentos.

§.3. *In polemicis* contra Pontificios, qui scripturam imperfectionis arguentes inter verbum DEI ἔγγραφον & ἄγραφον distinguunt, suasque traditiones verbo scripto assuunt, ut & omnes eas Ecclesias, quæ libros Apostolorum, aliis Ecclesiis ignotos, scripturis jungunt.

APHORISMUS XIV.

Multa sunt in scripturis, etiamsi non dicantur.

SCHOLIUM.

§.1.

Ensius. Cum Scripturæ perfectionem adstruimus, non hoc volumus, nihil esse docendum in Ecclesia, quod totidem literis & apicibus in scripturis non extet, sed quod etiam ea, quæ per διάνοιαν & bonam consequentiam ex scripturis eliciuntur, Pars sint doctrinæ Christianæ. Nec consequentias istas tantùm opus rationis esse, putandum, quin potius rationem à scriptura informatam consequentias (ut & connexiones rerum in propositionibus) non facere, sed tantùm ostendere, habendum. Videatur *Cornelius Martini de analysi formæ.* Nam quæ per consequentias eliciuntur, potentiâ insunt principiis suis, ex quibus eliciuntur.

§.2. Modum hunc probandi nos
[34] Christus & Apostoli docuerunt. E.g. Cùm probaturus erat adversus Sadducæos animarum immortalitatem & mortuorum resurrectionem ex dicto V.T. quod habetur *Ex.3.v.6.* ubi *DEUS, Abrahami, Isaaci & Jacobi* jam dudum defunctorum *DEUM se vocat*, id probat *Matth. 22.v.32.* Colligit inde Salvator, quòd DEUS non sit Deus mortuorum, sed vivorum: & rursus, quòd Abraham, Isaac & Jacob vivant. Collectio hæc in talem syllogismum compingi potest: Qui post mortem suam adhuc DEUM habent, illi vivunt. Abrahamus, Isaacus & Jacobus post mortem suam DEUM habent. E. Vivunt. Quòd autem ex dicto tam obscuro quæstionem probet, non ex *Psal.31. vers.6. in manus tuas commendo Spiritum*

meum, quo ipse Salvator exspiraturus in cruce fuit usus, aut ex *Ecclesiaste c.12.v.7. Spiritus redit ad DEUM, qui dedit eum* (clariora siquidem sunt) rationem adducunt nonnulli, cui fidem facit *Josephus*, quòd Sadducæi tantùm Pentateuchum, sive legem ex scriptis V.T. receperint, & sic unum armamentarium telis utrumque instruxerit. Sic Salvator eodem *cap.22. Matth.v 43. & seqq.* ex verbis *Psalmographi* regii: *Dixit DOMINUS Domino meo, sede à dextris meis*, probat, Messiam non tantùm Davidis filium, & sic φιλάνθρωπον i.e. nudum hominem esse, propterea quòd nullus Pater filium suum vocet Dominum. Sic Apostolus *Rom.3.v.28.* ex præmissis de nostra corruptione per peccatum, de DEI gratia & Christi propitiatione infert, nos ex fide, non ex operibus justificari. Λογιζόμεθα, inquit, id est ex dictis inferimus, *hominem ex fide, non ex operibus justificari.* Sic termini Ecclesiastici, vel Scholastici, quibus utimur propter adversarios è latibulis commodiùs extrahendos, ὑποστάσεις, pœdobaptismi, peccati originalis, liberi arbitrii, communicationis idiomarum, unionis personalis, Sacramentalis &c. licet quoad totidem literas & apices nõ extent in scripturis, approbantur tamen & retinentur à Theologis, quòd res terminis istis contenta in scripturis reperiatur.

§.3. *Usus* aphorismi hujus *didacticus* est, quòd pro fidei dogmatibus etiam habenda sint, quæ potentiâ scripturis insunt, & per bonam consequentiam ex iisdem eliciuntur. V.G. Conversionem hominis electi non esse irresistibilem, distinctionem inter voluntatem signi & beneplaciti, ut à Calvinianis adhibetur, recto talo subsistere non posse, fidem electorum non esse insuperabilem & inseparabilem, infantes Christianorum parentum à primo nativitatis momento non esse in fœdere gratiæ &c. Ubi ὡς ἐν παροδῷ καὶ παρέργῳ attingimus, dogma, vel articulũ fidei diversimodè dici, vel quod P.35 creditur fide divinâ, quia scil. in scripturis nobis revelatum est, vel quod influit in naturam fidei salvificæ, aut cum contentis in illa proximè cohæret.

§.4. *Usus* aphorismi hujus *in polemicis* est contra Socinianos, qui etiam vocabula in sacris literis κατὰ τὸ γράμμα contenta requirunt, quando controversias tractant Theologicas, v.g. vocabulum satisfactionis; maximè contra novos Syncretistas illos, quos Nicolaitanos vocare possemus, qui, rejectis terminis Ecclesiasticis & Scholasticis, Biblicis tantùm in controversiis utendum esse censent, ut sc. commodiùs hæreses sub ambiguitatibus latere possent, à quib° non procul absunt Remonstrantes. De vocabulo satisfactionis, quòd Sociniani tantopere urgent, notetur, illud in sacris literis contineri, & quidem *Marci 15.v.15.* ubi dicitur, *Pilatus volens populo ἱκανὸν ποιεῖν* i.e. *satisfacere*, verùm cùm alia subjecta est materia: nobis sufficit, rem hâc voce contentam in scripturis haberi, quod à nostris jamdudũ solidissimè fuit probatum. Magnam tamen cognationem cum verbo *ἱκανὸν ποιεῖν* habet verbum περιποιεῖν, præsertim cũ acquisitionis medio constructum, quod de subjecta materia legitur *Act.20.v.28.* ubi dicitur, *DEUM δι ἰδίου αἵματος περιποιήσασθαι* i.e. *proprio sanguine acquisivisse Ecclesiam.*

APHORISMUS XX.

Quæ præter scripturas afferuntur traditio-

traditiones vel ſunt fidei dubiæ, vel inter ſe contrariæ, vel corruptelis obnoxiæ. Item, Traditionum aſſumentum non eſt aſſumendum.

SCHOLIUM.

§. 1.

Enſus. Voce traditionum hoc loco dogmaticas, quę præter & contra ſcripturam afferuntur, non rituales, non hiſtoricas, non teſtificatorias, non exegeticas ſcripturis conformes, non ipſam doctrinam traditam intelligimus. De his enim poſterioribus inter nos & Pontificios non controvertitur. In aphoriſmo dicitur, quòd *præter ſcripturas* afferantur, quia ut in ſcholio aphoriſmi 18. audivimus, non tantùm ἀντίγραφον, ſed & ἄγραφον prohibitum eſt. Præterea Chriſtus ipſe traditiones non ſcriptas rejicit, quando cultus. aut fidei dogmata inde cudumtur *Matth. 15. v. 6. Irritum feciſtis præceptum DEI propter traditionem veſtrã.*
p. 36 Et *v. g. Fruſtra me colunt docentes doctrinas hominum.* Sic Apoſtolus ἐθελοθρησκείας rejicit ad *Coloſſ. 2. v ult.* Judæos ſanè traditiones ſuas crepantes Pontificii ad ſcripturas revocant: cur nõ idem cum Pontificiis nos agamus? Sed fingunt à Chriſtõ & Apoſtolis traditiones ſuas eſſe profectas, & hûcusque vivâ voce propagatas. His refragantur in aphoriſmo contenta membra. Si penitius in primam traditionum Papalium originem inquirim⁹, vel Pontificum placita, vel conciliorum decreta, vel Patrum dicta, vel Scholaſticorum theoremata, vel Monachorum ſomnia deprehendimus. Sic Chriſtum & Apoſtolos contraria docuiſſe, vel unâ manu deſtruxiſſe, quod adſtruxerint alterâ, credibile non eſt. Traditiones autem Pontificiorum ſibi non rarò adverſantur v. gr. de purgatorio, quod ſecundùm quoſdam ſit in quovis loco, etiam in balneis, in vepribus, ſecundùm alios in ſphæra ignis ſub concavo Lunæ contenta, ſecundùm alios circa centrum globi terreni. De cõceptione immaculata B. ſemperviginis Franciſcani traditionem à S. Brigitta profectam; Dominicani à Catharina Senenſi relictam jactitant. Et ſic in aliis. Corruptelis obnoxiæ ſunt, quia modus propagãdi aliquid per vivam vocem, præſertim, ſi longiſſimus temporum tractus intervenerit, tam certus nõ eſt, quàm per ſcripturam. Unde proverbialis locutio: *Dictio dicta perit, litera ſcripta manet.* Item: *Dicit & auditis aliquid novus adjicit autor.* Hinc toties divina Majeſtas, ut in ſcholio aphoriſmi 1. probavimus, Prophetas & Apoſtolos ſcribere juſſit.

§. 2. *Uſus* aphoriſmi hujus *in didacticis* eſt, ſolam ſcripturam S. eſſe controverſiarum & credendorum normam.

§. 3. *In polemicis* contra Pontificios, qui ſcripturam tantùm partialem normã eſſe volunt, ipſique traditiones ſuas non ſcriptas pari pietatis affectu ſuſcipiendas aſſuunt.

APHORISMUS XXI.

Quicquid in Patribus ſcripturarum autoritati congruit, cum laude eorum recipito, quod non congruit, cum pace eorum rejicito. Patres fuerunt lumina, non numina.

SCHOLIUM.

§. 1.

Ensius. Dictum hoc est *Augustini*, quod *Cresconio Grammatico*, mutatis mutandis opponebar. Cùm enim Grammaticus iste Cypriani Martyris, Doctoris in Ecclesiis transmarinis sesquiseculo propemodum antiquioris autoritatem opponeret Augustino, respondebat: *Quicquid in Cypriani scriptis sacrarum literarum autoritati congruit, cum laude ipsius recipio: quod non congruit, cum pace ipsius rejicio.* Tantùm enim *superstructi sumus super fundamentum Prophetarum & Apostolorum, summo lapide angulari existente CHRISTO JESU Eph. 2. v. 20.* Patres autem non habent privilegium infallibilitatis, nec sua scripserunt cum credendi necessitate, sed judicandi libertate. Quin & retractionum libros scripserunt. Ubi addimus obiter, Bibliothecas Patrum duobus oculis, prudentiæ & caritatis esse perlustrandas: *Prudentiæ*, ne scripta genuina cum suppositiis, aut castratis; recentiora, quæ plus impuritatis attraxerunt, cum antiquioribus; & sic antiquitas aurea cum plumbea, didactica cum polemicis & homileticis confundatur: *Caritatis*, quando vel seculi vitio, veluti torrente quodam, in transversum fuerunt abrepti, vel ante motas controversias locuti fuerunt securiùs vel scribendo profecerunt, aut proficiendo scripserunt. Nec enim ullus facilè reperietur ex Patribus, qui suis careat nævis. Quantumvis Patrum pudenda, quantum quidem per conscientiam fieri potest, sint tegenda.

P. 37

§. 2. *Usus* hujus aphorismi esse potest *in didacticis*, quòd patrum scripta non sint norma credendorum, sed tantùm eatenus admittenda, quatenus cum scripturis sacris conveniunt. Etiamsi autem scripturis σύμφωνα dicant, non tamen parem cum scriptutis autoritatem obtinent, cũ hæc divina sit, illa duntaxat humana. Nec enim θεόπνευστα sunt ἀμέσως, sed ἐμμέσως i.e. cõtinent materiam, quæ olim Prophetis & Apostolis divinitus fuit inspirata. Propter consensum iraque, propter historiam, propter responsionem ad hominem, propter fractam in difficilioribus glaciem Patres utiliter legi possunt.

§. 2. *Usus in polemicis* esse potest tum contra Pontificios, tum contra Socinianos, quorum illi peccant in excessu, hi verò in defectu. *Pontificii* fidei dogmata probant ex Patribus tum vetustioribus, tum recentioribus, prout Patrum nomen ad Doctores etiam recentiores extendũt. Nihilominus quãdo in disputatione πρὸς ἄνθρωπον autoritate Patrum premuntur, ad κρησφύγετα varia confugiunt, jam suppositia esse scripta clamitantes, jam ausu nefario eadem castrantes, jam ab hæreticis esse corrupta prætendentes, jam Patres privatos, ut loquuntur, Patri Patrum, Pontifici R. subjicientes. *Socinians* & *Anti Trinitarii alii* peccantes in defectu, minimum scriptis Patrum tribuunt, Athanasium Satanasium, Vigilium Dormitium, Justinum Martyrem Theologum Platonicum, alios aliter vocantes, & sub ejusmodi contumeliosis titulis cosdẽ ostentui habentes. Pontificiis etiam eos Theologos, Aug. Confessionis socios, ut dici volunt, jungere possumus, qui Patres priorum quinque seculorum Theologiæ principium secundarium faciunt. Duplex enim principium Theologiæ, primarium, scripturam sacro-sanctam, & secundariũ, Patres priorum quinque seculorum constituunt.

P. 38

ſtituunt. Ut ut autem Patres iſtos in comparatione ad ſequentes & ſequioris Theologiæ aſſeclas, puriores habeamus, nequaquam tamen ipſorum ſcripta pro fidei principio poſſunt haberi, cùm privilegio infallibilitatis deſtituti fuerint, & ad ipſos non ſecus, ac alios citeriorum temporum Doctores illud Apoſtoli *ad Eph. 2. v. 20.* pertinuerit: *Superſtructi eſtis ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum, lapide angulari exiſtente CHRISTO JESU.* Quid? quòd principium ſecundarium implicet, cum principii nomine venire nequeat, quod alteri principio eſt ſuperſtructum. Ita cum grano ſalis accipienda venit diſtinctio, cùm libri Biblici in Proto-Canonicos & Deutero-Canonicos dividuntur. Per hos enim poſteriores non intelligitur norma, vel principium fidei ſecundarium, ſed quòd apocryphi comparatè ad ſpurios & rejiculos (cujusmodi ſunt *tertius Maccabæorum, tertius & quartus Esdræ &c.*) & ſic in lata ſignificatione canonici dicti locũ ſecundarium in canone, vel catalogo librorum ſacrorum inveniant, vel quòd ad catalogum laxiorem, non ſtrictiorem, pertineant.

APHORISMUS XXII.

Errant Concilia, quæ, Concilia errare poſſe, negant.

SCHOLIUM.

§. 1.

Enſius. Concilia vulgò dicuntur Eccleſia repræſentativa, non in eo ſignificatu, quaſi Papa cum Prælatis, vel etiam Papa ſolus Eccleſiam repræſentet, ſed quòd ex omnium ſtatuum nobiliorib. membris olim fuerint collecta & congregata. Magna verò differentia eſt inter Concilium primum ab Apoſtolis & Apoſtolicis Viris, quibus privilegium infallibilitatis cõpetebat Hieroſolymis *Actor. 15.* celebratum, ubi decidebatur controverſia, *num gentiles ad Chriſtianiſmum converſi jugo legis Moſaica ſint onerandi?* & inter Cõcilia ſeqq. temporibus coacta. Hæc ſiquidem eatenus duntaxat fidem merentur, quatenus cum ſacris literis congruunt.

§. 2. Sunt autem vel Oecumenica vel particularia: & hæc vel nationalia, vel provincialia, vel diœceſiana. Oecumenica quibusdam ſunt quatuor, quibusdam ſeptem numerantur. Nos prioribus adhæremus, præſertim quod ſeptimum, Nicænum ſecundum dictum, idololatriam ſtabiliverit. Oecumenicum primum fuit Nicænum primum currente ſeculo quarto ab Imperatore Conſtantino convocatum, in quo hæreſis Ariana, quòd Filius Patri non ſit ὁμοούσιος, licet ὁμοιούσιος dici queat, ὀρθοδοξίαν inter alios propugnante Athanaſio, fuit confutata. Secundum in ordine fuit Conſtantinopolitanum primum, eodem vergente ſeculo à Theodoſio Seniore congregatum, in quo Macedoniana hæreſis, quòd Spiritus S. non ſit verus DEUS, Cyrillo Hieroſolymitano veritatem inprimis defendente, fuit oppreſſa. Tertium fuit Epheſinum, ſeculo currente quinto à Theodoſio juniore coactum, in quo Neſtoriana hæreſis, χριστόλυσιν faciens Cyrillo Alexandrino veritatis cœleſtis patrocinium ſuſcipiente, fuit refutata. Quartum fuit Chalcedonenſe, ſeculo eodem quinto circa medium ab Imperatore Martiano indictum, in quo hæreſis Eutychiana, duas in CHRISTO naturas in unam confundens, partes præcipuas hîc ſuſtinente Theodoreto Cyri Epiſcopo, erroris fuit convicta. Ubi poſteriora p. 39

ſteriora concilia obſignârunt & confirmarunt priora. Quod autem Gregorius M. Epiſcopus Romanus parem cum quatuor Evangeliis autoritatem hiſce Conciliis tribuat, in eo toto, quod dicitur, cœlo aberrat. Ad normam ſiquidem & tiutinam ſacrarum literarum in hiſce Conciliis omnia fuerunt examinata & deciſa. *Pulchra veterum Conciliorum fuit forma*, ſcribit *Cuſanus*, (ut ex eodē refert *Schroderus in Diſpp. ſuis Theol. Diſp. 1.*) *quòd ſacra Evangelia poſita fuerint in medio.* Particularia numero fuerunt plura, &, quò propius acceſſerunt ad Apoſtolorum tempora, puriora, quò remotius abfuerunt, impuriora. Poſtquam autem eò devenium in Eccleſia R. ut ultima fidei analyſis in Pontificem (quem pro verbo & Eccleſia habent) terminaretur, & in Conciliis quædam obſtare ſibi viderent, cribrationem eorum inſtituerunt, & inter ea, quæ probata fuerunt à Pontifice R. quæ minus probata, quæ nec approbata, nec improbata fuerunt, diſtinxerunt. Ut enim approbationem Pontificis veram notam miraculorum, reliquiarum &c. ſuper quibus controverſia movetur, ſic & Conciliorum fuerunt: inprimis conciliabula ſua magni fecerunt.

§. 3. *Uſus* hujus Canonis, vel aphoriſmi eſt *in didacticis*, quòd ſolum DEI verbum pro credendorum norma debeamus agnoſcere, conciliis verò, quatenus cum hoc conſentiunt, fidem habere.

p.40 §. 4. *In polemicis* adverſus Pontificios, qui concilia etiam (quatenus in rem ſuam facere videntur) orthodoxæ noſtræ ſententriæ opponunt. Quod ſi autem confluges errorum in ullo Conciliorum, ab Apoſtolorum temporibus habitorum, reperitur, id certè Tridentinum eſt, in quo ſub anathematis fulmine ὀρθοδοξία per omnes fidei articulos fuit damnata. Licet pii Confeſſores noſtri ad Concilium provocaverint, rale tamen non fuit Concilium Tridentinum, cujusmodi fuit ab ipſis expetitum. Confeſſores Concilium liberum, in Germania & quidem ab ipſo Imperatore more veterum convocandū, in quo fidei dogmata ſecundùm ſacrarum literatum normam deciderentur, expetierunt. Concilium autem Tridentinum fuit tyrannicum, in quo Pontifex per ſuos legatos, Cardinales aliquot præſedit, & ſimul fuit actor, reus & judex; non in Germania, ſed Italia, in loco inſidioſo, ad radices Alpium coactum; non ab Imperatore Carolo V. ſed Pontifice Paulo III. & ſucceſſoribus (duravit enim per annos octodecim, aliquoties interruptum & redintegratum) poſtquam Imp. non ſemel naſo, quod dicitur, adunco fuiſſet ſuſpenſus, cō vocatum: non ſecundùm normam ſacrarum literarum, ſed ſcrinium cordis Papalis inſtitutum. Unde jocus tum temporis natus, *Spiritum Sanctum* (deciſiones Papales) *mulis Româ Tridentum vehi.* Licet enim judicium intetlocutorium Theologis ipſorum fuerit conceſſum, deciſivum tamen Prælaris, aut potius Legatis Pontificis reſervatum. Ex noſtratibus quidam, ut Brentius, Heerbrandus, Marbachius, ſeſe ſtiterunt, ſed non fuerunt auditi: quidam, ut Melanchthon cum ſuis comitibus, propter indignitatem proceſsûs, ex media via domum revocati. Ex Epiſcopis Pontificiis multi ἀγράμματοι, multi Larvati, ut votorum numero vincere poſſent, interfuiſſe, multæque fraudes circa votorum collectionem commiſſæ dicuntur. Videatur *Petrus Suavis in hiſtoria Concilii Tridentini.*

APHO-

APHORISMUS XXIII.

Canones Apostolorum sunt adulterini.

SCHOLIUM.

§. 1.

Sensus. Apostolis Canones quidam adscribuntur, sed illos esse supposititios, ex collatione partim ad sacras literas, partim ad illa tempora patet. Canones hi discrimẽ faciunt inter Episcopos & Presbyteros, inter Clericos & Laicos, cùm tamen scriptura passim, v.g. *in Actis c. 20. v. 17. 28. Tit 1. v. 5, 7. 1. Petri 5. v. 1, 2.* eos-
p. 41 dem permutatim accipiat, & Episcopus laboris, Presbyter ætatis nomen sit: Tota insuper Ecclesia, tanquam κλῆρος i.e. hæreditas Christi precioso ipsius sanguine sit acquisita *1. Petri 5. v. 4.* Quæ verba rectè vertit *Lutherus*: Nicht als die über das Volck herrschen. Canones sacram cœnam vocant sacrificium, altarium, luminarium &c. mentionem faciunt, quæ tamen appellationes, & res ipsæ tum temporis in Ecclesiam non fuerunt introductæ. Canones prohibent pascha celebrare simul cum Judæis, cùm tamen præcipitante seculo post Christum natum secundo super hac re controversum fuerit, & Orientales ad traditionem Johannis & Philippi Apostolorum provocaverint. Canones digamię successivæ sunt iniquiores, quam tamen Apostolus *Rom. 7. v. 2.* & *1. Cor. 7. v. 39.* probat, cum inquit: *Defuncto marito, uxor soluta est à legibus mariti: nubat, cui velit, modò in DOMINO.* Canones ordinibus superioribus conjugio interdicunt, cùm tamen Apostolus *Episcopum unius uxoris* (respectu polygamiæ simultaneæ, quæ tum temporis adhuc obtinebat) *maritum esse* jubeat, & ipsi Apostoli fuerint uxorati *1. Cor. 9. v. 5.* Canones mentionem faciunt bonorum Ecclesiæ, cùm tamen Ecclesiæ tum temporis nondum fuerint dotatæ ac ditatæ. Canones libros Biblicos Canonicos & Apocryphos confundunt, cùm posteriores Ecclesia etiam ducentos annos, & amplius post CHRISTI ascensionem in cœlum pro Canonicis non receperit. Imò, quod ne vulgata vetus quidem facit, libris Canonicis V. T. librum tertium Maccabæorum, Novi Test. libris duas Clementis epistolas jungit. Numerantur autem à quibusdam Canones plures, à quibusdam pauciores: & si forsan aliqui ab Apostolis fuissent profecti, aucti tamen & interpolati successu temporum fuêre. Supponendi autem fraus vel artificium quacunque tandem intentione primis etiam seculis post CHRISTUM natum videtur fuisse frequens, eò quòd Gelasius Episcopus R. circa quinti & sexti seculi convergia cribrationem librorum sacrorum susceperit. Quantumvis autem plures notæ sint dignoscendi librum genuinum à supposititio, stylus tamen & res discrimẽ evidens facere possunt. Stylus v. g. cùm character dicendi nec aliis autoris libris, nec tempori, quo vixit, congruit. Res, cùm vel ἀσύστατα dicit eis, quæ statuit in libris γνησίως talib⁹, vel dogmata fovet, temporibus illis minimè convenientia, vel Doctores, vel hæreticos ratione temporis longè posteriores citat, vel de ceremoniis disserit, quæ tum temporis in Ecclesiam nondum fuerunt invectæ, vel in adscriptis Consulibus aberrat &c.

§. 2. De usibus constat ex suprà dictis; adeò ut nihil peculiare hîc tradi
p. 42 possit.

LOCUS

Locus II.

De

DEO.

§. 1.

POstquam principium, ex quo θεογνωσία salutaris haurienda est, vidimus, jam ad principium essendi, quod est αὐταυτὸν i.e. per se existens & omnib. creatis dans essentiam, accedimus.

§. 2. Licet hoc ipsum sit infinitum & ἀκαταλήπτον, ut perfectè à nobis definiri nequeat, & apprehensivè tantum, non comprehensivè à nobis cognoscatur, ex principio dicto tamen aliquo modo describi potest hunc in modum: *Definitio. DEUS est essentia spiritualis, intelligens, aterna, alia à creaturis omnibus, verax, bona, justa, casta, misericors, benefica, liberrima, immensæ sapientiæ & potentiæ, irascens peccatis, Pater aternus, qui Filium imaginem suam ab aterno genuit, & Filius imago Patris coæterna, & Spiritus S. à Patre & Filio ab aterno procedens, sicut patefacta est divinitus certo verbo & testimoniis divinis, quòd Pater aternus cum Filio & Spiritu S. condiderit, & præsens regat atq; conservat cœlum & terram, & omnes creaturas, & adsit omnibus creaturis quoad conservationem, & sibi colligat in genere humano Ecclesiam propter Filium & per eum, & sit judex justorum & injustorum.* Alii partem ultimam definitionis de operibus ad extra verbis aliis exprimunt, & brevius quidem, ut definitio memoriâ faciliùs retineri queat. Post verba enim, quòd *Pater aternus filium ad imaginem suam genuerit, & Filius imago Patris coæterna sit, & Spiritus S. à Patre & Filio ab aterno procedat*, hæc ponunt verba: *Creator & Conservator rerum omnium, Redemtor, & sanctificator Ecclesiæ, unus verus DEUS, benedictus in secula.* Brevissimè describi potest, quòd DEUS sit *Jehovah Elohim, unus in essentia & trinus in personis.*

§. 3. *Definitum* est DEUS, quod vocabulum origine Græcum, quibusdam à verbo θεάομαι i.e. video, contemplor, quibusdam à verbo δέω i.e. moveo, quibusdam à nomine δέος i.e. metus derivatur. Qui derivant à verbo θεάομαι i.e. contemplor, rationem reddunt, quòd DEUS videat omnia tum sacris literis, tum scriptoribus profanis in unam harmoniam hîc concinentibus. Πάντα γυμνὰ καὶ τετραχηλισμένα τοῖς ὀφθαλμοῖς αὐτοῦ i.e. *omnia nuda & resupinata sunt oculis ipsius*, ut Autor epistolæ ad *Hebræos c. 4. v. 13.* dicit. Ubi vocabulũ emphaticũ τετραχηλισμένα notetur, quod à victimis resupinatis, quãdo exenterantur & viscera ipsorum inspiciuntur, vel ab animalibus resupinatis, quorum genitalia naturâ tecta tunc evidentiùs patẽt, desumtum videtur. *Hesiodus* verò canit περὶ ἔργων καὶ ἡμερῶν: P. 43

Πάντα

Πάντα ἰδὼν Διὸς ὀφθαλμὸς καὶ πάντα νοήσας.

i.e. *Jovis oculus omnia videt, & omnia intelligit.*

Hometus in βαρυχομυομαχίᾳ: Ἔχει θεὸς ἔκδικον ὄμμα i.e. *cernit DEUS omnia vindex.* Qui derivant à verbo δέω i.e. moveo, rationem etymologiæ suppedirant, quòd DEUS (secundùm *Aristotelem* primus motor) omnia moveat. Qui deducũt à nomine δέος i.e. metus, rationem reddũt, quòd metus fecerit DEOS. Quia verò in etymologia & convenientia literarum & significationis attendenda venit, priorem, cùm vocabulum DEI à verbo θεάομαι deducitur, quoad utrumq; convenientiorem, reliquis præferimus.

§. 4. *Homonymia.* Vocabulum DEI est ἐπὶ τῶν πολλαχῶς καὶ ποσαχῶς λεγομένων, ut ipse fatetur Apostolus *1. Cor. 8. v. 5. & 6. Etiamsi sint, qui dicantur Dii sive in cœlo, sive in terra (quemadmodum sunt Dii multi & Domini multi) nobis tamen unus est DEUS, qui est Pater ille, ex quo sunt omnia & nos in illum: & unus Dominus JESUS Christus, per quem omnia, & nos per illum.* Vel itaque vocabulum DEI supponit pro vero DEO, quem Paulus τῇ φύσει θεὸν vocat *Gal. 4. v. 8.* vel pro Diis nuncupatitiis (λεγομένοι ut citato loco *1. Cor. 8. v. 5.* eosdem nuncupat Apostolus. Per DEOS in cœlo intelligit Angelos, qui sic vocantur *Ps. 8. v. 5.* sensum monstrante Apostolo *ad Hebr. 2. v. 7. 9.* Per Angelos in terris Magistratum inprimis, qui DEI vices in terris sustinet, ut *Ps. 82. v. 1. DEUS stat in medio Deorum, & judex est inter DEOS.* Item *v. 7. & 8. Dixi, vos Dii estis, sed ut homines moriemini.* Imò DEI nomine venit omne id, in quo fiduciam collocamus, vel cujus curam gerimus, utpote cum Apostolus inquit ad *Phil 3. v. 19. quorum* (inimicorum Christi) *DEUS venter est.* Quam ob causam *avarus* vocatur *idolorum cultor Eph. 5. v. 5.* Imò propter cultum impiorum Diabolo nomen hoc per cataphrasin quandam tribuitur, *2. Cor. 4. v. 4. DEUS hujus seculi excœcavit sensus incredulorũ.*

§. 5. Descriptio ipsa constat genere & differentia, vel eo, quod differentiæ loco ponitur & definitum ab omnibus aliis rebus differre facit.

§. 6. *Generis* loco ponitur essentia spi- p. 44
ritualis, quod partim ex *c. 3. Ex. v. 14.* partim ex *c. Job. 4. v. 24.* desumtum. Quæsitus DEUS à Mose de nomine suo dicit nomẽ suum esse: אֶהְיֶה אֲשֶׁר אֶהְיֶה i.e. *Ero, qui ero*, Lutherus: Ich bin/der ich bin. Et statim eodem versu: *Sic dices ad filios Israël,* אֶהְיֶה i.e. *Sum, vel ero misit me ad vos.* Ab hac radice nomen DEI proprium יְהוָה deducitur, quod essentiatorem significat, quia denotat eum, qui essentiam habet à seipso & creaturis omnibus largitur essentiam. Scaliger ἀνταυτὸν, Franciscus ad futurum, quod habetur *v. 14. c. 3 Exodi* respiciens reddidit: Erit rum. *Joh. c. 4. v. 24.* Salvator inquit ad Samaritanam: Πνεῦμα ὁ Θεὸς i.e. *DEUS est Spiritus, &, qui adorant eum, in Spiritu ac veritate adorare oportet.* Quæ propositio est inordinata, prædicatum primo, subjectum ultimo loco ponens, id quod partim ex articulo præpositivo, partim ex latitudine prædicati patet. Angeli siquidem πνεύματα λειτουργικὰ i.e. *Spiritus administratorii Hebr. 1. v. ult.* anima nostra πνεῦμα i.e. *Spiritus Luc. 23. v. 46.* ventus πνεῦμα i.e. Spiritus *Joh. 3. v. 8.* nuncupatur. Lutherus in versione sua terminos hos suo loco restituit vertens: GOTT ist

cum Geist. Ubi tamen notetur, DEO genius συνώνυμον tribui nullum posse. Cùm enim DEUS essentia spiritualis, vel Spiritus dicitur; ineffabili modo transcendit creaturas illas, quibus etiam hoc nomen attribuitur. Omnes quippe substantiæ creatæ ad hoc Ens entium velut accidentia, imò purum putum nihil se habent. Unde verba hæc, quæ ad differentiam genericam pertinent adduntur, quòd alia sit à creaturis omnibus.

§. 7. *Differentia*, vel quod istius loco ponitur, partim attributis, partim personis deitatis, quæ tum operibus ad intra, tum ad extra distinguuntur, absolvitur. Attributa sunt, quòd intelligens, æterna, verax, bona, justa, casta, misericors, benefica, libertima, immensæ sapientiæ & potentiæ sit, iratcens peccatis In una essentia divina tres sunt personæ, Pater, Filius & Spiritus S. Opera ad intra (quæ terminantur intra sinum deitatis, nec foras progrediuntur ad creaturas) sunt respectu Patris esse ἀγέννητον, ab æterno verò gignere Filium ac spirare Spiritum S. respectu Filii ab æterno à Patre gigni, & cum Patre simul spirare Spiritum S. respectu Spiritûs S. ab æterno à Patre & Filio procedere. Opera verò ad extra sunt rerum omnium creatio, conservatio, generis humani redemtio, & sanctificatio credentium. De quibus in aphorismis fusius & accuratius.

p.45 ## APHORISMUS I.

Nomina ferè sunt, quæ de DEO in hac vita scimus.

SCHOLIUM.

§. 1.

Ens sui. Cum nomina sint vestigia, imò cubilia rerum, in nomina DEI præcipua non immeritò inquirimus, præsertim, cùm in scriptura nomen DEI pro ipso DEO, vel omni, quod de DEO nominari potest, ponatur, & Judæi nomen τετραγράμματον pronunciare nolentes τὸ שֵׁם i.e. nomen substituant.

§. 2. Inter nomina verò DEI nomen ejus proprium יְהוָה & proprium ipsius cognomen אֲדֹנָי eminent. Nomen יְהוָה significat essentiatorem, ut audivimus, & descendit à radice הָוָה *vel* הָיָה i.e. fuit, cui formativa nominis proprii Jod præfigitur. Lutherus secutus Interpretem LXX. & αὐτοκρατορίαν DEI respiciens reddidit per nomen HERR meris majusculis, ut partim à proprio DEI cognomine, quod reddidit per vocab. Herr duabus majusculis & duabus minusculis, partim ab appellativo אָדוֹן, quod vertit per nomen Herr meris minusculis, discerneret: quantumvis sint, qui nomen hoc DEI proprium, non secus ac vocabula Zebaoth, Alleluja, Dudaim, Amen & alia propria in aliis linguis retenta malint. Quod autem Græcus non retinuerit, ratio est, quòd meris propemodum adspiratis, quibus Græca lingua caret, constet. Unde sunt, qui linguæ hujus respectu nomen hoc ἀνεκφώνητον i.e. ineffabile dictum fuisse, sibi persuadent.

§. 3. Esse autem hoc nomen DEI proprium, quo probari possit deitas, contra Socinianos, quosdam Calvinianos & dogmatum diversorum Conciliatores, evincimus rationibus seqq. 1. quod omnia requisita nominis proprii reperiantur in hoc nomine. Præter quam enim quòd præfixum habeat Jod formativum nominis proprii, caret plurali numero, non ponitur in regimine, non recipit ה ἐκδεικτικὸν, nec à fine pronomen affixum. Si quis excipiat

excipiat in regimine poni, v.g. *Esa 6. v. 3. Sanctus, sanctus, sanctus.* יְהוָה צְבָאוֹת i.e. *Dominus exercituum*, respondemus esse hîc ellipsin nominis אֱלֹהִים quod subintelligendum, & inter nomina Jehovah & Zebaoth ponendum, ut ellipsis hęc
p.46 alibi suppletur. 2. probamus ex loco *Esa. 42. v. 8.* ubi divina Majestas inquit: Ego יְהוָה *hoc est nomen meum, gloriam meam alteri non dabo.* 3. quia nulla creatura rum essentiam suam habet à seipsa, multò minus aliis largitur essentiam. 4. quia nullum exemplum in sacris extat, quòd hoc nomen absolutè positum creaturis competat. Licet enim mons Moria vocetur יְרְאֵה יְהוָה i.e. *Dominus vexillum meum*, *Ex. 17. v. 15.* distinctissima tamen sunt, quando nomen hoc compositionem ingreditur, & quando absolutè ponitur. Sic aliud est DEUS, aliud Theophilus, Theodorus, Theophylactus: aliud Christus, aliud Christophorus, aliud Constantinus, aliud Constantinopolis. Mons Moria non vocatur יְהוָה sed propter mnemosynon providentiæ divinæ, quod DEUS Abrahamo de victima ibidem prospexerat, vocatur *Dominus providebit:* ara, quam extruxit Moses, non Jehovah, sed *Dominus vexillum meum* in memoriam obtentæ adversus Amalecitas victoriæ nuncupatur. Quando verò Moses, arcâ elevatâ, dicebat: *Surge, Domine, & dissipentur inimici tui, Num. c. 10. v. 35.* non arcam, sed DEUM præsentem arcæ alloquitur, prout Psalmographus regius hæc distinguit *Ps. 132. v. 8. Revertere ad quietem tuam Domine, tu, & arca fortitudinis tuæ. Ps. verò 68. v. 2.* de Deo verba hæc effert: *Exurge Deus, ut dissipentur inimici tui.* Πρωτομήτης, quando primogenitum suum enixa in hæc erumpit verba: *Possedi virum Dominum, Gen. 4. v. 2.* ipsum promissum capitis serpentini destructorem esse persuasum habet, & sic tanquam Messiæ putatitio nomen hoc tribuit. In hoc nomine, quòd meris quiescentibus literis constet, nonnulli DEI simplicitatem, quidam etiã, quod omnes temporum differentias complectatur, æternitatem DEI quærunt. Præsens innuitur per Cholem, præteritum per Kametz, Futurum per Jod, notam tertiæ personæ futuri. Huc respexisse volunt *Joh. capite Apocal. 1. v. 4.* cùm gratiam precatur Ecclesiis Asiaticis *ab eo, qui est, qui erat, & qui venturus est.* Hieronymus etiam mysterium S.S. Trinitatis ostendit in hoc nomine, quando Patrem per literam Jod, signum denarii numeri, propterea quòd fons sit deitatis, filium per ה duplex propter duas in Christo naturas, & quòd hæc litera inserta fuerit nomini Abram, ut Abraham deinceps diceretur, Sp. S. per Vav copulativum, quòd vinculum sit inter Patrem & Filium, adumbrari dicit, ut videre licet in *Christol. Meisn. disp. de genealogia Christi.* Sed jucundæ saltem sunt medita- p.47
tiones, quibus nihil probatur, vel minus etiam, quàm quòd Trinitatis mysterium in vocabulo בָּרָא i.e. *creavit. Gen. 1. v. 1.* contineatur. Sunt enim, ut παραφυαδικῶς hoc adspergamus, qui per א nomẽ אָב i.e. Patrem, per literam ב nomen בֵּן & per literam ר nomen רוּחַ i.e. Spiritum, tanquã vinculum inter Patrem & Spiritum S. innui volunt. Sed Photinianus huic cabalæ facilè substituet aliam min⁹ acceptam. In constructione potius nominis pluralis cum verbo singularis numeri vis collectionis continetur, Judæi veteres, quibus mysterium sacro-sanctæ Trinitatis non erat incognitum, per tria Jod cum sub-

ſtrato unico puncto Kametz hoc nomen τετραγράμματον ſcripſiſſe dicitur, ſed hodie non facilè quis in libris eorum ſic ſcriptum reperiet, ſed per duo ׳׳ abbreviatũ. Videatur *Chriſtoph. Helvicus in diſput. de myſterio S.S. Trinit. in elencho adverſus Judæos contenta.* Nomen DEI contractum eſt יְהּ quod in nominibus propriis compoſitis non rarò invenitur. Judæi nomen Jehovah non pronunciant, ſicut literæ ſonant, ſed vocem אֲדֹנָי ſubſtituunt. Putant enim partem nõ habitutum in futuro ſeculo, qui nomen hoc pronunciaverit, prout ſonat. Verùm ſi circa τὸ δυνατὸν i.e. an poſſit pronunciari, conttovertitur, ut ſcribi, pingi & fingi poteſt, ſic etiã pronunciari poſſe, quis ibit inficias? Si verò περὶ τὸ θέμιτον i.e. an liceat non nomen, ut ſonat, efferre, quæſtio eſt, utut omnem ſanctiſſimi nominis hujus abuſũ deteſtemur, nihilominus, quia DEUS ipſe nomen hoc & ipſius originem *Ex.3.v.14.* nobis revelavit, & Iſraëlitis manifeſtari juſſit, cur ab eodem abſtineremus? Quod Patres ânte Moſen attiner, an iisdem nomẽ hoc DEI proprium fuerit cognitum, disquititur, cum divina Majeſtas *Ex.c.6. v.3.* dicat, ſe tantùm nomine אֵל שַׁדַּי i.e. DEI omnipotentis Abrahamo, Iſaaco, Jacobo apparuiſſe, non nomine יְהוָה. Verùm cùm jam πρωτομήτης enixa primogenitum ſuum, quem capitis ſerpentini deſtructorem fore, perſuaſa erat, hoc nomine ſignârit, varii varias ſolutiones quærunt. Inter eas ipſas plauſibiliores videntur, quòd vel de peculiari revelationis modo vel de practica ſignificatione nominis hujus in liberatione populi ſui declarata, divina Majeſtas loquatur.

§. 4. Vocabulum אֲדֹנָי quod Lutherus reddidit per vocabulum HErr duabus majuſculis & duabus minuſculis, proprium DEI cognomen eſt, etiam nulli creaturarum in ſacris literis tributum; ſi nim. in fine habeat Kametz neq; illud Kametz propter accentum ſit mutatum ex Pathach, tũ enim plurale eſt pro אֲדֹנַי Domini mei, cum affixo. Deſcendit à nomine אָדוֹן i.e. baſis, vel columna, quòd DEUS omnia ſuſtentet, & portet verbo porentię ſuæ *Hebr.1.v.3.* & ſic abſolutum DEI ſuper omnia dominium ſignificat. Ab eodem primitivo nomen eſt appellativum אָדוֹן i.e. Dominus, quod ad DEUM per peculiarem formationis & punctationis rationem translatum omnipræſentiſſimũ & omnipotentiſſimum ejus principatum in cœlo & terra deſignat. In plurali de vero Deo conſtructa vox אֲדוֹן *Pſal.136.v.3. Confitemini* לַאֲדֹנֵי הָאֲדֹנִים i.e. *Dominis* (Domino) *Dominorum &c.* uſurpatur, ad ἐξοχὴν & eminentiam ſuper omnes DEOS ſignificandam. p.48

§. 5. Nomen אֱלֹהִים quod ab אל deſcendit & terminatione & ſignificatione plurale eſt. Habet enim ſuum ſingularem אֱלוֹהַּ & à Luthero redditur per nomen GOtt. Quando eſſentialiter uſurpatur perſonarum in deitate pluralitatem pro temporum iſtorum οἰκονομίᾳ denotat: ſi verò perſonaliter de una Trinitatis perſona (v.g. *Pſ.45.v.8. ideo unxit te,* אֱלֹהִים, *DEUS Fili,* אֱלֹהֶיךָ i.e. *DEUS tuus præ conſortibus tuis &c.*) ſumitur, ἕξιν illius perſonæ ad plures, quòd ſc. una ſit ex perſonis deitatis communem eſſentiam habentibus, ſignificat. Et hæc ſunt tria nomina DEI præcipua.

§. 6. DEUS aliàs in Hebræa lingua decem nominibus ſeipſum appellavit, quorum tria dicuntur ab ESSE, ut יְהוָה אֶהְיֶה יָהּ tria dicuntur à PRÆESSE, ut צְבָאוֹת

שַׁדַּי אֲדֹנָי יְהוֹה צְבָאוֹת tria dicuntur à POSSE, אֵל אֱלֹהִים אֶלְחַ unum ab eminentia, ut עֶלְיוֹן i.e. excelsus. Cum pleraque vel exposita, vel jam attacta fuerint, tria tantùm pauciſſimis diſcutiemus. Nomen שַׁדַּי quidam à nomine שַׁד i.e. mamma derivant, & DEUM mammarum pro DEO abundantiæ accipiunt: Quidam ex שׁ ab אֲשֶׁר & דַּי i.e. ſufficientia, quòd DEUS ſit αὐταρκέσατος, ſibique ſoli ſufficiat, componunt. Nomen עֶלְיוֹן à radice עָלָה i.e. aſcendit, DEIque ſublimitatem & eminentiam ſignificat. Nomen צְבָאוֹת cum quo vocabulum Jehovah, ſed mediante voce Elohim, cõnectitur, ſignificat exercitus à ſingulari צָבָא
p.49 i.e. exercitus, propterea, quòd omnes creaturæ DEO militent, & ad expediendа ipſius juſſa ſtent in procinctu. Tantum de nominibus DEI.

§. 7. *Uſus* hujus aphoriſmi eſt *in didacticis*, ut ἀυτουσίαν, eminentiam & omnipotentiam DEI ex his nominibus agnoſcamus: in polemicis, ut ex nomine ac cognomine DEI proprio contra Socinianos, Calvinianos quoſdam & dogmatum diverſorum cõciliatores pro adſtruenda Filii & Spir. S. deitate argumenta nobis ſuppetant.

APHORISMUS II.

DEUS ἀμαρτυρον ſe non reliquit. Item. ὁ κόσμος τῆς θεογνωσίας παιδευτήριον. Item: Præſentem mõſtrat quælibet herba DEUM.

SCHOLIUM.

§. 1.

Enſius. Cognitio DEI duplex eſt, vel naturalis, vel ſalvifica. Prior ex libro naturæ, poſterior ex libro ſcripturæ hauritur. Prior ad ſalutem non ſufficit, debet tamen eſſe manuductio ad ulteriorem DEI ex libro ſcripturæ cognitionem, quæ ſi vel negligitur, vel malè applicatur, hominem inexcuſabilem, quin & damnabilem reddit: poſterior autem nobis in hac vita, ubi ἐκ μέρους γινώσκομεν, ad ſalutem ſufficit, licet hæc ſpecularis & ænigmatica ſit imperfectior intuitivâ, quâ DEUM, ut eſt, cognoſcemus, omnium autem perfectiſſima ſit, quâ DEUS ſeipſum cognoſcit. Naturalis, quæ generalis etiam dicitur, duplex eſt, ἔμφυτος i.e. connata & ἐπίκτητος per diſcurſum acquiſita. Prior oritur ex reliquiis divinæ imaginis & lege cordibus inſcripta, quæ legislatoris etiam cognitionem, vel ſaltem quoad quæſtionem an ſit, ſecum vehit. Unde metus iſte, vel terror conſcientiæ in ſummis etiam Monarchis, ut αὐτόχειρες evaſerint, ſibiq; vitæ filum abruperint. Poſterior ex intuitu creaturarum oritur, & ab effectu ad cauſam colligendo progreditur. Quia verò non datur progreſſus cauſarum efficientium in infinitum, in una tandẽ cauſa ſuprema, quæ ſit cauſa cauſarum, & Ens entium, ſubſiſtendum. Ariſtoteles, licet creationem ex nihilo negaverit, motum tamen hujus univerſi altiùs expendens, unico motori ſupremo, quem ſtatuit ἀκίνητον, motus omnes ſubordinat.

§. 2. Hæc DEI cognitio naturalis cùm *à quibuſdam negetur in totum*, ut à Socinianis, qui per traditionem potius famam de DEO Barbaris gentibus innotuiſſe volunt, *à quibuſdam in tantum*, ut p.50
Philoſophis: quibuſdam ἔμφυτον ſibi cõnatam minus probantibus, vel etiam poſſibilem tantùm non actualem ſtatuentibus, ut ante annos quadraginta præterpropter fecit *Henricus Schraderus, Paſtor*

Alvenslavia sub Archipræsulatu Magdeburgico, utraque nobis erit asserenda.

§. 3. Ἔμφυτον i. e. connatam probamus ex reliquis divinę imaginis, & ex lege naturæ cordibus inscripta. Ubi autem cognitio legis, ibi etiam cognitio legislatoris, vel saltem quoad quæstionem, an sit. Unde terror iste conscientiæ transgressionem legis hujus, metu scil. supremi legislatoris, licet factum vel sit occultissimum, vel à summis Monarchis patratum. De hac cognitione loquitur Apostolus *Rom. 2 v. 14. & 15. Cùm gentes quæ legem* (scriptam) *non habent, naturâ, quæ legis sunt fecerint, ea legem non habentes, sibimetipsis lex sunt : qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, simul attestante illorum conscientiâ & cogitationibus inter se accusantibus, aut etiam excusantibus.* Ἐπίκτητον i. e. acquisitam per discursum probamus ex *c. 1. ejusdem epistolæ ad Rom. v 19. & 20. Id, quod de DEO cognosci potest, manifestum est illis*, sc. gentilibus : *DEUS enim patefecit illis.* Siquidem invisibilia illi ex creatione mundi, dum per opera intelliguntur, pervidentur, ipsiusque potentia & divinitas æterna, in hoc, ut sint inexcusabiles. Gemella de hac notitia per discursum acquisita in *cap. Act. 14. v. 17. & c. 17. v. 26. 27.* vide. Veras etiam esse notitias hasce naturales, patet ex *v. 18. c. 1, epistolæ ad Rom.* ut etiam ex *v. 25. capitis ejusdem*, ubi *veritatis* nomine veniunt, licet easdem gentiles malè applicaverint. Unde distinctio inter phrases, verum DEUM cognoscere, & verum DEUM verè cognoscere.

§. 4. Nec obstat huic cognitioni DEI naturali *Psalmus 14.* in cujus initio Psaltes hæc in verba erumpit : *Dixit impius in corde suo, non est DEUS.* Inter notitiam enim simplicem & practicam distinguendum. Psaltes non de simplici, sed de practica loquitur, dum vivunt, ac si nō esset DEUS, qui curam rerum humanarum gerat : id quod Apostolus *Tit. 1. vers. ult.* vocat *DEUM factis negare.* Diversa itaque sunt, non sentire DEUM in corde suo, & dicere in corde suo, vel secum statuere, non esse DEUM. Quando gentiles ante prædicationem Evangelii ab Apostolis factam dicuntur ἄθεοι vixisse, ad *Eph. 2. v. 12.* docente contextu, respectu cognitionis specialis & salvificæ tales extitisse dicuntur. Nec locus ad *Gal. 4. v. 8.* notitias naturales infringit, cùm *gentiles* serviisse dicuntur *iis, qui non sunt* τῇ φύσει θεὸς i. e. *naturâ DEUS.* Inter notitias enim ipsas (quas *veritatem* Apostolus citatis locis vocat) & notitiarum applicationem distinguendum. Notitias istas veras in dialogismis suis vani facti, animalibus, reptilibus, volatilibus, gressilibus (super quo *c. 1. ad Rom.* conqueritur Apostolus) heroibus, corporibus cœlestibus & aliis objectis gentiles applicarunt. Pelagianismo frigidam suffundere hanc sententiam, nullatenus concedimus, cùm de notitiis naturalibus ipsis inter Catholicos & Pelagianos controversia non fuerit. p. 51

§. 5. *Usus* aphorismi hujus *in didacticis* esse potest, ut inde cognoscamus, superesse post lapsum adhuc tudera quædā imaginis divinæ, nec in DEUM, quod maxima pars hominum damnetur, culpam redundare. Invitavit enim DEUS gentiles proprio motu in diverticula raptos per hasce notitias πρὸς τὸ ζητεῖν i. e. ut DEUM ulterius quærendum, cujus etiam uberiorem & ad salutem sufficientē cognitionem in Ecclesia invenire potuissent.

§. 6. *Usus*

§. 6. *Usus in polemicis* adversus Socinianos, quosdam Philosophos & Theologos, præprimis dictum Schraderum esse potest.

APHORISMUS III.

DEUS melius scitur nesciendo.

SCHOLIUM.

§. 1.

Sensus. Opponitur hic aphorismus scrutinio DEI extra scripturam. Hujusmodi suscipiebat *Simonides* Ethnicus ab Hierone Tyranno interrogatus, quid sit DEUS? Post cunctationes enim & tergiversationes varias tandem respondebat: *Quanto plus de cogitato, tanto minus invenio.* De *Augustino* quoque refertur, quòd speculationibus suis investigaturus S.S. Trinitatis mysterium ad littus maris venerit puellum cochleari mare mediterraneum foveolæ inclusurum, cui cùm impossibilitatem rei Augustinus objiceret, respondit, *se citius mare foveolæ â se factæ inclusurum, quàm ipse profunda deitatis intellectu suo sit comprehensurus.* Nec enim comprehensivè, sed apprehensivè tantùm in hac vita DEUS à nobis cognoscitur. Inde tot perversæ de DEO intra & extra Ecclesiam sententiæ. Ne dicamus jam de Philosophis, videamus in Ecclesia sententiam Audæanorum, qui DEUM corporeum finxerunt, Manichæorum, qui duo principia σύγχρονα, bonum & malum, lucem & tenebras statuerunt, Sabellianorum, qui per tres personas deitatis tres χάσεις, ut in comœdiis
p. 52 unum subjectum personas plures repræsentare potest, intellexerunt. Obtinet hîc dictum Regis Sapientis: *Prov. c. 25. v. 26.* τὸ μέλι τὸ πλέον ἐστὶ χολή i.e. *abundantia mellis fel parit:* & scrutator majestatis opprimetur à gloriâ. Sic papiliones lucernas circumvolitantes ab igne tandem absumuntur, de quibus proverbium: Μωρὸς πυράυσα μόρ i.e. *stulta est mors pyraustæ.* Ad lumen Solis sua peragere, quàm oculorum acie mundi hunc oculum configere velle præstat.

§. 2. *Usus* aphorismi hujus *in didacticis* est, quòd debeamus contenti esse iis, quæ de natura & voluntate DEI scriptura nobis revelavit

Desine, cur nemo videat sine numine numen,
Mirari; Solem quis sine Sole videt?

§. 3. *In polemicis* adversus eos, qui nimium scrutando divinam essentiam in devia præcipites ferunt, ut nostris temporibus sunt Vorstiani, qui simplicitatem, æternitatem & immensitatem DEI non tantùm suspectam reddere, sed & argumentis certis impugnare cœperunt. Aurib⁹ nostris insonet istud *Hilarii*; *DEUS est id, quòd cùm dicitur, non potest dici: cùm æstimatur, non potest æstimari: cùm definitur, ipse suâ definitione crescit.*

APHORISMUS IV.

Ἀνθρώπους ἀνθρωπίνως ἡ γραφὴ διαλέγεται i.e. Hominibus humano more scriptura loquitur. Item, Quæ dicuntur in scripturis ἀνθρωποπαθῶς i.e. humano more, θεοπρεπῶς i.e. DEO convenienter sunt intelligenda.

SCHOLIUM.

§. 1.

Sensus. Duplex esse docendi genus, acroamaticum & exotericum, subtile ac populare, Philosophi ex scriptis Aristotelicis nos docent. Posterius scriptura, quando

quando DEUM ut hominẽ certis membris præditum nobis describit, observat. Cùm enim in hac caliginẽ DEUM, ut est, concipere mente nostra nequeamus, ad captum nostrum scriptura sese accommodat, & per visibilia nobis invisibilia quadantenus adumbrat. Est enim ἀνθρωποπάθεια meraphora, quæ ducitur ab hominibus & ad DEUM accommodatur. Vocatur alio nomine συγκατάβασις i.e. cõdescensus, cùm scriptura, vel DEUS in scripturis loquens ad nos humi repen-
P.53 tes sese demittit, & humano more nobiscum agit. Quod etiam in toto salutis negocio, cùm per certa media, verbum & Sacramenta salutem nostram promovet, observat. Unde dicitur: *DEVS nobiscum condescendit, ut nos ad ipsum ascendamus.* Quod cùm pensi minus haberent Audæani, circa cõvergia seculi quarti & quinti, DEUM corporeum finxerunt Anthropomorphitæ propterea dicti. DEUM autem in essentia sua non esse corporeum, probatur 1. ex dicto Salvatoris *Joh. 4. v. 14. DEVS est Spiritus.* 2. ex attributis divinis, præsertim simplicitate, æternitate, immensitate &c. 3. ex eo, quòd DEUS etiam sexum sequiorem, ut σπλάγχνα ἐλέους i.e. viscera misericordiæ suę nobis adumbret, sibi tribuat apud *Es. c. 46. v. 3. Vos estis, quos in matrice gero.* Θεοπρεπῶς autem i.e. DEO convenienter hæc sunt accipienda, ita ut per oculos omniscientia, per aures clementia, vel juvandi promtitudo, per os voluntatis communicatio, per manus omnipotentia, per pedes omnipræsentia significetur. Unde dicimus: *DEVS totus oculus est, quia omnia videt: totus manus est, quia omnia operatur? totus pes est, quia ubiq; est.*

§. 2. *Usus* aphorismi hujus *in didacticis* est, ut bonitatem DEI, qui tam paterne nobiscum cõversatur, agnoscamus, & scripturas cum scripturis conferentes honorificè de DEO sentiamus.

§. 3. *In polemicis* esse potest tum adversus dictos Anthropomorphitas, tum etiam adversus Calvinianos illos, qui DEUM in figura hominis concipere, peccati non exigui, quin & idololatriæ loco habent. Videatur *Spineus in tractatu de consolandis ægrotis, pag. 284. 285.* libri aurei, quem vocat, de justitia corã DEO valente, de resipiscentia & consolandis ægrotis, prout ex lingua Gallica in Germanicam translatus est, ubi ægrotum secundùm præcepta Decalogi de peccatis commissis interrogat, & in secundo quidem de non faciendis sculptilibus, an DEUM unquam in forma hominis conceperit? Confer & *Mengeringium in scrutinio conscientiæ c. 22 sub titulo* unnöthiger Gewissens-Verwirrung. *p. 1499.*

APHORISMUS V.

Nihil est in DEO, quod non sit DEUS.

SCHOLIUM.

§. 1.

Sensus. Postquam nomina & essentiam DEI, quantum in scripturis nobis revelatum est, vidimus, jam ad attributa facimus accessum. De his in genere notan- P.54
dum, quòd non sint accidentia, ut in creaturis, quia compositionem inferrent in subjectũ & imperfectionis alicujus DEUM arguerent, sed ipsa essentia divina & cum eadem reciproca, ita, ut dicere possim: Misericordia, justitia, potentia &c. in DEO est ipse DEUS. Sic loquitur *D. Johannes in 1. epistola c. 4. v. 16. DEVS est charitas.* Interim non attendimus iis, qui locutio-

locutionib. tantùm abstractivis de DEO utendũ censent, cùm scripturam vocabulis cõcretivis utentẽ hîc habeamus præviam, modò rectè intelligantur & exponantur.

§. 2. *Usus in didacticis* esse potest hujus aphorismi, ut hanc ἀείαν ὑπεροχὴν à creaturis distinguamus, & necessitatem λύτρου propter infinitam justitiam DEI peccatis nostris læsam cognoscam[9], quidque phrasis Apostolica sibi velit, *DEUM semetipsum negare non posse* i.e. contra suam justitiam, misericordiam, veritatem & alia, quæ vocamus, attributa non posse agere, rectiùs intelligamus.

§. 3. *Usus in polemicis* esse potest tum adversus Socinianos, qui justitiam & misericordiam in DEO essentialem proprietatem esse negant, & tantùm contingens effectum liberæ voluntatis esse statuunt, partim adversus Cingllianos istos, qui DEUM homines ad mala instigantẽ malè non facete dicunt; propterea quòd sit ex lex, nec à superiore aliquo legem sibi latam habeat: qua DEUS sibimetipsi non lex sit secundùm æternam & infinitam justitiæ suæ regulam, quam transilire ac seipsum negare nullo modo potest.

APHORISMUS VI.

DEUS est omnia & nihil.

SCHOLIUM.

§. 1.

S*Ensus.* Cùm dictum hoc *Dionysii*, obscuriusculũ implicare videatur, quadantenus evolvemus. Sensus est: DEUM omnium creaturarum perfectionem includere, sic tamen ut infinito modo transcẽdat, & ita nihil cum creaturis commune habere videatur. Sunt homines justi, misericordes, sapientes, veraces, de quibus virtutibus omnibus DEUS participat, sed in homine sunt accidentia evanida, in DEO essentia ipsa. Quare DEUS ita justus, misericors, sapiens, verax est, ut nihil cum hominibus ipsi commune videatur. Hinc per duplicem viam eminentiæ & negationis faciliùs in DEI naturam pervenire dicimur.

§. 2. *Usus* aphorismi hujus idẽ propemodum, qui præcedentis, *in didacticis* p. 55 esse potest, ut sc. ὑπεροχὴν essentiæ divinæ infinitam agnoscamus, de qua *c. Es.* 40. videri potest. Cùm enim Prophcta *v.* 17. gentes purum putum nihil coram DEO dixisset, subjungit *v. seqq. Cui ergò me tandem assimilabitis?*

§. 3. *In polemicis* adversus eosdem Socinianos & Calvinianos, qui tam frivolè de DEI justitia, misericordia, omniscientia, omnipotentia, veracitate sentiunt, usui esse potest. De quibus pluribus forsan suis locis.

APHORISMUS VII.

Ubi DEUS est, ibi totus est, nec major in maximo, nec minor in minimo. Item: DEUS non mole magnus est, sed virtute. Item: DEUS est intra omnes creaturas, non inclusus: & extra omnes creaturas, non exclusus. Item: DEUS est circulus, cujus centrum est ubique, circumferentia nusquam: Item: Αὐτὸς ἑαυτῷ τόπος.

SCHOLIUM.

§. 1.

S*Ensus.* His aphorismis immensitas & omnipræsentia divina cũ simplicitate cõjuncta nobis aliquo modo delineatur. Differunt aliàs immensitas & omnipræ-

sentia, ut attributum ἄχετον & χετικὸν i.e. quod relationem habet ad creaturas. Immensitas est attributum ἄχετον, quod DEO competit, etiamsi nulla creaturarum fuisset unquam producta: omnipræsentia χετικὸν, quod ponitur, positis creaturis, quibus DEUS præsens esse potuisset. Ut jam DEUS, ubicunque sit, totus sit, simplicitatem ipsius simplicissimã præsupponit. De hac *Jacobus* inquit *c.1, suæ epistolæ v 17. quòd apud DEUM non sit παραλλαγὴ, ἢ τροπῆς ἀποσκίασμα* i.e. *nulla mutatio, aut conversionis adumbratio.* Nec enim ullus compositionis modus, quicunque tandem sit, in DEUM cadit. Compositio aliàs vel physica est, vel metaphysica. *Illa* vel fit ex elementis, & alio nomine vocatur mistio, vel ex materia & forma, quæ corporibus etiam cœlestibus competit. *Hæc* vel ex subjecto & accidente, vel ex actu & potentia, vel ex esse (quæ receptivitas est essentiæ) & essentia fieri solet. Ex his nulla DEO competit: non physica, cùm corporeus non sit, multò minus ex elementis mistus: nec metaphysica, cùm nec accidens, nec potentia passiva DEO tribui queat, nec
p.56 ipse *αὐταυτὸς* essentiam ab alio recepetit. Cùm itaque materia, consequenter ipsius soboles quantitas ab essentia divina longissimè absit, partes extra partes non habet, sed ὅλως ὅλου τὶ existens, ubicunque est, ibi totus est. Sic quando Apostolus *Act.17.v 28.* dicit: *In ipso vivimus, sumus & movemur*: & Salvator *Joh.c.14.v.23. ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus*, non intelligendum hoc est, ac si DEUS per partes in nobis sit, aut inclusivè, ut non simul etiam sit in aliis creaturis, sed dicto modo, quod ubilibet totus, intra omnes creaturas nõ inclusivè sit, extra omnes creaturas non exclusivè sit. Quia omne centrum potentiâ in se continet circulum, DEUS immensus propter præsentiam suam, quâ creaturis adest & inest, citra tamen omnem confusionem, cũ tali centro, quod ubiq; sit, circumferentiâ verò suâ nusquam terminetur, non inconcinnè comparatur. Cùm ab Apostolo dicitur inhabitare *φῶς ἀπρόσιτον* i.e. *lucẽ inaccessam 1.Tim.6.v.16.* non cogitandum, lucem illam inaccessam, quam DEUS inhabitat ab æterno, esse aliquid à DEO distinctum, quo DEUS contineatur, sed quòd ipse lux sit æterna semetipsum inhabitans. Ipse *συνεκτῶς* & *περιεκτῶς* potius i.e. ita, ut continea: & comprehendatur, quàm *συνεκτικῶς* & *περιεκτικῶς* i.e. ita, ut contineatur & comprehendatur, creaturis omnibus præsens est.

§. 2. *Usus* aphorismorum horum *didacticus est*, ut DEI simplicitatem & immensitatem, quam sequitur omnipræsentia, positis creaturis, agnoscamus.

§. 3. *Usus in polemicis* contra Vorstianos, qui simplicitatem & immensitatem DEI negant, & variis modis impugnant; ut etiam contra Calvinianos, qui, cùm omnipræsentiam carnis Christi destructum eunt, ipsius DEI omnipræsentiã eâdem operâ labefactant. Dicunt enim hoc inde sequi absurdum, Christum secundùm carnem esse in omnibus cloacis, in omnibus cantharis, in omnibus patibulis, in omnibus laqueis furum. Quo ipso quid aliud isti nasuti faciunt, quàm quod omniptæsentiam ipsius DEI negent, aut suspectam reddant. DEUM autem citra ullam *σύγχυσιν*, aut *μίξιν* in creaturis esse noverint.

APHORISMUS IIX.

Mutatio in creaturis facta mutationem nullam in DEUM infert.

SCHO-

p.57 SCHOLIUM.

§. 1.

Enſus. Quantumvis mundus in tempore productus ſit, in tempore conſervetur & gubernetur, poſitis creaturis, DEUS omnipræſens ſit, mutatio tamen nulla in DEO facta eſt. Quemadmodum enim in Sole, cùm ſingulis momentis, aliis globi terreni habitatoribus oritur, aliis occidit, nulla fit mutatio: vel, quando columna in medio poſita quibuſdam à parte dextra, quibuſdam à ſiniſtra, quibuſdam antrorſum, quibuſdã retrorſum videtur, ſui ſimilis exiſtit: ita mutatio in creaturis facta, cum ex tenebris (non privativis, quia lux non antecеſſit, ſed negativis) lux ſplendeſcit, ex nihilo fit aliquid, præſentiæ, inſpectioni & gubernationi divinæ creaturæ omnes ſubjiciuntur, mutationem in DEO nullam affert, *penes quem non eſt viciſſitudo lucis & tenebrarum, Jac.c.1.v.7. qui cœlo & terrâ pereuntibus, ipſe permanet: mutatis iisdem, idem eſt, Pſ.*102.*v.*26.*ſeqq. Hebr.1. v.*10 *&* 11. Imò ſextiduum, intra quod mundus productus fuit, & tot annotum millenarii, quibus durat & duraturus eſt, reſpectu DEI tantùm fuit & eſt momentum, ut jam jam pluribus dicemus.

§. 2. *Uſus* aphoriſmi hujus *in didacticis* eſt, ut immutabilitatem DEI cum ſimplicitate nexu arctiſſimo conjunctam agnoſcamus & à Creaturis mutationi obnoxiis DEUM immutabilem limitibus accuratiſſimis diſtinguamus. Πᾶν γὰρ κτιςὸν τρεπτόν i.e. *omne, quod creatum eſt, mutationi obnoxium eſt*, niſi per gratiam in ſuo ſtatu conſervetur. Solus autem DEUS de ſe dicere poteſt: *Ero, qui ero, Ex.*3 *v.*6. *DEVS ego ſum, non mutor, Mal.*3.*v.*6.

§. 3. *Uſus in polemicis* rurſus contra Vorſtianos eſſe poteſt, qui negando, vel labefactando quædam attributa divina ſuis hypotheſibus novis ἀνεπόχοις doctrinæ de DEO, trinitatem ſc. perſonarum in unitate eſſentiæ ſubruere voluiſſe videntur.

APHORISMUS IX.

DEO nihil abit præteritum, nihil ſubit futurum.

SCHOLIUM.

§. 1.

Enſus. Vivit enim in perpetuo τῷ νῦν æternitatis, cui præſentiſſima ſimul ſunt omnia. Hæc ut cognoſcantur exactiùs, tenendum τὸ νῦν i.e. nunc, vel eſſe ſtans, vel fluens. Prius ad tempus præteritum & futurum reſpectum non ha- p.58
bet, ſed idem exiſtit: poſterius autem tempus præteritum & futurum connectit, & ſubinde variatur. De hoc Phyſici dicunt, quòd non ſit pars, ſed nexus temporis præteriti & futuri. Definitur enim ab iisdem tempus, quòd ſit ἀριθμὸς κινήσεως κατὰ τὸ πρότερον καὶ ὕστερον i.e. *numerus* (non numerans, ſed numerabilis) *motus ſecundùm prius & poſterius.* Per prius tempus præteritum, per poſterius futurum, quæ τὸ νῦν i.e. nunc fluens, ſingulis momentis momentum variabile, annectit, intelligunt. Quantumvis autem tempus omnem motum metiatur & numeret: præprimis tamen motum corporum cœleſtium uniformem, continuum & perpetuum. Unde dies, menſes, anni ſpecies, aut partes temporis dicuntur. Hæc entia, ut tempus & motum, Phyſici vocant Entia ſucceſſiva & τάξιν partium habentia, quibus permanentia & θέσιν partium habentia, opponunt. Illuſtrant

exemplo aquæ in fluore perpetuo vetſantis;

Unde velut labunda novæ ſuperimminet nudæ.

Sic τὸ νῦν fluens itentidem variatur, & novum ſubinde præteritum cum futuro connectit. Τὸ νῦν i.e. *nunc*, quod DEO tribuimus, non eſt fluens, ſed ſtans, quia priusquam crearetur hoc univerſum, nec motus corporum cœleſtium, nec numerabilis alius motus fuit. Quarto ſiquidem creationis die demam Sol, Luna & reliquarum ſtellarum exercitus, quarum vicem lux primigenia in luminaria compacta diebus prioribus quatuor ſubiit, fuit productus. Hinc *mille anni coram DEO dicuntur ſeſe habere, ut dies unus Pſ.90. v.5. 2.Petri 3.v.8.* & *ante creaturas exiſtentia æternitati adſcribitur Joh. 1. v. 1.* Cum verò mundus in tempore productus dicitur, de tempore non præexiſtente, ſed coëxiſtente i.e. quòd creaturæ cũ tempore cœperint, vel etiam imaginario intelligendum eſt. Anni & dies DEO per ἀνθρωποπάθειαν i.e. illam metaphoram, quæ ab hominibus deſumta eſt, & ad DEUM transfertur, *Michea 5.v.2.Pſ.102. v.16.* tribuuntur. Nec enim nos, qui vivimus in tempore, aliter æternitatem cõcipere poſſumus. DEO itaque in perpetuo τῷ νῦν æternitatis exiſtenti πάντα γυμνὰ καὶ τετραχηλισμένα i.e. *omnia nuda & reſupinata ſunt, Hebr.4.v.13.* ipſique non tantùm futura contingentia, ſed & cauſarũ incunabula, & conditionata, licet eventu nunquam compleantur, cognita ſunt, *1.Sam.22.v.12. Matth.11.v.21.23.*

§. 2. *Uſus* aphoriſmi hujus *in didacticis* eſſe poteſt, ut æternitatem DEI & omniſcientiam ipſius agnoſcamus, & peccata cane pejus & angue vitare diſcamus. Si enim in quovis angulo cuſtos angelus reverendus, cujus tamẽ ſcientia finita eſt, cur nõ multò magis omniſcientiam DEI, cujus oculi Sole ſunt lucidiores & abdita tenebrarum penetrant, cui nuda & detecta patent omnia, revereamur? p.59

§. 3. *In polemicis* adverſus Vorſtianos æternitatem, & Socinianos, futurorum contingentium præſcientiã in DEO negantes, eſſe poteſt.

APHORISMUS X.

Enter, præſenter DEUS hîc & ubíque potenter.

SCHOLIUM.

§. 1.

Enſus. Poſtquam de DEI omnipræſentia diximus aphoriſmo ſeptimo, jam de omnipotentia etiam aliquid ſubjiciemus. Ubi ante omnia inter potentiam activam & paſſivam diſtinguimus: non poſterior, quæ compoſitionem ex potentia & actu, nec non imperfectionem in DEO ſtatueret, ſed prior DEO ſimpliciſſimo & perfectiſſimo competit. Præterea inter impoſſibilia naturæ, & impoſſibilia naturâ diſtinguimus. DEUM impoſſibilia naturæ poſſe facere ac ſæpius feciſſe, non tantùm ex eo conſtat, quòd ipſe liberè naturæ leges dederit, ſed etiã quòd multis exemplis hoc teſtatum fecerit, v.g. cùm ignis non uſſit, *Dan.3.v.28.* corpus grave latum fuit ſurſum *2.Reg.6.v.7.* humidũ clauſum fuit terminis propriis *Ex. 14.v.22.* Sol & Luna (imò totum firmamentum) ſteterunt *Joſuæ 10.v.12. 13.* retroceſſerunt *2.Reg. 20.v.11. Eſa.38.v.8.* Virgo peperit *Lucæ 1.v 34.c 2.v.7.* pars major fuit toto *Joh 6.v 13.* Sed impoſſibilia naturâ non continentur ſub voce omnipotentiæ, cùm DEI potius impotentiam,

tentiam, quàm potentiam arguerent, ut facere duo contradictoria simul esse vera, factum infectum reddere, peccare, mori. Si enim DEUS hæc faceret, non esset verax, ipse non esset ipse, sicque potius à posse deficeret, quàm omnipotentiam suam argueret. Distinguitur etiam inter potentiam DEI absolutam & ordinatam. Absoluta citra respectum ad aliquod attributum divinum cõsideratur, ut hâc DEUS multa potest, quæ non facit, v.g. *ex lapidibus Abrahæ suscitare posteros Matth. 3. v. 9.* Ordinata respectum ad habet attributa reliqua. Sic enim DEUS omnipotens est, ut etiam sit justus, verax, misericors &c. His præmissis, omnipotentiam DEI probamus 1. *ex Gen. 18. v. 14. An aliquid impossibile DOMINO?* Quæ verba Gabriel ad Mariam repetit *Luc. 1. v. 37. Non est impossibile apud DEUM ullum verbum* i.e. ulla res. Hebræi siquidem, quos in multis imitantur Evan-
p.60 gelistæ, per verbum interdum rem significant, prout *c. 2 Luc. v. 15.* videre licet, cùm Pastores se invicem sic alloquuntur: *Videamus τὸ ῥῆμα τοῦτο, ὃ γέγονεν* i. e. *hoc verbum* i.e. rem, quæ facta est. Lutherus: Lasst uns die Geschicht sehen. 2. probamus omnipotentiam divinam ex *Psal. 115. v. 3. DEUS noster* (Deastris gentilium oppositus) *est in cœlo, quæcunq; vult, facit.* Cui gemellus est locus *Psalmi 135. v. 7. Omnia, quæ vult, facere potest, in cœlo & in terra, in mari & omnibus abyssis.* 3. ex epistola *ad Eph. 3. v 20.* ubi dicitur, quòd *DEUS superabundanter facere possit, ultra omnia, quæ petimus aut intelligimus.* 4. ex epistola ad *Philip. 3. v. ult.* ubi de CHRISTO θεανθρώπῳ dicit Apostolus, quòd *corpus nostrum humile conformaturus sit corpori suo glorioso* (non Majestatico, quod habet ex unione personali) *secundùm efficaciam, quâ sibi subjicere potest omnia.*

§. 2. *Usus* aphorismi hujus *in didacticis* esse potest, quòd DEUS promissa eventu complere v.g corpus suum in cœna præsens nobis sistere, rebusque nostris conclamatis opem ferre queat.

§. 3. *In polemicis* adversus Rationalistas, Calvinianos & Socinianos, qui rationis suæ decempedâ potentiam DEI metiuntur, inprimis *Petrum Martyrem*, cui terminum ubiquitatis & ubiquitistarum, ceu fœtum, adscribunt. Dicit hic in *dialogo orothetico p. 8. Ubi nunc est illa DEI omnipotentia, quam tam liberè & citra omnem exceptionem perpetuò crepatis? Certè contrahitur, si cæteris creaturis dari per illam non potest, ut sint ubiq;. Pag. 6.* ad objectionem, quòd, etsi corpus suâ naturâ non habeat, ut sit ubique, esse tamẽ possit, vi & potestate divinâ, respondet: *Ego verò contra tibi affirmo, nulla vi* (sc. divinâ) *fieri posse, ut res creata sit ubiq;.* Tibias easdem inflat *Beza in quæst. & responsionibus fol. 658.* negans *DEUM efficere posse, ut unum corpus sit simul multis in locis, vel alicubi sit, ut in loco, alicui non ut in loco.* Quod ex ipsa natura exemplo cœli ultimi refutari potest. Quoad superficiem enim convexam nõ est in loco, nisi progressum in infinitum admittere vellemus, licet quoad superficiem concavam in loco sit, eâ nimirum ratione, ut digitus est annuli locus. Ejusmodi flosculos etiam in scriptis Sadeelis, Piscatoris, Keckermanni & aliorum legere licet, qui tamen plures adessendi modos, DEUMque plus posse, quàm nos intelligimus, altius expendere deberent.

Digitized by Google

APHORISMUS XI.

In opere redemtionis temperamẽtum juſtitiæ & miſericordiæ divinæ lucet. Item, Peccata non ex nuda DEI voluntate ſunt æſtimanda.

SCHOLIUM.

§. 1.

Senſus. Etiam ſi attributa divina ſint ſimpliciſſimum τὰυτότι, ſi cõſiderantur πρὸς ἔσω, ut intra ſinum deitatis continentur, ſi tamen πρὸς ἔξω conſiderantur, quatenus foràs progrediuntur ad creaturas, diſtinctiones aliquas admittunt, & in hac conſideratione miſericordia DEI major juſtitiâ, ſupraque judicium triumphare dicitur *Jac. c. 2. v. 13.* Elucet hæc ipſa in opere redemtionis noſtræ, cùm propter transgreſſionem mandati ſui DEUS humanum genus æternâ morte putire, flammisque infernalibus adjudicare potuiſſet, nihilominus, ut & ſervaretur, ſuæque juſtitiæ vindicativæ ſatisfieret, conſilium inivit, ut innocens pro nocentibus, juſtus pro injuſtis & quidem perſona infinita pro toto genere humano pateretur. Quod ipſum Patres, miſericordiæ & juſtitiæ divinæ temperamentum vocârunt, non quaſi hæc attributa divina prius ſejuncta veluti qualitates primæ in corpore miſto (unde temperamentum, ceu ſoboles, prodit) aut ingredientia in pharmaco coutemperata fuerint, ſed quòd in redemtionis opere utraque, juſtitia, ſine ſatisfactione peccata non remittens, miſericordia, ſatisfactionem ab alio, tanquã à reo ſolutam accipiens cõſpiciatur. Unde ſimul, peccata non æſtimari nudâ DEI voluntate, ita, ut ſi DEUS factũ aliquod pro peccato velit habere, peccatum ſit, ſin ſecus, non ſit, ſed juſtitiam in DEO vindicativam eſſe, cujus ſpeculum lex moralis eſt, peccata circa ſatisfactionem non remittentem, liquet. De hac ipſa Salvator *Matth. 5. v. 18.* dicit, quòd *cælum & terra prius diſſolvi, quàm jota, vel apex unus de lege in terram decidere debeat.* Quod ſi transgreſſio primorum Parentum tantùm contra voluntatem divinã facta fuiſſet, citra ſatisfactionem condonari potuiſſet. Nec acceptilationi locus hic eſt, quâ nimirum quid pro quo, denarius pro centenario, ſolvitur & accipitur, ſed perſona requirebatur infinita, quæ λύτρον ἰσόρροπον i.e. precium æquilibre, omnibusque numeris abſolutum perſolvere poterat. Si quis tamen voluntatem modificatam i. e. quatenus cum juſtitia divina concurrit, intelligat, nos refragantes non habebit.

§. 2. *Uſus* aphoriſmi hujus *indida* p. 62 *Elicis* eſſe poteſt, ut DEUM & juſtum & miſericordem agnoſcamus, peccata velis & remis fugiamus, nec tamen ſi forſan in illa prolapſi fuerimus, deſperemus. Sarcaſmus ſanè Diabolicus eſt, quòd DEUS peccata interdum ſusque deque habeat, expreſſus in iſto verſiculo:

Si quotics peccant homines, ſua fulmina mittat
Iupiter, exiguo tempore inermis erit.

Omnis ἀνομία, quocunq; gradu locetur, eſt ἁμαρτία, conſequenter adverſus juſtitiam DEI vindicativam fertur, &, niſi propter CHRISTI meritum fide apprehenſum remittatur, æternæ damnationis reos facit. Quia verò CHRISTUS vel ultimum quadrantem pro nobis ſolvit, & numeris omnibus pro nobis ſatisfecit, (quod ex reſurrectione ipſius palam fit) peccatorum mole preſſi non deſpondeamus animum, ſed ad hoc λύτρον confugiamus,

mus, illudq; verâ fide noſtrum faciamus.

§. 3. *Uſus in polemicis* eſſe poteſt adverſus Socinianos, & Crypto-Socinianos, qui juſtitiam vindicativam in DEO negantes ex voluntate DEI peccata æſtimant, & in articulo de juſtificatione loco ſatisfactionis acceptillationem ſubſtituunt, ac ſi DEUS ex liberalitate actũ fidei, licet imperfectus ſit, pro perfecto accipiat & æſtimet, non ſecus ac creditor aliquis ab exhauſto debitore 10 pro 100 accipiat. Ab his non procul abſunt illi Jeſuitæ & Calviniani (Valentianus & ipſe Calvinus) qui Chriſti mortem rigori juſtitiæ divinæ oppoſui poſſe negant.

APHORISMUS XII.

Affectus, qui DEO tribuuntur in ſcripturis, de effectu ſunt intelligendi.

SCHOLIUM.

§. 1.

Enſius. Affectus, ut amor, ita, odium &c. qui mutationem & perturbationem interdum ſecum vehunt, per eandẽ figuram ab hominibus deſumtam & ad DEUM translatam, quam vocamus ἀνθρωποπάθειαν, DEO tribuuntur. Cùm enim tales effectus, qui proficiſcuntur ab effectibus humanis, etiam à DEO pervenire videmus, affectibus adſcribimus, qui tamen à voluntate divina cum aliquo attributo concurrente profluunt. Huc etiã referimus pœnitentiam, quæ DEO alicubi adſcribitur in ſacris v.g. *Gen.6.v.6. pœnitet, me homines feciſſe*; alicubi de DEO
p.63 negatur, ut 1.*Sam.15.v.29. non DEVS eſt, ut homo, qui pœnitentiâ ducatur.* Ut itaque concilientur hæc loca, tenendum pœnitentiam DEO per figuram ſupra dictam tribui, & mutationem factam in creaturis DEO adſcribi, præſertim ſi attendamus, pœnitentiam propriè dictam eſſe cum aliqua mutatione, aberratione & perturbatione conjunctam.

§. 2. *Uſus in didacticis* aphoriſmi hujus eſſe poteſt, ut non tantùm ſimplicitatem & immutabilitatem DEI agnoſcamus, ſed etiam id, quod cum creaturis commune DEO attribuitur, ab omni imperfectione liberemus, & id, quod perfectiſſimum remanet, ſoli DEO tribuamus.

§. 3. *In polemicis* adverſus Anthropomorphitas & omnes eos qui DEI ſimplicitatem & immutabilitatẽ quovis modo labefactare conantur, uſus eſſe poteſt.

APHORISMUS XIII.

Voluntas DEI ſemper impletur, vel à nobis, vel de nobis.

SCHOLIUM.

§. 1.

Enſius. In oratione quidem Dominica, ut voluntas DEI, ſicut in cœlo, ita & in terra, fiat, rogamus: quod ſi tamen voluntas DEI non impleatur à nobis, impletur de nobis, ſumtione pœnarum. Impiorum ſiquidem interitus etiam illuſtrãdæ glotiæ divinæ ſervire cogitur, ut inquit Apoſtolus *Rom.9.v.17. In hoc excitavi te*, ſtare te feci, vel permiſi te vivere nec cum pecudibus te percuſſi, *ut oſtenderem in te potentiam meam*, ſi ſcil. non reſipiſceres i.e. interitu tuo gloriam meã illuſtrarem. Quantumvis itaque finis intermedius à DEO intentus (prout Phariſæi dicuntur *conſilium DEI, ut baptizarentur & ſalvi fierent, adverſus ſeipſos irritum feciſſe Luc 7.v.30.*) ab hominibus poſſit interverti, nequaquam tamen ultimus, cum & παναλεθρία impiorum DEI gloria illuſtretur.

§. 2. *Uſus*

§. 2. *Vſus* aphoriſmi hujus *in didacticis* eſſe poteſt, ut DEI αὐτοκρατορίαν agnoſcamus, nihilominus ab hac imputata culpa, quaſi citra voluntatem ejus, ne malum quidem morale patrari queat, ipſum liberemus.

§. 3. *In polemicis* adverſus Calvinianos, qui DEO nolente (i.e. non volente) ne mala quidem moralia fieri poſſe cenſent, & abſurdum, quòd ab hominibus voluntas, conſilia & finis à DEO intentus poſſint intervertì, ducunt. Ecquis inficias ibit, DEI voluntatem eſſe ſanctificationem noſtram, quæ tamen peccatis variis
p. 64 impeditur? Ergò & peccata, ſanctificationis impedimenta, volet DEUS? Finem itaque intermedium & ultimum; voluntatem DEI, quæ fit à nobis, & quæ fit de nobis limitibus accuratis diſtinguant.

APHORISMUS XIV.

Voluntas DEI facientis eſt tota facti ratio.

SCHOLIUM.

§. 1.

Enſus. Sæpius quæritur, cur DEUS hoc, vel illud faciat, cur mundum non prius creaverit? cur nō ſtatim poſt lapſum & promulgatum πρωτευαγγέλιον, ſed demum poſt quartum ferè completum annorum millenarium promiſſum redemtorem miſerit? cur tam vilibus & abjectis ſalutis mediis utatur? cur beneficia, quæ Chriſtus peperit, non in hac vita nobis communicet omnia, & ſic etiam ab inhærentia peccati nos in hac vita liberet? cur non per Angelos in negocio ſalutis nobiſcum agat? & quæ poſſunt eſſe quæſtiones aliæ. Licet autem à poſteriori nobis rationes afferantur, & quidem ad quæſtionem primam, quòd etiamſi mundus prius conditus fuiſſet, nihilominus hęc quæſtio moveri potuiſſet; ad ſecundam, quòd jugo legum ceremonialium populum ſuum prius exercere DEUS voluerit, ut eò anxius ad promiſſum Meſſiam anhelarent, & ita methodum in converſione privatorum obſervari ſolitam, ubi contritio antecedit fidem, & hîc imitatus fuerit, quia ſecundùm tritum iſtud,

Dulcia non ſentit, qui nō guſtavit amara?

ad tertiam, quòd, *Chryſoſtomo* ſtatuente, quia corporibus noſtris anima eſt inſerta, ſub ſenſibilibus intelligibilia nobis præbeat, & quòd media illa, quantum ad materiam terrenam, εὐπρόσφατα i.e. paratu facilia ſint; ad quartam, quòd profundiſſimam noſtram corruptionem altiùs expendere, CHRISTI meritum carius æſtimare, nec nō ad futuram liberationem plenariam ardentiùs adſpirare debeam⁹; ad quintam, quod Angeli nobis potius terrori eſſent, cum hominibus autem, tanquam fratribus, confidentius agere poſſimus; licet, inquam, à poſteriori rationes ejusmodi à nobis afferantur probabiles, tutius tamen in voluntate divina, quæ tota facti ratio eſt, acquieſcamus. *Omnia ſiquidem, quæ vult, facit, in cœlo & in terra: in mari & omnibus abyſſis*, *Pſ.* 135. *verſ.* 7.

§. 2. *Vſus* aphoriſmi hujus *in didacticis* eſt, quòd DEUS ſit Ens liberrimum, in iis nimirum, quæ non ſunt neceſſaria & immutabilia, ut eſt æterna Filii DEI generatio, & Spir. S. à Patre & Filio proceſſio.

§. 3. *In polemicis* adverſus Rationaliſtas & Quomodiſtas, qui omnium rerum modum & rationem quærunt, de quibus in loco antecedente. p. 65

APHO-

APHORISMUS XV.

In una numero essentia divina tres sunt distinctæ personæ, Pater, Filius & Spiritus S.

SCHOLIUM.

§. 1.

Sensus. Nulla hîc est contradictio, quæ fingitur nonnullis, DEUM esse unum & trinum, sed saltem ἐναντιοφανὲς i.e. contradictio apparens, quia leges oppositionis legitimæ negliguntur, nominatim lex πρὸς αὐτὸ i.e. respectu ejusdem. Si DEUS unus esset essentiâ & trinus essentiâ, vel unus & trinus simul in personis, tunc forsan ὀι ἐξ ἐναντίας aliquid obtinerent, sed unitas πρὸς οὐσίαν i.e. essentiam, trinitas πρὸς ὑποστάσεις i.e. ad personas refertur.

§. 2. Quia verò cardo salutis nostræ vertitur in hoc articulo secundùm istud Salvatoris *Joh.17.v.3. Hæc est vita æterna, ut cognoscant Te solum verum DEUM, & quem misisti JESUM Christum*, ejusdem probationi quadantenus immorabimur.

§. 3. Tria verò nobis hîc sunt probanda 1. essentiæ divinæ unitas. 2. personarum pluralitas, quæ tamen ternarium numerum non excedit, 3. trium personarum in una essentia divina communitas.

§. 4. Unitas probatur ex *Deut.6.v.4. Audi, Israël, Dominus DEUS noster Jehovah unus est. Matth.19.v.17. Marci 10. v.18. Nemo est bonus, nisi DEUS unus. 1.Cor.8.v.6. Nullus est DEUS alius, nisi unus. Nam etsi sint, qui dicantur Dii sive in cœlo, sive in terra (siquidem Dii multi sunt, & Domini multi) nobis tamen unus est DEUS, Pater, ex quo omnia, & nos in illum, & unus Dominus JESUS Christus, per quem omnia, & nos per ipsum. Gal.3. v.20. Mediator unius non est: DEUS autem unus est. Eph.4.v.6. Unus DEUS & Pater omnium.*

§. 5. Trinitatem personarum quod attinet, propter controversiam ante aõs non ita plures motam, ex utroque Testamento distinctim eandem probabimus. Formabatur autem controversiæ status hunc in modum: An ex solo Testamento V. absque adminiculo Novi Trinitas personarum deitatis solidè, ita, ut Adversarius convinci queat, probari possit. Quod quidam Academiæ Juliæ & quidem magni nominis Doctor negabat: nos cum rectius sentientibus affirmamus. Ubi circa statum hunc controversiæ notamus, collatione Novi Test. ad Vetus mysteriũ hoc quidem magis illustrari, sed quod ex solo V.T. probari nequeat, nos imus inficias. Sequeretur etiam Judæos, qui tantùm ex V.T. nobiscum disputant, à Christianis super hac Trinitate personarum in unitate divinæ essentiæ, convinci nõ posse. Conditio de soliditate adjecta, quasi tantùm illa probatio esset solida, quâ cõvincatur Adversarius, seq; victum agnoscat, pro non adjecta est habenda. Si enim argumentum non esset solidum, nisi Adversarius convincatur, aut se convictum fateatur, sequitur, nec dissentientes solidè convincere posse Socinianos ex N.T. quia mĩnimè se victos fatentur, nec desinunt oblatrare veritati. Licet etiam aliquis cõvictus sit quoad λόγον ἔσω i.e. orationem internam & in conscientia, veritati tamen quoad λόγον ἐξω i.e. orationem externam resistere potest, exemplo eorum, qui disputabant cum Stephano. De his *Act.c.6. v.10.* dicitur, *quòd non potuerint resistere Spiritui, qui per Stephanum loquebatur*, & tantùm *Steph.c.7.v.51.* ipsis objicit, *quòd*

p.66

quòd semper resistant Spiritui S. Imò sequeretur, nec Christum, nec Apostolos conviciisse suos Adversarios, quia sententiæ suæ tenacitet inhæserunt. Trinitatem itaque personarum deitatis probamus ex V.T. 1. illis locis, ex quibus personarum pluralitas elicitur, quod adversus Antagonistas unicam duntaxat personam deitatis agnoscentes sufficit. Hujusmodi loca sunt *c.1.Gen.v.1.* בְּרֵאשִׁית בָּרָא אֱלֹהִים i.e. *DEVS*, in cujus essentia plures sunt personæ, *creavit*, Eodem *c.1.v 26. Faciamus hominem ad imaginem nostram*; ubi DEUS non Angelos, sed reliquas deitatis personas in consilium vocat. Nec enim Angeli creatores sunt, nec ad Angelorum imaginem dicimur creati. *C.3.Gen.v.22.* ubi DEUS post lapsum Protoplastos per Ironiam, non illusoriam, sed objurgatoriam sic alloquitur: *Ecce, Adam factus est, ut unus ex nobis.* Non autem putandum, DEUM in plurali numero de se loqui more Magnatum, quia nec in populo Dei (quod patet exemplo Regum & Magnatum, quãdo in scripturis de se loquuntur) nec affinibus populis cognatione linguæ junctis fuit usitatum, sed est recens inventum politicorum. *C.11.v.7.* ubi personæ deitatis confusuræ linguas ædificantium turrim Babylonicam se invicem hunc in modum alloquuntur: *Agite, descendamus, & confundamus linguas eorum.* 2. probamus istis locis, in quibus duarum personarum fit mentio, ut *Gen.19.v.24. Pluit Jehovah de Jehovah* i.e. DEUS Filius de DEO Patre, quem locum Patres vetustiores adversus Antagonistas Anti-Trinitarios valdè urserunt. *Ex.33.v.19.34.* p.67 *v 5. Prædicabat Iehovah de Iehovah* i.e. Filius de Patre, ut *Num.c.14.v.17.* hæc prædicatio ipsi DEO adscribitur *Dan.9. v.17. Exaudi nos, Domine, propter Dominum*, promissum sc. Messiam θεάνθρωπον. 3. probamus illis locis, ubi trium personarum fit mentio, ut *Ps 33.v.6. Verbo Domini cœli facti sunt, & Spiritu oris ejus omnis exercitus eorum.* Quæ verb. compendium sunt *capitis primi Genes.* in quo DEI, verbi divini, per quod omnia facta sunt, & Spiritus DEI, vim vitalẽ aquis tribuentis, mentio injicitur. Quibus benedictionem Ecclesiasticam *Num.6. versibus ultimis*, & πεισάγιον Angelicum *Es.6.v 3.* jungimus, quod non tantùm à *Joh.c.12.* & *Luc.c.24.* πεαξαποςόλε *v.25.* sed etiam à Rabbinis de tribus personis deitatis exponitur. Ita trium personarum deitatis mentio fit *Es.c.48.v.16.* cùm Filius in plenitudine temporis incarnandus dicit: *Nunc Dominus misit me, & Spiritus ejus.* Et *c.63.vers.9.10.* ubi DEI, Angeli faciei, & Spiritus DEI, quem exacerbarunt in deserto Judæi, mentio injicitur. 4. probamus ex illis V.T. locis, in quibus numerus ternarius numerabilis continetur, quòd scil. nec plures, nec pauciores deitatis personæ sint, quàm tres, quibus nomen, attributa, opera & cultus divinus competat. Eam personam, quam nos Patrem vocamus, verum DEUM esse Judæi & Sociniani facilè dabunt. Præter hanc duas esse, Filium scil. qui propter legationem magnam ad redimendum genus humanum Angelus dicitur, sed increatus, & Spiritum S. ex seqq. locis est in aprico. Dari talem Angelum, qui sit increatus, patet ex variis scripturæ locis, inprimis *c. Gen.22.v.11.12.* ubi Angelus Domini fidem Abrahæ probat, eumque laudat, *quòd non pepercerit Filio suo propter se. Cap. Gen.48.v.15.16.* ubi Jacobus nepotibus suis ex Joseph Ephraim & Manasse

nasse benedictionem precatur *ab Angelo, cui liberationem ab omni malo adscribit. Exodi c.3. versiculis pluribus*, ubi Angelus habitator rubi nomen *Jehovah* sibi tribuit *v.14.16.* se vocat *DEVM Abrahæ, Isaaci & Iacobi v.15.* promittit *eductionem ex Ægypto in terram Canaan v.17.* adscribit sibi *miracula in Ægypto patranda v.20. Ex.23.v.21.* ubi de Angelo ductore Israëlitarum dicitur, *quòd nomen DEI sit in medio ejus. Numer.10. v.35.36.* quando elevabatur arca, super qua Dominus ductor viæ involutus nube quieverat, dicebat Moses: *Surge, Domine, & dissipentur inimici tui.* Quando verò redibat, & quiescebat, Moses in hæc verba erumpebat: *Revertere, Domine, ad multitudinem millium in Israel. Judic.13. v. pluribus.* Angelus cum Manoha loquens *nomen suum dicit esse mirabile*, sacrificiis colitur, & pro ipso DEO agnoscitur. Præterea DEO Filius tri-
p.68 buitur, de quo *Psal.2.v.7.* dicitur: *Filius meus es tu, ego hodie* i.e. ab æterno (quia penes DEUM est perpetuum hodie) *genui te. Prov.30.v.4. Quis mundi fines constituit? Quod ipsi nomen est, & quod nomen filio, si scis?* Hic ipse *Filius datus nobis Es.9.v.6.* vocatur אֵל גִּבּוֹר i.e. *DEVS fortis.* Præterea de Spiritu S. dicitur, quòd vim vitalem præbuerit aquis *Gen.1 v.1, quòd exercitus cœlorum ab ipso facti sint Psal.33.v.6. quòd spiraculum hoc omnipotentis* Jobum *formaverit c.33.v.4.* quòd sit *omnipræsens Psal.139.v.6.* quòd nos *regeneret ac renovet Ps.51.v.12.* quòd nos *ducat in semita recta Psal.143. v.11.* quòd *exacerbatus fuerit ab Israelitis in deserto Es.64.v.10.* Quod tamen in *Pentateucho* Mosaica passim & *Psal.95. v.9.* de vero DEO dicitur. In resp. πρὸς ἄνθρωπον Judæis etiam Rabbinos veteres, quando πειράγιον *Esa.6.* de DEO Patre, Filio ac Spir. S. exponunt, quando trium facierum, trium coronatum, trium basium mundi mentionem faciunt, opponere possemus, sed quia in locis his aphoristicis brevitati studemus & id alibi præstitimus, ad fundamenta N.T. accessum facimus.

§.6. Unitatem essentiæ divinæ & hoc Testamentum inculcat, præsertim in *1.Cor.8.v.5. Etiamsi sint, qui dicantur Dii sive in cœlo, sive in terra (quemadmodum sunt Dii multi & Domini multi) nobis tamen unus est DEVS*, nihilominus in hac unica essentia divina tres esse personas dicit. Evidenter hoc admodum fit *1.Joh.5.v.7. Tres sunt, qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum & Spir. S. & hi tres unum sunt*: ut & cùm Christus eandem sibi & Patri manum tribuens dicit *Joh.10.v.30. Ego, & Pater unum sumus.* Ita multoties in operibus divinis, ut in incarnationis opere *Lucæ 1. v.35.* in baptismo Johannis *Matth.3. v.16.17.* in baptismo nostro *Matth.28.v.19.* conjunguntur.

§.7. Præterea numerus numerabilis Solis quasi radiis scriptus ibidem conspicitur. V. g. Cùm *filius* vocatur *verus DEVS 1.Joh.5. v.20. ut simus in Filio ejus JESV CHRISTO: hic est verus DEVS & vita æterna*: cùm vocatur *magnus DEVS Tit.2.v.13. expectantes beatam spem & apparitionem gloriosam magni DEI, & Salvatoris nostri JESV CHRISTI*: ubi sub uno articulo *DEVS magnus & Salvator noster JESVS Christus* ponuntur; nec non ἐπιφάνεια illa gloriosa soli Christo in scripturis N.T. passim attribuitur: cùm *DEVS in*

ſecula benedictus vocatur *Roman.9.v 5. Chriſtus ex Patribus ſecundum carnem, qui eſt ſuper omnia DEVS benedictus in ſecula*: cùm *DEVS altiſſimus* vocatur *Lucæ 1.v.76. Tu puer*, Johannes Baptiſta, *Propheta vocáberis altiſſimi: præibis enim ante faciem Domini, parare vias ejus*: ubi nervus collectionis in
p.69 particula ὅϐ latet, quâ ratio redditur, cur Johannes Propheta dicendus ſit altiſſimi, quia nimirum viam paraturus eſt Domino. Sed Chriſto viam paravit. Hûc referri poſſunt loca, in quibus DEUS abſolutè vocatur, ut *Joh.1.v.1. & DEVS erat verbum*, ſcil. *quod caro factum eſt. Joh.20.v.28.* cùm Thomas ad Chriſtum inquit: *Domine mi, & DEVS mi. Hebr.1.v.9. ex Pſal.45. Propterea unxit te, DEVS, DEVS tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis.* Nec minus loca, in quibus nomen DEI ſubjecti loco ponitur, ut *Actor.20.v.28. DEVS proprio ſanguine redemit Eccleſiam ſuam*, ut & *1.Tim.3.v.ult. Omnium confeſſione magnum eſt pietatis myſterium, DEVS manifeſtatus eſt in carne.* Ulterius vocatur Filius DEI μονογενὴς i.e. *unigenitus*, & ſic per naturam, non adoptionem DEUS *Joh.1.v.18. Deum nemo vidit unquam: unigenitus Filius, qui eſt in ſinu Patris ipſe nobis enarravit. Johan.3. v.16. Sic Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret*: Vocatur Filius DEI propriùs *Rom.8.v.31,32. Si Deus pro nobis, quis contra nos, qui ne proprio quidem Filio pepercit*: qui Deum habeat ἴδιον Πατέρα i.e. *proprium Patrem Joh 5. v.18.* Unde Judæi colligunt, quòd ſe DEO faciat æqualem: vocatur Filius DEI abſolutè paſſim in ſcripturis, quam ob cauſam, tanquam blaſphemus, morti addicitur *Matth.26.v.63,65,66. Joh. 19. v.7.* Ex attributis divinis æternitas *Joh.1. v.1. In principio erat verbum, Apoc.1.v.11. Ego ſum α & ω, primus & noviſſimus*, omnipotentia *Philipp.3 v.21. Chriſtus transfigurabit corpus noſtrum humile, ut conforme reddat corpori ſuo glorioſo ſecundùm efficaciam, quâ ſibi ſubjicere poteſt omnia*; omniſcientia *Joh.2.v.ult. ipſe ſciebat, quid eſſet in homine, Apoc.c.2.v.23. & ſcient omnes Eccleſiæ, quòd ego ſim ille, ſcrutans renes & corda*, nec non alia paſſim ipſi tribuuntur. Ex operibus divinis creatio Filio tribuitur *Joh.1.v.3. Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine eo factum eſt nihil, quod factum eſt.* Ubi particula PER non inſtrumentum, ſed ordinem agendi denotat. Ne verò quis excipiat de creatione, vel reparatione ſermonem eſſe, Paulus ad *Coloſſ.c.1.v.16.* dicit: *Per illum creata ſunt omnia, quæ in cœlis ſunt, quæ in terra, viſibilia & inviſibilia, ſive throni, ſive dominationes, ſive principatus, ſive poteſtates, omnia per illum & in illum creata ſunt.* Clariùs adhuc creationis opus ipſi tribuitur, quando autor epiſtolæ ad *Hebr.c.1.v.10.* verba *Pſalmi* 102. de ipſo dicta pronunciat: *Tu in initio, DOMINE fundamenta terræ feciſti, & opera manuum tuarum ſunt cœli.* Suſtentationis & gubernationis divinæ opus ipſi tribuitur hoc ipſo *c.1.epiſtolæ ad Hebr. v. 3. Verbo potentiæ ſuæ portat omnia Coloſſ.1.v.17. Per illum conſiſtunt omnia Joh.5.v.17. Pater meus adhuc operatur, & ego operor.* De cultu divino teſtimonia paſſim occurrunt, ut cum di- p.70
citur adoratus à Magis *Matth.2 v.11.* à leproſo *Matth.8.v.2.* à diſcipulis *Lucæ 24. v.52.* Quod tamen Chriſtus non prohibuit, ut fecerunt Apoſtoli *Actor.14.v.15.*

Cùm

Cùm fides in ipsum collocanda dicitur *Ioh.14.v.1. In DEVM creditis, & in me credite. c.11.v.25. & 26. Ego sum resurrectio & vita: qui credit in me, vivet, etiamsi mortuus fuerit: & omnis, qui vivit & credit in me, non morietur in aternum.*

§.8. Spiritum S. etiam inter personas deitatis esse numerabilem, non tantùm ex iis locis, ubi cum Patre & Filio conjungitur (vide supra), sed etiam, ubi expresse DEUS vocatur, & omnia, quæ personæ competunt, ipsi tribuuntur, luce meridianâ clariùs eluceſcit. DEUS expresse vocatur *c.5. Act.v.3. & 4.* cùm Petrus Ananiam sic alloquitur: *Cur Satanas implevit cor tuum, ut mentireris Spiritui S non mentitus es hominibus, sed DEO.* Sic nomen DEI & Spiritus S. permutatum in scripturis hinc inde sumuntur. V.g. Cùm Zacharias Johannis Baptistæ Parens in cantico suo dicit *Lucæ 1. v.68. & 70. Dominum DEVM Israel locutum esse per os sanctorum, qui à seculo sunt, Prophetarum suorum*, id alibi exponitur de Spiritu S. v.g. cùm Lucas verba Pauli recitans inquit *Actor.28.v.25. Benè Spiritus S. locutus est per Esaiam Prophetam ad Patres nostros.* Sic *Act.1.v.16.* Petrus inquit: *Oportuit impleri scripturam hanc, quam prædixit Spiritus S. per os Davidis.* Sic idem *c.1. epistolæ posterioris vers. ult. Non voluntate hominis allata est olim prophetia, sed â Spiritu S. impulsi locuti sunt sancti DEI homines.* Spiritui S. regimen Ecclesiæ adscribitur, cùm *Actor.20. v.28.* ad Presbyteros Ephesinæ Ecclesiæ dicitur: *Attendite vobis & cuncto gregi, in quo Spiritus S. vos posuit Episcopos ad pascendum Ecclesiam DEI, quam sanguine proprio acquisivit.* Sic *Act.13.v.2.* Spiritus S. inquit: *Segregate mihi Barnabam & Saulum, in opus, ad quod accersivi eos.* Spiritui S. regeneratio & renovatio nostra adscribitur, ut *Ioh.3.v.5. Nisi quis natus fuerit ex aqua & Spiritu, non potest introire in regnum DEI.* Ad *Tit.c.3.v.5.* baptismus lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus S. dicitur. *1.Cor.3. v.16.* ipsi templum tribuitur: *An nescitis, quòd templũ DEI sitis, & Spiritus DEI habitet in vobis.* Ut & *1.Cor.6 v.19. An nescitis, quòd corpus vestrum templum sit habitantis in vobis Spiritus S.* Unde, quòd cultus adorationis ipsi competat, per bonam consequentiam inferri potest.

§.9. Sed, quia Socciniani concedunt, Spiritum S. esse θεῖόν i.e. divinum quid, motum & agitationem in cordibus, non Θεὸν i.e. DEUM ipsum & veram deitatis personam, ὑπόστασις ipsius etiam probanda est. Probatur illa ex nominibus & officiis personæ, cum Paracletus, & quidem alius à Filio, dicitur *Ioh.4.v.16.* cum mundum de peccato, de justitia & de judicio dicitur arguere. *c.16.v.3.* cùm Christum glorificare *ibidem v.14* cùm profunda deitatis scrutari dicitur *1. Cor. 2. v.10.* Probatur illa ex distinctis symbolis, in quibus apparuit. Cum enim in Jordane, quando Christus baptizabatur, tota S.S. Trinitas apparuit, & Pater voce cœlitus delatâ, Filius corpore, Spiritus S. in specie columbæ se manifestavit juxta versiculum: *Voce Pater, Natus corpore, Flamen ave* se manifestârunt. *Matth.3.v.16.* jam verò θεῖόν τι, motus & agitatio in cordibus nostris visibili specie aliquâ se non manifestat. Sic in forma linguarum igearum i.e. flammarum in festo Pentecostes apparuit. *Actor.2.* p.71

v.4. Probatur ex eo, quòd in ipsius nomine, non secus ac Patris & Filii baptizemur, *Matth.28.v 19. Euntes docete omnes gentes, baptizate eos in nomine Patris, Filii & Spiritus S.* Sic inter testes cœlestes tanquam tertius testis distinctè ponitur 1.*Ioh.5.v.7. Tres sunt, qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum & Spiritus S. & hi tres unum sunt.* Probatur ex distinctione Spiritus S & donorum ipsius 1. *Cor.12.v.4. distinctiones donorum sunt, sed unus est Spiritus.* Et *v.11. Hæc omnia operatur unus idemq; Spiritus distribuens unicuiq; prout vult.* Probatur ex eo, quòd Spiritus S. tanquam agens libertimum introducatur *Actor. 2. v.4. Loquebantur variis linguis, prout Spiritus ipsis dabat eloqui. Act.15. v.25. Visum est Spiritui S. & nobis.* 1.*Cor.12. vers.11. Spiritus S. dona sua distribuit, prout vult.* Probatur ex permutatione generum, cùm *Ioh.16.v.13.* dicitur: *πνεῦμα, ἐκεῖνος, Eph.1.v.14. πνεῦμα, ὅς*, quæ Personalitatem ipsius arguit.

§.10. *Usus* aphorismi hujus *didacticus est*, ut veram de DEO doctrinam in Articulo maximè fundamentali rectè teneamus, &, sicut baptizamur; ita rectè credamus in DEUM Patrem, Filium & Spiritum S. Qui enim Filium non habet, Patrem non habet: & qui Spiritum Christi non habet, non est ejus *Rom.8. v.9.* Nullatenus itaque præfatio & clausula Symboli Athanasiani pro superba, ut Remonstrantes volunt, est habenda: *Quicunq; vult salvus esse, ante omnia opus est, ut teneat catholicam fidem, quam nisi quisq; integram servaverit, absq; dubio in æternum peribit.*

§.11. *Usus in polemicis* esse potest adversus Arianos, Photinianos veteres & recentiores, & quosvis Anti-Trinitarios, Judæos & Turcas, nec non Sabellianos. Ubi *ὡς ἐν παρόδῳ καὶ παρέργῳ* notamus, convenire partim Arianos cum Photinianis, partim dissentire. Conveniunt in abneganda deitate Christi: dissentiunt in hoc, quòd Ariani, nomen habentes ab p.72
Ario Ecclesiæ Alexandrinæ Presbytero duas quidem in Christo naturas admittunt. Sed, quam nos deitatis personam secundam agnoscimus, illi creaturarum omnium primam, per quam tanquam instrumentum DEUS creaturas reliquas condiderit, faciant: Photiniani autem à Photino Sirmiensis Ecclesiæ in Pannonia inferiori Ministro nomen habentes, cum quibus eodem socco saltant Sociniani, naturam duntaxat humanam in Christo agnoscunt, quem etiam, priusquam ex Maria duxisset ortum, prorsus non extitisse statuunt. Quòd Judæi & Turcæ Trinitatem personarum in unitate divinæ essentiæ negent, notius est, quàm ut filo prolixiore diducendum sit impræsentiarum. Sabellius, qui vixit in seculo currente tertio, quamvis DEUM Patrem, Filium & Spiritum S. verum DEUM statuerit, eosdem tamen nominibus saltem, *χάριν* & modo differre docuit, v.g. cùm cœlum & terram condidit, Patrem, cùm genus humanum redemit, Filium, cùm regenerat & renovat, Spiritum S. dici voluit, quæ omnia refutantur in superioribus, & aphorismis sequentibus ulterius illustrabuntur.

APHORISMUS XVI.

In deitate est *ἄλλος καὶ ἄλλος*, non *ἄλλο καὶ ἄλλο*.

SCHO-

SCHOLIUM.

§. 1.

SEnſus. Probatur hoc ipſum in terminis, cùm Pater alius à Filio dicitur *Johan 5. v.32. Alius eſt, qui teſtimonium perhibet de me*, cùm dubio procul ad teſtimonium *Matth.3. v.17.* cœlitus delatum reſpectus habetur. Et cum Spiritus S. alius Paracletus à Filio dicitur, *Ioh.14. verſ.16. Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, Spiritum veritatis.* Probatur, quòd non tantùm diſtinctè ponantur, tum alibi, tum in formula baptiſmi noſtri *Matth.28.v.penult.* ſed etiam τρεῖς dicantur *1. Iohan. 5. v. 7.* Probatur, quòd nunquam unus, ſed unum dicitur, ut cùm Chriſtus *Ioh.10 v.30.* inquit: *Ego & Pater unum ſumus.* Quod dicit unum, liberat te ab Ario, quòd dicit ſumus, liberat te à Sabellio. Et cùm *1. Iohan.5. v.7.* Tres teſtes cœleſtes unum, non unus eſſe dicuntur. Chriſtus autem θεάνθρωπος, de quo divina & humana prædicantur, paſſim in ſcripturis dicitur εἷς i.e. unus, ut *1.Tim 2.v.3.* Εἷς μεσίτης i.e. *unus Mediator eſt inter DEUM & homines. 1.Cor.8. v.6. nobis unus eſt Dominus IESUS CHRISTUS Ro-*
P.73 *man.5 v.19. Per unius obedientiam juſti conſtituuntur multi.* Ex quibus paret, quòd Pater & Filius, uti etiam Filius & Spiritus S. idem ſint in neutro, non maſculino genere. Differunt autem perſonæ invicem realiter quidem, ſed non eſſentialiter: ab eſſentia verò perſonæ differunt τῷ λόγῳ. Cùm autem una perſona in alia eſſe dicitur, v.g. quando Salvator *Ioh.14.v.10.* ad Philippum dicit: *Non credis, quòd ego in Patre ſum, & Pater in me?* minimè de μεταχωρισμῷ id eſt intelligendum, ac ſi una perſona ſit in altera, ſicut vas in vaſe, quæ veterum quorundam hæreticorum fuit ſententia, ſed de περιχωρήσει i.e. permeatione intima. Eſt autē περιχώρησις vel eſſentialis inter perſonas ſacroſanctæ Trinitatis, de qua citato loco, vel perſonalis inter duas naturas in Chriſto, de qua Paulus *2.Cor.5.v.19. DEUS erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi*, ut & *Coloſſ.2.v.9. In ipſo*, ſcil. ſecundùm humanam naturam ſpectato, *tota plenitudo deitatis habitat.* Aliàs τρόπῳ ὑπάρξεως i.e. modo exiſtendi, vel charactere perſonali S.S. Trinitatis perſonæ inter ſe differre dicuntur.

§. 2. *Uſus* aphoriſmi hujus *in didacticis* eſſe poteſt, ut *fidem Catholicam tenentes unum DEUM in Trinitate & Trinitatem in unitate veneremur, neq; confundentes perſonas, neq; ſubſtantiam ſeparantes. Alia enim perſona eſt Patris, alia Filii, alia Spiritus S. ſed Patris & Filii & Spiritus S. una eſt divinitas, æqualis gloria, coæterna Majeſtas.*

§. 3. *Uſus in Polemicis* eſſe poteſt adverſus Sabellianos, qui perſonas deitatis ſaltem nominibus & σχέσει quâdam differre dicebant, prout hiſtorio unus numero diverſas perſonas in comœdia ſuſtinet: item adverſus recentiores quoſdam (Keckermannum) qui perſonas deitatis modaliter ſaltem differre volunt.

APHORISMUS XVII.

Filius Patri non tantum ὁμοιούσιος i.e. ſimilis eſſentiæ, ſed & ὁμοούσιος i.e. ejuſdem eſſentiæ eſt cum Patre.

SCHO-

SCHOLIUM.

§. 1.

Sensus. Ariani concedebant quidem Filium Patri esse ὁμοιούσιον i. e. similis essentiæ, negabant autem esse ὁμούσιον i.e. ejusdem cum Patre essentiæ, vel consubstantialem Patri, quod orthodoxi affirmabant, ita, ut super unica literula Jod tanta controversia suscepta videretur. Verùm sub hac unica literula, omnium minutissima, latent res magnæ, ipsa scil. p.74 deitatis Filii vel affirmatio, vel negatio. Simile siquidem non est idem, secundùm dictum : Πᾶν ὅμοιον ἀνόμοιον i.e. *omne simile est etiam dissimile.* Eunomiani verò ne quidem ὅμοιον i.e. *similem* Patri Filium asserebant. Unde Eunomii ἀνόμοιοι dicti fuerunt.

§. 2. Ὁμουσίαν verò Patris & Filii probamus 1. ex nominibus Filio in Scripturis S. attributis, quòd *verus DEVS 1. Joh. 5. v. 20. magnus DEVS Tit. 2. v. 13. DEVS in secula benedictus Rom 9. v 5. Deus altissimus Luca 1. v. 76. Deus fortis Es. 9. v. 6.* item quòd *unigenitus Johan. 1. v. 18.* & *proprius Dei Filius Rom. 8. v. 32. qui DEVM habeat* ἴδιον Πατέρα i.e. *proprium Patrem, Joh. 5. v. 18.* & Filius DEI absolutè passim in scripturis dicatur. 2. quòd eadem attributa, præsertim *æternitas*, ipsi attribuantur, ut *Apoc. 1. v. 17. Ego sum primus & novissimus*, quibus verbis verus DEUS ab omnibus creaturis discernitur *Esa. 44. v. 6. Johan. 1. v. 1.* Ἐν ἀρχῇ i.e. *in initio*, cùm creaturæ inciperent, jam erat ὁ λόγος. Lutherus νενεχῶς non reddidit Am Anfang / sicut *versiculum primum capitis primi Gen.* Sed Im Anfang / ne quis unà cum creaturis λόγον cœpisse, persuasum habeat. Nervus enim collectionis in verbo ἦν i.e. *erat* latet. Cùm scil. in principio creaturæ fierent, jam erat ὁ λόγος. Et si quis quæreret, ubi erat igitur, *Johannes* dicit, *erat apud DEVM*, imò *ipse DEVS erat*, per *quem omnia facta sunt.* Corruit itaque exceptio Arii, quam semper in ore habebat ἦν πότε, ὅταν οὐκ ἦν i.e. *erat aliquando*, vel tempus, vel quæcunque durationis species, *quando non erat.* 3. ex æqualitate operum v. gr. cùm Christus *Johan. 5. v. 17. Pater meus hucusq; operatur, & ego operor. vers 19. Quæcunq; Pater facit,* ταῦτα i.e. *eadem* pariter *facit Filius, v. 23. ut omnes honorent Filium, sicut & Patrem.* De creationis opere vide supra. 4. quòd Patri sit æqualis. Ex dictis enim Judæi rectè colligebant, quòd Patri se faciat æqualem. Tantum autem abest, ut hoc ipsum Christus confutet, ut in sequentibus etiam magis confirmet. *Phil. 2. v. 6.* dicitur, quòd *Christus in forma DEI existens* οὐχ ἁρπαγμὸν i.e. *non rapinam* vel sibi proprium τὸ εἶναι ἴσα τῷ Θεῷ scil. τὰ ἑαυτοῦ, divina, ἀυχήματα, *sciverit.* Sic *Johan. 16. v. 15.* dicit : *Omnia, quæcunque Pater habet, mea sunt.* Ita χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως Θεοῦ dicitur *Hebr. 1. v. 3.* 5. quòd unum cum Patre dicatur v.g. *Joh. 10. v. 30.* cùm sibi & Patri manum eandem tribuens inquit : *Ego & Pater unum sumus. 1. Joh. 5. v. 7.* Cùm *Pater, Verbum & Spiritus S. unum esse* dicuntur. Quare vox consubstantialis, quæ pomum Eridos in Concilio Nicæno erat, Symbolo Nicæno fuit inserta : Credo in unum DEUM JESUM Christum, Filium DEI unigenitum, & ex Patre natum ante omnia secula, DEUM de DEO, lumen de p.75 lumine,

lumine, DEUM verum de DEO vero: genitum, non factum, consubstantialem Patri.

§. 3. *Usus* aphorismi hujus *in didacticis* itidem esse potest, ut unitatem in trinitate, & trinitatem in unitate veneremur, & de Filii deitate certiores simus.

§. 4. *In polemicis* adversus omnes Antitrinitarios tam veteres, quàm recentiores, ut & Fanaticos, qui solum Patrem summum DEUM faciunt, ipsíque Filium, velut in systemate mundano sphæram inferiorem superiori subordinant.

APHORISMUS XVIII.

Filius τάξει i. e. ordine, non tempore, non dignitate, non potestate posterior est Patre.

SCHOLIUM.

§. 1.

Sensus. Hic ante omnia tenendum, primitatem esse vel essentialem, vel personalem. Primitate essentiali omnes personæ deitatis primæ sunt, ita, ut quælibet ex *Esa. cap. 44. vers. 6.* de se dicere queat: *Ego sum primus & novissimus*, quod Filius facit *Apoc. c. 1. v. 17.* Inde fit, ut interdum Filius, interdum Spiritus S. Patri præmittatur, ut *2. Cor. 13. v 13. Gratia Domini nostri JESU Christi, & charitas DEI, & communio Spiritus S. sit vobiscum omnibus, Amen. Luc. 1. v. 35. Spiritus S. superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi. Apocal. 1. v. 4. Gratia vobis & pax ab eo, qui est, & qui erat, & qui venturus est, & à septem Spiritibus* (i. e. Spiritu S. qui propter dona sua varia septiformis munere dicitur, sacrum septenarium scil. donorum suorum fidelibus communicans) *qui sunt in conspectu throni ejus, & à JESU Christo, qui est testis fidelis.*

§. 2. Primitate personali Pater est prima persona deitatis, quia fons est deitatis, essentiam suam ab alio communicatam non habens: Filius est secunda persona deitatis, quia per æternam generationem essentiam suam communicatam habet à Patre: Spiritus S. tertia persona essentiam suam à Patre & Filio per æternam processionem communicatam habens. Et hic ordo in formula baptismi nostri observatur *Matth. 28. v. 19. Euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, Filii & Spiritus S.* Ut etiam *1. Iohan. 5. v. 7. Tres sunt, qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum & Spiritus S.* Quòd autem Filius Patre non sit posterior tempore, liquet ex p. 76 eo, quia tempus ante conditum mundum non fuit. Nec enim mobile, nec motus, nec numeratio motus tunc extitit. Fuit autem Filius, ipse Creator, *ab æterno apud Patrem Iohan. 1. v. 1.* Non dignitate posterior est, quia *Filium omnes honorare debent, sicut Patrem, Iohan. 5. v. 23.* Non potestate, quia *quæcunq; facit Pater, eadem pariter facit Filius. Ioh. 5. v. 19.* Unde manum eandem sibi & Patri tribuit *Ioh. 10. v. 28. 29.*

§. 3. *Usus* aphorismi hujus *in didacticis* esse potest, ut fundamentum cognoscamus, cur Pater prima, Filius secunda, Spiritus S. tertia deitatis persona dicatur, item cur Pater per Filium in Spiritu S. dicatur operari, & ita quomodo intelligendus sit locus Apostoli *Rom. 11. v 35. Ex illo, & per illum, & in illum sunt omnia*, nihilominus omnes tres personæ sibi consubstantiales, coæternæ sint

& coæquales. Cùm enim Pater per Filium in Spiritu S. dicitur operari, particulæ istæ PER & IN non instrumenta, sed ordinem agendi denotant. Ut Filius per generationem æternam essentiam, sic & potentiam operandi, Spiritus S. per æternam processionem à Patre ac Filio accepit.

§. 4. *In polemicis* adversus omnes eos, qui Filium & Spiritum S. Patre inferiorem, & ἑτερούσιον esse volunt, usus aphorismi esse potest.

APHORISMUS XIX.

Filius rectiùs αὐτὸς θεὸς, quàm αὐτόθεος dicitur.

SCHOLIUM.

§. 1.

Sensus. Controversiam, an Filius rectè dicatur αὐτόθεος circa seculi currentis initium, præsertim à Remonstrantibus, agitatam fuisse, notius est, quàm ut pluribus probandum sit impræsentiarum. Qui tenuerunt affirmativam inter οὐσίαν & ὑπόστασιν distinxerunt, quòd Filius quidem secundùm ὑπόστασιν non sit αὐτόθεος, cùm per æternam generationem à Patre acceperit, interim tamen per οὐσίαν, cùm sit Jehovah & sic αὐταυτὸς, essentiam à seipso habens & creaturis omnibus impertiens. Verùm licet respectu creationis hæc rectè se habeant, quòd scil. Filius ab aliquo superiore & quidem ἑτερουσίῳ i. e. *alterius essentiæ* per creationem non cœperit, interim tamen quia solus Pater est fons deitatis, Filius οὐσίαν quoque per æternam generationem à Patre acceperit, & Sabellianismus commodiùs vitari queat, rectiùs, quòd Filius sit αὐτὸς θεὸς, quàm αὐτόθεος dicimus.

§. 2. *Usus* aphorismi hujus *in didacticis* esse potest, ut personas accuratiùs P. 77 invicem discernamus, suisque proprietatibus characteristicis distinguamus. Apparet etiam inde, cur Filius ad Patrem, tanquam fontem deitatis, omnia referat.

§. 3. *In polemicis* adversus Sabellianos, qui personam in deitate unicam agnoscentes, nominibus tantùm & respectibus Patrem, Filium & Spiritum S. distinguebant.

APHORISMUS XX.

Semper gignit Pater & semper nascitur Filius. Semper spirat Pater & Filius, & semper procedit Spiritus S.

SCHOLIUM.

§. 1.

Sensus. Personas deitatis certis proprietatibus characteristicis, vel τρόπῳ ὑπάρξεως distingui, jam supra diximus. Sunt autem illæ proprietates characteristicæ, quòd Pater sit à seipso, principium sine principio, Filius ab æterno à Patre generetur, Spiritus S. à Patre & Filio ab æterno procedat. Hæc generatio & processio non fiunt successivè, ut in Physicis (quantumvis ipsa generatio, quando pro formæ introductione, sine prævis alterationibus & dispositionibus sumitur, ipsis Physicis in momento fieri dicatur) sed ἐν τῷ νῦν æternitatis semper durant. Probatur 1. *ex Psal. 2. v. 7.* ubi DEUS Pater de Filio inquit: *Hodie genui te.*

Sed

Sed apud DEUM est perpetuum hodie, cui mille anni sunt, ut dies unus *Psal.* 90. *v.* 3. 2. *Petri* 3. *v.* 8. 2. quia DEUS & ipsius opera non mensurantur temporum intervallis. 3. quia *Micheæ* 5. *v.* 2. hæc generatio in plurali numero vocatur מוֹצָאוֹת i. e. *egressiones* ad innuendam istius perfectionem, quòd non successivè per partes, aut gradus fiat. 4. quia Spiritus S. tunc, cum Christus de Paracleto promisso discipulos suos instrueret, in præsenti de Spiritus S. processione loquebatur *Iohan.* 15. *v.* 26. Non dicebat, qui processit, sed qui procedit, à Patre. Sic *Apocal.* 22. *v.* 1. dicitur: *Ostendit mihi purum fluvium aquæ vivæ*, ἐκπορευόμενον i. e. *procedentem de sede DEI & agni.* Hæc generatio hyperphysica cum Physica tantùm commune habet, quòd utraque sit essentiæ communicatio. Absit itaque blasphemia Turcarum, qui causas socias, marem & fœminam, ad hanc generationem requiri volunt. Nos generationem hanc asserentes ductum scripturæ sequimur, quæ præter revelationem paternitatis & filiationis, toties Filium unigenitum à Patre vocat, & de ipsa generatione nos instruit. Non autem propter hanc generationem Filius, aut propter processionem Spiritus S. principiatum, sed principium de principio, DEUS verus de DEO vero sunt vocandi.

p. 78

§. 2. *Usus* aphorismi hujus *in didacticis* esse potest, ut de characteristicis proprietatibus personarum deitatis, quantum quidem scriptura nobis prælucet, rectè sentiamus.

§ 3. *In polemicis* adversus Socinianos & Antitrinitarios alios, qui generationem Filii modis omnibus impugnantes successivam perfectionem in deitate locum non habentem objiciunt.

APHORISMUS XXI.

Spiritus S. à Patre & Filio immanenter emanat, & emananter immanet.

SCHOLIUM.

§. 1.

Ensius. Cum vocabulum ἐκπορεύσεως sit metaphoricum vel à rivo promanante ex suo fonte (quorsum verba *cap.* 22. *Apocal. v.* 1. jam modò adducta respicere videntur) vel radiis Solaribus è corpore ipsius lucido effluentibus (quorsum verba *Dan.* 7. *v* 10. indicem digitum intendere videntur) desumtum, &, ut à missione tanquam opere ad extra processio distinguatur, aphorismum hunc secuti ductum quorundam Theologorum terminis his formare voluimus. Sunt enim opera Trinitatis vel ad intra, vel ad extra. Opera Trinitatis ad intra sunt, quæ terminantur intra sinum deitatis, ut gignere, gigni, procedere: ad extra sunt, quæ foràs progrediuntur ad creaturas, ut creare, redimere, sanctificare. Quibus opera interna, ut decreta, quæ tamen non terminantur intra sinum deitatis, sed per executionem suam foràs progrediuntur ad creaturas. Per emanationem in aphorismo non intelligimus tale opus, quod foràs ad creaturas emanet, sed ipsam processionem, opus ad intra, quam etiam ob causam per adverbium immanenter determinatur.

§. 2. Quòd Spiritus S. à Patre procedat i. e. essentiam suam communica-

tam habeat, inter Ecclesias orientales & occidentales (nec enim hæreticos Antitrinitarios, per processionem hanc missionem intelligentes attendimus) extra controversiam positum est. Extat enim locus clarissimus *Ioh.15.v.26. Cùm venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritus veritatis, qui à Patre procedit &c.* Sed quòd etiam à Fi-
p.79 lio procedat, orientales Ecclesiæ citeriores negârunt, & adhuc negant. Usurpârunt quidam phrasin, quòd Spiritus S. à Patre per Filium procedat, sed non eo sensu, ac si Filius minor sit Patre, sed ut tantùm ordinem inter personas deitatis innuerent, &, quòd Filius per æternam generationem à Patre in hoc spirandi consortium venerit, docerent. In seculo v. quinto Theodoretus Cyri Episcopus ferventior adhuc & junior, cùm anathematismum Cyrilli nonum, quòd Spiritus S. sit proprius CHRISTI Spiritus, obeliscò nòtaret, primus negando processionem Spiritus S. à Filio vinculum unitatis inter Ecclesias orientales & occidentales solvisse creditur. Progressu temporis ab occidentalibus articulo tertio Symboli Nicæni, vel Constantinopolitani, & quidem verbis istis, *qui à Patre procedit*, addita fuerunt, *Filioq́*, super quo additamento miris modis in Concilio Florentino ante 200. annos, & quod excurrit, fuit disceptatum, ubi occidentales orientalibus vicissim exclusivam, quòd Spiritus S. à solo Patre procedat, objecerunt, donec randem orientales, ut auxilia contra Turcam facilius impetrarent, in sententiam occidentalium concesserunt. Sed postquam domum reduces facti fuerunt, improbantibus hanc concessionem plerisque, ad vomitum redierunt. Ob negationem hanc processionis Spiritus S. à Filio, Græci S.S. Trinitatem aliter, quàm Latini pingere dicuntur, in medio Patrem, à dextris Filium, à sinistris Spiritum S. collocantes.

§. 3. Quantumvis autem secundùm literam, quoad totidem verba & apices, in scripturis non extet, Spiritum S. à Filio procedere, per bonam tamen consequentiam probatur 1. ex eo, quòd Spiritus S. *Spiritus Christi*, *Roman.8.v 9.* *Spiritus oris Christi*, *2.Thessal.2.vers.8.* *Spiritus labiorum Christi*, *Esa.11.vers.4.* dicatur, nullam certè aliam ob causam, quàm quòd essentiam suam à Filio quoque communicatam habeat. 2. quòd *Spiritus S. à Filio mittatur Ioh.15.v.26.* & passim. Ideò verò Pater à nemine mittitur, quia est ἀγέννητος: Filius à solo Patre mittitur, quia per æternam generationem essentiam suam à solo Patre communicatam habet: Spiritus S. à Patre & Filio mittitur, quia per æternam processionem à Patre simul & Filio essentiam suam communicatam habet. 3. quòd Spiritum S. per afflatum discipulis suis communicaverit *Iohan.20. vers.22.* ubi non cogitandum afflatum istum fuisse ipsum Spiritum S. sed ejusdem vehiculum, & æternæ spirationis symbolum. Nec enim citato loco verbum πνέω i.e. *spiro* (unde τὸ πνεῦμα i.e. *Spiritus* derivatur) sed φυσάω i.e. *inflo* adhibetur. 4. quia fluvius aquæ vivæ crystallinus de sede DEI & agni promanare dicitur, *Apocal.22.v.1.* ubi verbum ἐκπορεύεσθαι i.e. *procedere*, quo personalis character Spiritûs S. exprimitur, à Johanne usurpatur. Per fluvium aurem aquæ vivæ Spiritum S. innui, probatur *ex Ioh.7.* p.80
v.38.

v 38. 39. *Qui credit in me, ſicut dixit ſcriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in ipſum.* Ubi παραφυαδικῶς phraſin illam, *flumina de ventre ejus fluent*, explicamus, quòd nimirum talis plenus futurus ſit donis Spiritus S. usq; ad redundantiam i. e. dona ſit acceptarus, non quæ ſibi duntaxat ſufficiant, ſed quibus etiam ſervire queat aliis, metaphorâ deſumtâ à rebus poculentis, quibus venter ita diſtenditur, ut excernere cogatur. 5. quia רוּחַ אֱלֹהִים i. e. Spiritus DEI in plurali numero dicitur, *Geneſ.* 1. *v.* 2. 6. quòd ea, quæ Pater habeat, Filii ſint, exceptâ relatione paternitatis, & quòd Spiritus S. de CHRISTO ſit accepturus, *Iohan.* 16. *v.* 15. 7. quòd nulla ratio dari poſſet, cur Pater ſit prima, Filius ſecunda, Spiritus S. tertia deitatis perſona, ſi proceſſio Spiritus S. à Filio negetur. 8. quòd nulla ratio eſſet inter Filium & Spiritum S. Pater haberet ſuum Filium, Filius ſuum Patrem: Pater haberet Spiritum S. & Spiritus S. Patrem: inter Filium autem & Spiritum S. nulla eſſet cognatio, ſed ingens hiatus. Nec obſtat, quòd duæ ſpirationes, & conſequenter duo Spiritus inde dari dicantur, cùm Pater & Filius, ut unum συνδυαζόμενον, ut unum os, & unus fons in hoc ſpirationis opere conſiderentur. Fovent quidem nonnulli peculiarem hanc opinionem, per proceſſionem Græcos non tantùm communicationem eſſentiæ divinæ, quam Spiritui S. à Filio factam fuiſſe, concedant, ſed communicationem eſſentiæ divinæ ab eo factam, qui fons ſit deitatis, intelligere, vi metaphoræ à fonte deductæ. Jam cùm Pater tantùm ſit fons deitatis, ab ipſo Solo Spiritum S. procedere. Verùm cùm ſuper hac controverſia de proceſſione Spiritûs S. à Filio tot habita fuerint colloquia, ſequitur, neutram partem intellexiſſe alteram, ſed ſibi turres finxiſſe, quas impugnarent. Nec obſtat metaphora, quæ deſumitur à fonte, cùm Pater & Filius, ut unus fons, in hac proceſſione conſiderentur, ſecundùm dictum *Apocal.* 22. *v.* 1. ubi *fluvius cryſtallinus aquæ vivæ de ſede DEI & Agni procedere* dicitur.

§. 4. Latiùs autem hîc progrediuntur, qui Spiritum S. etiam à CHRISTO ſecundùm humanam naturam procedere ſtatuunt, ut *M. Godofredus Beſoldus*, Paſtor quondam Scholæ Portenſis. De miſſione quidem, in cujus conſortium Chriſtus ſecundùm humanam naturam per unionem perſonalem venit, concedi poteſt, non autem de proceſſione. Cùm p. 81
enim proceſſio ſit eſſentiæ communicatio, & Spiritus S. ἑτερούσιος ab humana natura, proceſſio etiam ſit æterna, humana CHRISTI natura in tempore cœpetit, quomodo Spiritus S. à CHRISTO ſecundùm humanam naturam procedet?

§. 5. *Uſus* aphoriſmi hujus *in didacticis* eſſe poteſt, ut prælucente ſcripturâ, perſonas deitatis per ſuas characteriſticas proprietates commodiùs diſcernere queamus.

§. 6. *In polemicis* adverſus Socinianos, per proceſſionem miſſionem in tempore factam intelligentes; adverſus Græcos proceſſionem Spiritus S. à Filio negantes; & adverſus dictum Beſoldum, proceſſionem Spiritus S. à Chriſto ſecundùm humanam quoque naturam fa-

ctam asserentem, usus aphorismi hujus esse potest.

APHORISMUS XXII.

Quid sit nasci, quid processus, me nescire sum professus.

SCHOLIUM.

§. 1.

S*Ensus*. Differre generationem Filii & processionem Spir. S. scripturâ duce ac luce, informamur, quomodo autem differant, in hac caligine ignoramus. Quòd differant, vel exinde patet, quia Filius passim inscripturis unigenitus DEI Filius vocatur. Si unigenitus, Spiritus S. DEI Filius vocari nequit, & per consequens generatio & processio differunt. Addo, quòd Spiritus S. propter processionem à Filio Patris nepos dici posset, nisi generatio & processio differrent. Aliis etiam terminis Scriptura processionem Spir. S. generationem Filii & missionem ejusdem ad officium exprimit. Processionem per verbum *ἐκπορεύειν Johan. 15. v. 26. Apocal. 22. vers. 1.* generationem æternam, quando vocem מוֹצָאוֹת i.e. egressionum adhibet *Mich. 5. v. 2.* per vocem Græcam *τῶν ἐξόδων*, missionem ad officium per verbum *ἐξέρχεσθαι Johan. c. 16. v 28. effert.* Solenne nimirum suum & hîc scriptura servat, ut rem ipsam dicat, modum reticeat.

§. 2. *Usus* hujus aphorismi *in didacticis* esse potest, ne sapiamus supra id, quod scriptum est, *1. Cor. 4 v. 6.* nec abscondita nobis in hac vita investigemus, sed in cœlestem Academiam differamus. Hîc ex parte cognoscimus, illîc à facie ad faciem *1. Cor. c. 13. v. 10. 12.*

§. 3. *In polemicis* adversus Quomodistas, humanæ rationis decempedâ Christianæ religionis agros metientes, & Scrutatores majestatis à gloria opprimendos.

APHORISMUS XXIII. p. 82

Opera Trinitatis ad extra sunt indivisa, servato tamen ordine.

SCHOLIUM.

§. 1.

S*Ensus*. Opera Trinitatis ad extra sunt, quæ foràs progrediuntur ad creaturas, ut sunt creatio, conservatio, redemtio (quoad initium spectata) sanctificatio. Patri siquidem, Filio & Spiritui Sancto creatio, conservatio, redemtio & sanctificatio nostra, servato tamen ordine, passim in scripturis attribuuntur. Patri verò creatio in symbolo Apostolico adscribitur, quia fons est deitatis, à quo Filius & Spiritus Sanctus per æternam generationem & processionem essentiam, & consequenter creandi potentiam acceperunt: Filio redemtio, quia terminativè hæc ipsi competit. Ad initium enim Pater quoque donando Filium Redemptorem generis humani, & Spiritus Sanctus massam illam, ex qua Λόγος æternus sibi templum erat constructurus, ab omni peccati labe ac tabe purgando, humanam Christi naturam creando, defectum virilis seminis supplendo, Christum secundùm humanam naturam ungendo &c. concurrunt. Spiritui Sancto in symbolo dicto sanctificatio adscribitur, quia immediatè hoc opus peragit.

Dat

Dat genitor, mernit Natus, firmatq; salutem
Spiritus, una fides hæc capit, acta probant.

§. 2. *Usus* aphorismi hujus *in didacticis* esse potest, ut opera Trinitatis ad extra & ad intra rectius cognoscamus & invicem distinguamus, nec non agendi ordinem inter personas deitatis observemus.

§. 3. *In polemicis* aliquis usus esse potest adversus eos, qui opus incarnationis mixtum ex opere ad intra & ad extra faciunt. Si propter decretum opus ad intra vocandum esset, etiam creationis & sanctificationis opus hoc nomine venire posset, quia etiam decreta præsupponunt. Addo, quod differant opera ad intra & opera interna (cujusmodi sunt decreta) quia illa terminantur intra sinum deitatis, hæc fortàs progrediuntur ad creaturas. Usus etiam aliquis aphorismi hujus esse potest adversus omnes eos, qui personarum æqualitatem negant, & impugnant.

Locus III.

p. 83

De

CHRISTO.

§. 1.

CUm Filius DEI, media sacrosanctæ Trinitatis persona, in plenitudine temporis naturam assumserit humanam, ita, ut in & cum humana natura in consortium Trinitatis evecta constituat unam personam, non immeritò tractationem hujus articuli cum præcedente connectimus. Quia verò πρὸς τὸ ὀρθῶς διδάσκειν δεῖ πρῶτον ἐξετάζειν τὰ ὀνόματα i. e. *ad rectè docendum oporteat primùm discutere nomina*, præcipua, quibus Salvator noster insignitur, prælibabimus nomina. Sunt illa JESUS & CHRISTUS, quæ licet permutatim usurpentur vulgò, & sæpiùs conjungantur, ita tamen differunt, quòd illud sit proprium, peculiaris impositionis, quod in circumcisione accepit, & quo distinctus fuit ab aliis individuis, hoc autem appellativum, quod Messiæ nomini respondet. Unde summa conciones Apostolicarum, credere JESUM esse CHRISTUM, DEI Filium i. e. credere JESUM Nazarénum, Mariæ Filium esse promissum Messiam, eumque non nudum hominem, sed DEI Filium & consequenter DEUM ipsum. Sic docet *Johannes c. 20.*

historiæ

historiæ suæ Evangelicæ *vers.31. hæc scripta sunt, ut credatis, JESUM esse CHRISTUM, DEI FILIUM, & ut credentes vitam habeatis in nomine ipsius.* Petrus à Salvatore interrogatus, quis sit, respondet *Matth.16. v.16. Tu es CHRISTUS, Filius DEI vivi.* Quin & propter hanc ipsam causam, quòd à summo Sacerdote interrogatus, an sit CHRISTUS, DEI Filius, & hoc affirmâsset, tanquam blasphemus morti addicitur *Matth.26. vers.63.65.* Paulus etiam ad CHRISTUM conversus Damasci docebat, *hunc* (Jesum Nazarenum Hierosolymis crucifixum) *esse CHRISTUM, DEI Filium, Actor.9. v.20.22.*

§. 2. Vocabulum JESUS, quo nominatus fuit Salvator noster ab Angelis, priusquam in utero matris conciperetur, derivatur ab Hebraica radice in Kal. minus usitata יָשַׁע i. e. salvavit, in Hiphil הוֹשִׁיעַ i.e. salutem contulit, *quia populum suum*, ut etymologiæ rationem suppeditat Angelus, *à peccatis suis salvum* fecit, *Matth.1 v.21.* Quando verò nonnulli vocem hanc derivant ab ἰάω i. e. sano (unde nomen ἰατρὸς i.e. Medicus)
p.84 allusio potius est, quàm etymologia vera. Ubi obiter discrimen inter Salvatorem & Servatorem observamus. Huic bona tantùm privativa, illi verò positiva sunt accepta ferenda.

§. 3. *Nomen CHRISTI*, quod origine Græcum est, respondet Hebraico Messiæ, sicut dicitur *Ichan.1. vers.41. Invenimus Messiam*, quod est, si interpreteris, Christum. Utrumque verò significat unctum, & derivatur prius à radice מָשַׁח i.e. unxit, quam significationem etiam habet verbum χρίω, unde nomen Christus deducitur. Ratio etymologiæ est, quòd Christus secundùm humanam naturam inunctus sit infinitâ plenitudine Spiritus Sancti. Non enim ad mensuram ipsi DEUS dat Spiritum; *Johan. 3. vers.34.* Unctus autem est Christus ad officium Propheticum, Sacerdotale & regium; cujus rypi fuerunt Prophetæ (exemplo Elisæi) Sacerdotes & Reges oleo materiali quondam in V. T. inuncti. Judæi CHRISTI nomen respuentes Messiam per Græcum ἐιλημμένον (à verbo ἀλείφω) i.e. delibutum reddere dicitur. Reliqua nomina v.g. Emanuelis, Filii Virginis, Admirabilis, Consiliarii &c. Christus quoad rem quidem, non peculiarem impositionem sustinet, ut frustra sint Judæi, qui JESUM nostrum verum Messiam negant ex eo, quòd non dictus fuerit Emanuel.

§. 4. *Definitionem realem* quod cõcernit, ita CHRISTUS describitur, quòd sit secunda deitatis persona, Filius DEI à Patre ante secula genitus & vetus homo ex Maria Virgine in tempore natus. Cùm nudus DEUS pati & mori non poterat: nudus homo sufficienter pati & mori non poterat, requirebatur ad peragendum redemtionis negocium θεάνθρωπον, qui λύτρον ἰσόρροπον i.e. *precium æquilibre* justitiæ divinæ infinitæ peccatis nostris læsæ persolveret, humana natura funderet sanguinem, pateretur, moreretur, divina passioni huic & morti pondus adderet infinitum. Hæ duæ naturæ unitæ sunt unione personali, ut unam duntaxat personam constituant. Uniones enim denominationem suam accipiunt, non à termino à quo vel ab unibilibus, sed ad quem. Licet

itaque

itaque duæ in CHRISTO naturæ, vel essentiæ sint, non tamen unio naturalis, vel essentialis, sed, quia duæ naturæ, vel essentiæ tendunt ad unam personam σύνθετον, personalis vocatur. De hac unione duarum naturarum in CHRISTO sequentes aphorismi plura docebunt.

p.85 APHORISMUS I.

Ἡ θεότης χρίσις τῆς ἀνθρωπότητος. *i.* e. Deitas unctio est humanitatis.

SCHOLIUM.

§. 1.

Sensus. Cum unctio sit opus ad extra, est indivisum, Spiritui tamen sancto, quia immediatè ungit i.e. dona confert, in scripturis passim tribuitur. De hac unctione loquitur *Psal. 45. v. 8.* & *Autor epistolæ ad Hebr. cap. 1. vers. 9. Ideo unxit te, DEUS, DEUS tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis.* Clarius *Esa. 61. v 1. Spiritus DOMINI super me, ideo DOMINUS unxit me: ad Evangelizandum misit me.* Uti & *Actor.* 10. *vers.* 38. cùm Petrus concionatur in ædibus Cornelii Centurionis: *JESUM Nazarenum unxit DEUS Spiritu Sancto*; Hinc Christus οὐ κ' μέτρον i.e. *non secundum mensuram* (ut nos) Spiritum S. accepisse dicitur: *Johan. 3. vers. 34.* & per hunc digitum DEI, qui de Spiritu S. exponitur *Matth. 12. v. 28.* sua patravit miracula. Sic nos unctionem, donorum spiritualium collationem, à Sancto scil. Spiritu habere dicimur 1. *Johan. 2. v. 20.* Dictum autem hoc Græcorum Patrum aphorismi loco voluimus adducere, ut doceremus, Christum non secundùm divinam, sed humanam naturam fuisse inunctum. Divinam autem naturam potius ungentem fuisse, quàm unctam. Qui enim per naturam habet omnia, illi dona non sunt conferenda. Christus, ut DEUS, per naturam habet omnia E. Cùm verò *Psal. 45.* dicitur, DEUM esse unctũ, propositio est idiomatica primi generis communicationis idiomatum, in quo propria naturarum cõmunicantur personæ in concreto. Proprietas hæc citato loco est unctio, vel donorum collatio, quæ prædicatur de persona hoc loco à divina natura denominata, prout dico, *DEUS fundit proprium Sanguinem, Actor. 20. v. 28. Dominus gloriæ crucifixus est. 1. Cor. 2. vers. 8.* Interim, quia nomen CHRISTI & ungentem & unctum complectitur, pro concreto personæ supponit.

§. 2. *Usus* aphorismi hujus *in didacticis* est, ut, cùm nos Christiani dicamur à CHRISTO, significationem & vim nominis hujus penitius cognoscamus, & quæ deitatem CHRISTI labefactare quocunque modo possunt, è medio tollamus.

§. 3. *In polemicis* advetsus Reformatos quosdam, nominatim Josephum Grabium Theologum Bremensem, thesin hanc, quòd unctio Christo secundùm utramque naturam competat, acriter propugnantem, quem refutatum vide in p.86 præfat. B. Hunnii præfixa commentario super epistolam ad Ephesios.

APHORISMUS II.

Tolle morbos, tolle vulnera, nec erit medicinæ causa.

SCHOLIUM.

§. 1.

Sensus. Scriptura non alium finem adventus Filii DEI in carnem, quàm nostram redemtionem assignat, quòd probamus 1. ex dicto Salvatoris *Matth.* 18. *vers.* 11. *venit Filius hominis salvare, quod perierat.* 2. ex ejusdem effato *Matth.* 20. *vers.* 28. *non venit Filius hominis, ut sibi ministraretur, sed ut ipse ministraret, & daret animam suam lytron pro multis.* 3. ex 1. *Tim.* 1. *vers.* 15. *Certus sermo & dignus, quem modis omnibus amplectamur, quòd Christus JESVS venerit in mundum, ut peccatores salvos faceret, quorum ego sum primus.* 4. ex *epistola Hebr. c.* 2. *vers.* 14. *Filius DEI, per quem in novissimis nobis locutus est cap.* 1. *vers.* 2. *carnis & sanguinis particeps factus est, ut per mortem destrueret eum, qui mortis habebat imperium* i. e. diabolum. 5. ex 1. *Joh* 3. *vers.* 8. *In hoc apparuit Filius DEI, ut opera diaboli dissolveret.*

§. 2. *Usus* aphorismi hujus *in didacticis* est, ut verum incarnationis, passionis ac mortis Dominicæ finem rectius cognoscamus, & inde misericordiæ divinæ viscera *Luca* 1. *vers.* 78. caritis æstimemus.

Viscera conspicimus Patris per vulnera Nati.

§. 3. *In polemicis* usus esse potest partim adversus quosdam Scholasticos redemtionis opus quadantenus labefactantes, & Socinianos satisfactionem CHRISTi prorsus negantes, quorum utrique Filium DEI venturum in carnem statuerunt, etiamsi homo non peccâsset: partim adversus Andream Osiandrum, qui propter φιλανθρωπίαν & imaginem DEI, ad quam conditus est homo, Filium DEI, licet homo non peccâsset, incarnandum dixit.

APHORISMUS III.

Christus est seipso minor. Item: propter officium persona σύνθετος requirebatur.

SCHOLIUM.

§. 1.

Sensus. Utriusque aphorismi sensus idem est, duas in Christo naturas esse, nec nudum hominem suffeciisse ad peragendum redemtionis opus, sed in quibusdam nonnihil discrepant. Prior duas naturas inæquales in Christo esse unitas dicit, & exæquationem naturarum tollit. Infinita enim & finita, æterna & in tempore producta, spiritualis & corporea natura, creator & creatura in unam personam σύνθετον fuerunt unita. Hinc Christus Patrem se majorem, nullatenus secundùm divinam naturam, sed humanam, esse dicit *Johan.* 14. *vers.* 28. Secundùm divinam enim Patri est æqualis, ut *ex cap.* 5. *Johannis versiculis pluribus, & epistola ad Philipp* 2. *vers.* 6. probari potest. Vide quæ de consubstantialitate Patris & Filii diximus *aphorismo* 16. *loci superioris.* Nec exæquantur naturæ, quando ἀυχήματα divina v. g. omnipotentia, omniscientia, omnipræsentia, vis vivificandi, cultus adorationis, humanæ naturæ communicata dicuntur, quia modus habendi duplex est. Quod ἄυχημα Christus, ut DEUS per naturam habet, id humana per unionis gratiam habet. Verbum enim ἐχαρίσατο p. 87

ρίσατο i. e. *ex gratia dedit* (quod de cultu adorationis profertur *Phil. 2. verſ. 9.*) etiam de proprietatibus divinis reliquis humanæ naturæ communicatis eſt intelligendum. Sunt ex Theologis, qui CHRISTUM ſecundùm officium Patre minorem dicunt, verùm quia CHRISTUS ſecundùm deitatem quoque fungitur officio ſuo mediatorio, cum pluribus reſpondendo ad locum *Johan. 14. v. 28. Pater major me eſt*, diſtinctionem inter duas naturas divinam & humanam retinemus.

§. 2. Secundus aphoriſmus oſtendit finem, cur Mediatorem noſtrum oportuerit eſſe θεάνθρωπον, ut nimirum officio ſuo decenter fungi poſſet. Inter DEUM & hominem divina humanitas & humana divinitas mediatrix requiritur. Vide, quæ definitioni CHRISTI jam modò ſubjunximus.

§. 3. *Uſus* aphoriſmi hujus *in didacticis* eſt, ut duas naturas in CHRISTO probè diſcernamus, & incarnationis finem exactiùs teneamus.

§. 4. *In polemicis*, partim ut calumniam avertamus, ac ſi naturarum exæquationem doceremus, partim, ut contra Socinianos & Antitrinitarios alios, quin etiam adverſus Pontificios & Stanckariſtas, CHRISTUM mediatorem noſtrum ſecundùm humanam duntaxat naturam aſſerentes doceremus, nec nudum hominem, nec nudum DEUM ad peragendum redemtionis opus ſuffeciſſe.

p. 88

APHORISMUS IV.

Cujus eramus πλάσις, illius ſumus ἀνάπλασις.

SCHOLIUM.

§. 1.

Enſus. Quantumvis omnes tres deitatis perſonæ ſint æquales, & harum quælibet infinitum pondus τῷ λύτρῳ pro genere humano perſolvendo potuiſſet adjicere, cur ramen non Pater, nec Spiritus Sanctus ſed Filius humanam naturam aſſumſerit, & in illa redemtionis opus peregerit, à non nemine quæritur & quæri poſſet. A priori quidem rationes neſcimus, ſed voluntatem facientis totam facti rationem putamus, à poſteriori tamen afferri poſſunt. 1. quia Filius DEI, Patris imago, prototypon erat, ad quod homo condebatur, conveniens itaque erat, ut is imaginem DEI deperditam in nobis inſtauraret, & ita, cujus πλάσις eramus, illius etiam ἀνάπλασις evaderemus. 2. quia conveniens erat, ut Filius DEI unigenitus υἱοθεσίας jus nobis acquireret, prout ſcriptura finem hunc adducit *Galat. 4. verſ. 4 5. Cùm veniret plenitudo temporis, miſit Deus Filium ſuum natum ex muliere, & ſub legem factum, ut eos, qui ſub lege ſunt, redimeret, & nos υἱοθεσίαν* i. e. *jus adoptionis in Filios conſequeremur.* Quorſum etiam ſpectant verba *Johan. 1. verſ. 11. In ſua venit* (ὁ Λόγος, unigenitus DEI Filius *verſ. 14. & 18.* (*& ſui eum non receperunt: quotquot autem receperunt eum, dedit eis* ἐξουσίαν i. e. *poteſtatem, filios DEI fieri, videlicet his, qui credunt in nomen ipſius.* 3. quia conveniens erat, ut media Trinitatis perſona mediatrix inter DEUM & hominem fieret. 4. quia conveniens erat, ut qui matrem haberet in terris, patrem haberet in cœlis. Quia verò ἕις μεσίτης

i.e. *mediator noster unica persona* esse debebat, unicum duntaxat patrem & unicam duntaxat matrem habere debebat. Unde ἀμήτωρ i.e. *sine matre* secundum divinam, & ἀπάτωρ i.e. *sine patre* secundum humanam naturam dicitur, *Hebr.7.v 3.*

§. 2. *Usus* aphorismi hujus *in didacticis* est, ut pias circa jus υἱοθεσίας i.e. adoptionis nostræ in DEI filios, & circa reparationem divinæ imaginis in nobis meditationes suggereret.

§. 3. *In polemicis* adversus eos, qui negantes incarnationem Filii DEI, quòd Pater etiam & Spiritus S. incarnatus sit, ex nostra doctrina sequi, sed frustra, conrendunt, aut rationes etiam, cur Pater & Spiritus S. non incarnati fuerint, quærunt.

APHORISMUS V.

p.89

Τὸ ἀπρόσληπτον ἀθεράπευτον. i.e. Quod Filius DEI non assumsit, non redemit.

SCHOLIUM.

§. 1.

Sensus. Postquam scriptura finem adduxisset, cur Filius DEI carnis & sanguinis particeps factus fuerit, ut scil. per mortem suam destrueret eum, qui mortis habebat imperium, nempe Diabolum, subjungit: *Non Angelos, sed semen Abrahæ assumsit, Hebr.2.vers 16.* rationem quasi reddens, cur Angeli non sint redemri, quia sc. DEI Filius eosdem non assumserit, participando scil. naturam eorum, ut carnis & sanguinis humani particeps factus est. Unde regula hæc prolixi usus fuit extructa: *Quod Filius DEI non assumsit non redemit.* Non tantùm enim inde concludimus, Diabolos non esse redemtos, sed etiam DEI Filium carnem humanam veram, animatam & sentiendi facultate præditam assumsisse. Si enim schema, sive φάντασμα duntaxat humani corporis assumsisset, aut carnem suam de cœlo attulisset, per Mariam autem tanquam per canalem transisset, quorum illud Marcionitæ & Schematici, hoc Valentiniani, nostris temporibus Fanatici voluerunt, nos non essemus redemti.

§. 2. Quòd autem veram humanam naturam & quidem ex Maria virgine assumserit, non tantùm appellatio hominis, Filii hominis, secundi Adami, sed & partes tum essentiales, tum integrales, affectiones itidem corporis, quòd fuerit oculis visus, manibus contrectatus, infirmitates, quòd fuerit defatigatus, esurierit, sitierit, tandemque in cruce animam exhalaverit, quòd ex Maria dicitur genitus, fructus ventris Mariæ, fructus lumborum Davidis, semen Abrahæ dicatur, quòd per novem menses in utero Mariæ gestatus fuerit, quòd ex Patribus secundum carnem ortus dicitur, quod ex Patriarchis & Regibus ipsius genealogia derivetur & quæ possunt esse rationes plures. Vide *1.Tim.2.Joh.3.1.Cor.15.1.Joh.1. Joh.4. Matth.4. Joh.19. Luca 23. Gal.4. Luc.1. Act.2. Gal.3. Hebr.2. Luca 1. & 2. Rom.9. Matth.1. Luc.3.*

§. 3. Patrocinari quidem dictis hæreticis videtur 1. quòd *DEUS Filium suum in similitudine carnis misisse* dicitur, *Rom.8.v.4.* Sed fallacia divisionis committitur, quia verba textus habent, quòd missus fuerit in similitudine carnis peccatricis propter infirmitates sc. assumtas,

assumtas, quæ fluunt in nobis ex peccato, à CHRISTO autem, qui segregatus fuit à peccatoribus, liberè κατ' οἰκονομίαν fuerunt assumtæ. Similitudo itaque non
p.90 ad ipsam carnem, sed ad hoc accidens, quòd propter assumtas infirmitates peccatrix visa fuerit. 2. locus ad *Phil.* 2. *v.* 7. ubi *repertus dicitur Christus* ἐν σχήματι ἀνθρώπων i.e. *in figura & schemate.* Sed resp. vocabulum ἄνθρωπος non pro ipso homine, sed vili & abjecto sumi, & opponi Viro, prout apud Hebræos אֱנוֹשׁ i.e. miser homo & אִישׁ i.e. vir vel heros sibi opponuntur. Id quod contextus docet, ubi cum forma servi conjungitur in eodem versiculo septimo. 3. locus *Ioh. 6. vers.* 48. & 50. ubi *CHRISTVS* vocatur *panis vitæ, qui de cœlo descendit.* Sed respondemus, non de humana, sed divina natura hæc verba esse accipienda. Sic, si carnem ἄψυχον tantùm assumsisset, quod Apollinaristæ volebant, totus homo non esset redemtus. Animam autem probant omnes facultates, vegetativa, quòd nutritus & augmentatus fuerit, sensitiva, quòd viderit, quòd audiverit, gustaverit, tactu percepetit, de loco in locum motus fuerit, potum appetierit, rationalis, quòd voluerit, intellexerit, & anima ipsius à corpore separata extiterit. Vide *Luca 2. Ioh. 6. & 19. Es 53. Ioh. 11. 4. 19. Matth. 26. Esa. 11. Colos. 2. Luca 23.* Nec obstat, quòd ὁ Λόγος τὸ ἡγεμονικὸν i. e. *facultatem gubernatricem* supplerit, quia subordinata non pugnant. Anima rationalis, ut pars essentialis corpus gubernans requirebatur ad constituendum integrum hominem, licet hic homo à Λόγῳ per gratiam unionis personalis inhabitante quoque gubernaretur.

§. 4. *Usus* aphorismi hujus *in didacticis* esse potest, quòd CHRISTUS verus sit homo, caro de carne & os de ossibus nostris *Ephes. 5. vers. 30.* & quòd verè simus redemti. Infinitam etiam DEI misericordiam, quòd Angelis posthabitis, semen Abrahæ assumserit, inde agnoscamus & deprædicemus.

§. 5. *In polemicis* partim adversus Origenicos, qui Diabolos tandem à cruciatibus suis liberandos statuebant, partim Schematicos & Valentinianos supra commemoratos, quorum illi Filium DEI tantùm φάντασμα hominis assumsisse, hi carnem suam de cœlo attulisse dicebant, partim Apollinaristas, qui carnem CHRISTI ἄψυχον volebant, partim Aphthartodocetas, qui carnem CHRISTI dolorum expertem sentiebant, cui errori Justinianus Imperator fuisse creditur addictus, ulus aphorismi hujus esse potest.

APHORISMUS VI. p.91

Ἅμα σὰρξ, ἅμα θεῦ Λόγυ σὰρξ i. e. Simul caro, simul DEI Verbi caro.

SCHOLIUM.

§. 1.

SEnsus aphorismi hujus est, massam illam, vel sanguinis guttas, ex quibus ὁ Λόγος templum sibi construxit, ne ad momentum quidem per se subsitisse, vel suam hypostasin peculiarem habuisse, multò minus tum temporis demum, quando generationis terminus absolutus, & forma hominis introducta fuit, à Λόγῳ assumtam fuisse (ne concedere cogeremur, τὸν Λόγον embryoni unitum fuisse) quod esset ipsissimus Nestorianismus, humanam naturam vel ad tempus ἀνυπόστατον faciens. Sed potius uno actu, cùm

Spiritus S. separaret istam massam in utero Mariæ Virginis, à peccati labe ac tabe purgaret, defectum seminis viribus suppleret, uno, inquam, actu fuisse à DEI Filio assumtam. Connectuntur hæc arctissimo nexu *Lucæ* 1. *v.* 35. *Spiritus S. superveniet in te, & virtus altissimi (DEI Filius*, qui alibi etiam *virtus DEI* vocatur 1. *Cor.* 1. *v.* 24.) *obumbrabit tibi, quapropter quod nascetur ex te sanctum, Filius DEI vocabitur.* Ubi particula διὰ rationem reddit, cur sanctum ex Maria natum Filius DEI dici debeat, propter unionem scil. personalem Virtutis Altissimi, Filii DEI, cum humana natura sanctissima & ab omni peccato liberata. Quod si etiam DEO non fuit indignum uniri cum infante, nec ipso erit indignum cum embryone uniri, quod sequens aphorismus pluribus docebit.

§. 2. *Usus in didacticis* esse potest, ut veram sententiam de unitione ac unione personali exactius teneamus, & à Nestorianismo rectius dignoscamus.

§. 3. *In polemicis* adversus eos, qui Λόγον embryoni unitum fuisse negantes, massam istam, quam ex Maria Virgine Filius DEI assumturus erat, ad tempus per se subsistitisse cogitant, donec scil. animata fuerit: quantumvis alii aliis exceptionibus utantur, de quibus in sequentibus.

APHORISMUS VII.

Christus per omnes ætatis nostræ gradus venit, ut immundam nostram conceptionem & nativitatem radicitùs curaret. Item: CHRISTUS sustinuit nostram nativitatem.

SCHOLIUM. p. 92

§. 1.

Sensus. Ut telam cœptam continuemus, notum est, quòd Scholastici Filium DEI embryoni unitum fuisse negaverint, & quidem hanc ob causam potissimum, quòd embryo nondum sit animatus, consequenter nec homo. Sed falsam hîc præsupponunt hypothesin, de animarum infusione immediata post absolutum generationis terminum. Verior autem est sententia de traduce, quâ præsuppositâ, semen (totius hominis compendium, secundùm Philosophum ἀρχὴν σωματικὴν καὶ ψυχικὴν i.e. *principium corporis & animæ*) statim post conceptionem animatum statuimus, non quidem actu formali, sicuti post organizatum corpus est ἐντελέχεια πρώτη σώματος φυσικοῦ ὀργανικοῦ i.e. *actus primus corporis physici organici*, sed actu entitativo, qui per domicilii fabricationem se satis evidenter exerit. Sic semen in utero matris conclusum hominem, sed imperfectum statuimus. Qui ex nostris Scholasticorum sententiam retinuerunt, & tamen sententiæ de traduce tenaces extiterunt, humanam naturam statim animatam & corpus post conceptionem statim organizatam voluerunt, ita ut augmenta quoad quantitatem solùmodò augmenta sua ceperit.

§. 2. Nos cum accuratioribus quibusdam, Christum per omnes ætatis nostræ gradus venisse, consequenter in utero matris embryonem etiam fuisse, probamus 1. à scripturæ silentio, quæ nihil hac de re commemorat, 2. quòd per novem menses in utero matris gestatus fuerit, ut partim ex verbis *Lucæ* c. 2. historiæ

suæ Evangelicæ *vers. 6. cùm essent ibi, completi sunt dies pariendi*, partim ex rebus post conceptionem usque ad tempus partus gestis, à *Luca cap. 1. & Matth. c. 1.* descriptis patet. 3. quòd non indignum fuerit Salvatore nostro fieri βρέφος, quod nomen partim de latentibus in utero matris, ùt de Johanne semestri *Lucæ 1. vers. 41, 44.* partim de recens in lucem editis *2. Petri 2. vers. 2.* usurpatur. Vide caput *2. Lucæ vers. 12. 16.* 4. quòd καρπὸς τῆς κοιλίας i. e. *fructus ventris* more aliorum fœtuum in utero matris conclusorum appelletur, *Lucæ 1. vers. 42.* item quòd Maria dicitur ἔγκυος i. e. *prægnans*, quòd κύημα i. e. *fœtum imperfectum* in utero gesserit, *Lucæ 2. vers. 5.* item quòd demum post reditum ab Elisabetha deprehensa fuerit ἐν γαστρὶ ἔχειν i. e *in utero habere, Matth. 1. vers. 18.* 5. quòd hoc summo nobis cedat solatio, Christum per omnes ætatis nostræ gradus venisse, ut radicitùs immundam nostram nativitatem curaret, & sic etiam fœtus imperfecti, qui matris in utero extinguuntur,
p. 93 hoc Salvatore gauderent. 6. quòd DEUS aliàs Adamum secundum non secus ac primum in statura viri perfecta producere potuisset, si respectus ad peccatum originale non habitus fuisset. 7. Adstipulatur canon Cœcilii Ephesini, quòd Christus nostram nativitatem sustinuerit.

§. 3. *Usus* aphorismi hujus *in didacticis* est, quòd Christus non bono duntaxat, sed & vice nostrâ natus fuerit. Cùm in statu integritatis puri & mundi nati fuissemus in lucem, jam verò prius incipiat macula, quàm vita, Christus mundissimâ suâ nativitate nostram immundam sanare voluit.

§. 4. *In polemicis* adversus eos, qui Filium DEI embryoni unitum fuisse negant, usus esse potest.

APHORISMUS VIII.

Tacente scripturâ, non sunt fingenda miracula.

SCHOLIUM.

§ 1.

Ensus. Ut hic aphorismus probando & illustrando aphorismo proximè antecedenti facit, sic etiam ab ipso partu Salvatoris miracula excludit. Quæritur, an Maria salvis claustris virginalibus, CHRISTUM peperierit, quod aliqui ex nostratibus affirmant, aliqui negant. Qui affirmant, virginitatis statum potissimum urgent: qui negant, 1. verbum ἔτεκε *Lucæ 2. v. 7.* respiciunt. Quid autem sit parere, id nôrunt omnes. Videatur Chemnitius in harmonia Evangelistarum super caput *Lucæ 2.* 2. quòd eorum legi, qui primi matricem aperuerint, CHRISTUS se subjecerit, *Lucæ 2. v. 23.* 3. quòd Schematicorum errori frigida suffundatur, si CHRISTUS per nudam transparentiam in mundum ingressus statuatur. Aliter se res habet, cùm CHRISTUS glorificato suo corpore per fores clausas ad discipulos suos ingressus dicitur *Joh. 20. v. 19, 26. Lucæ 24. v. 26, 27.* Hîc autem circa nativitatem scriptura tacet.

§. 2. Virginitatem Mariæ quod concernit, definitio illius nodum facilè solvere potest. Non illa tantùm virgo est, cujus claustra non sunt rupta (quod etiam per duros labores fieri potest) sed quæ Virum passa non fuit, prout ipsa Beata Deipara virginitatem suam describit *Lucæ 1. v. 34.* Salvis interim claustris virginalibus

nalibus Mariam concepisse, perque portam imperviam Dominum ingressum fuisse, vel quatuor, si nobis essent, manibus concederemus. Quorsum etiam verba cantilenæ Ecclesiasticæ, voce nativitatis paulò latius sumtâ, tespiciunt: **Als die** p.94 **Sonn durchscheint das Glaß mit ihrem klaren Scheine** &c. Quia verò seculo currente quarto Antidico-Marianitæ duce Helvidio virginitatem Matiæ, præsertim post partum, impugnârunt, eandem probamus 1. ex vaticinio *Esa. cap. 7. v. 14. Ecce virgo concipiet, & pariet filium*, quod Matthæus in CHRISTO dicit impletum fuisse *c. 1. v 23.* Quòd autem per vocem הָעַלְמָה juvencula intelligatur (cujusmodi etiam esse potest uxor imprægnata) nec vocis origo, radix sc. עָלַם i.e. *concluſit*. nec usus Biblicus, nec contextus, qui signum, vel miraculum esse dicit, virginem parere, nec citatio Matthæi admittit. 2. ex *verbis Lucæ 1. v. 34.* quòd mirata fuerit Maria, quomodo concipere possit, cum Virum (per ἀφημισμὸν Hebræis usitatum) non cognoscat. 3. quòd Angelus ibidem *v. 37.* ad omnipotentiam divinam provocet: *Non est impossibile apud DEUM ullum verbum* i. e. res stylo Hebræis usitato. 4. quòd Angelus conceptionem hanc non alicui viro, sed Spiritui S. acceptam referat, *Lucæ 1. v. 35. Matth. 1. v. 20.* Quod tamen non intelligendum σπερματικῶς i.e. *seminaliter*, sed δημιουργικῶς i.e. *operativè*. Particula verò ἐκ non causam materialem, sed efficientem h. l. denotat. 5. quia εἷς μεσίτης i. e. *unicus Mediator* noster unicum duntaxat patrem in cœlis & unicam tantùm matrem in terris habere debebat. Unde ἀπάτωρ καὶ ἀμήτωρ i.e. *sine Patre & sine Matre, Hebr. 7 v. 3.* dicitur. Nec obstat 1. quòd Christus primogenitus dicatur, *Lucæ 2. vers. 7.* quia talis non dicitur in respectu ad fratres consequentes, secundo- vel tertiogenitum, sed ad antecedentes, quòd nullus ipsum antegressus fuerit, quâ ratione unigeniti quoque, quòd primi matricem aperuissent, primogenitorum legi subjiciebantur. 2. nec obstant verba *Matth. 1. v. 25. non cognovit eam Joſephus donec peperit*, quia particula donec non terminum fixum, sed continuum significat, sicut *Matth. 5. v. 26. Non exibis inde, donec perſolveris ultimum quadrantem.* i.e. non cognovit eam, postquam peperit. 3. nec, quòd Maria γυνὴ i.e. *uxor* dicatur Josephi *Lucæ 2 v 5. Matth. 1. v 20.* quia sic dicitur non ratione status, sed sexûs. Addo quòd Virgo desponsata stylo Biblico uxoris nomine veniat. 4. nec, quòd *Joſephus Pater Chriſti* dicatur *Lucæ 2. v. 48. Ecce, Pater tuus & ego dolentes quærebamus te*, quia non pater naturæ, sed curæ, non verus, sed putatitius intelligitur, ut ipsa scriptura limitat *Lucæ 3. v. 23.* ὡς ἐνομίζετο υἱὸς Ἰωσὴφ i.e. *ut putabatur Filius Joſeph*, revera non erat. 5. nec, quòd fratres ipsi attribuantur *Matth. 12. v. 46.* quia rursus stylo Biblico cognari hoc nomine venire solent. Addo, quòd quæstio de Virginitate Mariæ post partum non dogmatica sit, sed historica. p.95

§. 3. *Usus* aphorismi hujus *in didacticis* esse potest, ut sciamus immundam nostram nativitatem per Christi natiaitatem sanctissimam sanatam esse funditùs, & quòd illis etiam fœtibus immaturis, qui matris in utero extinguuntur, Christus Medicus venerit.

§. 4. *In polemicis* adversus eos, qui miracula quærunt, ubi nullum in scripturis vestigium de iisdem comparet.

APHO-

APHORISMUS IX.

Incarnatio Filii DEI mysteriorum est abyssus.

SCHOLIUM.

§. 1.

Sensus. Desumtus est hic aphorismus partim ex 1. *Tim. 3. v* 16. ubi μυστήριον ὁμολογουμένως μέγα i. e. *mysterium omnium confessione magnum* vocatur, *quòd DEUS manifestatus sit in carne*: partim ex 1. *Petri 1. v.* 12. ubi dicitur, quòd *Angeli desiderent in hac*, quæ nobis in Evangelio de CHRISTO revelantur, *introspicere*. Fontes habent verbum παρακύψαι, quod propriè significat exerto collo, velut in profundam voraginem inspicere, prout usurpatur de discipulo comite Petri ad S. sepulchrum, qui dicitur παρακύψας βλέψαι i. e. *incurvando se* in sepulchrum profundum *vidisse* posita linteamina *Joh.* 20. *v.* 5. Unde patet, cur de sanctis Angelis hoc verbum citato loco Petrino fuerit usurpatum, quòd sc. opus incarnationis abyssus mysteriorum profunda sit, quæ speculationibus etiam Angelicis satis penetrari nequeat. Miramur, quòd DEUS & homo in unam personam σύνθετον uniri potuerit, quòd media non alia S. S. Trinitatis persona humanam assumserit naturam, quòd ex solo sexu fœminino, & quidem pura virgine, sine virili semine, sine peccato, sine rebus ad vitam tuendam necessariis, Christus nasci voluerit. Quantumvis autem à posteriori rationes à nobis afferantur, ut genus humanum, persoluto precio æquilibri, sufficienter, imò & eminenter redimeretur, ut is imaginem divinam in nobis instauraret, qui est imago DEI essentialis, & jus adoptionis nobis acquireret, qui Filius est DEI proprius, ut unica duntaxat persona unicum Patrem haberet in cœlis, unicam matrem in terris, ne conceptus in peccatis videretur, si ex consuetudine conjugali ortum suum secundum humanam naturam traxisset, ne aliorum Medicus propriis scateret ulceribus, nec quisquam illud *Luca 4. v. 23. ἰατρὲ, θεράπευσον ἑαυτὸν* i. e. *Medice, cura teipsum*, objicere potuisset, *ut paupertate suâ divitias æternas nobis acquireret 2. Cor. 8. v 9.* ad sapientiam tamen divinam, tanquam fontem inexhaustum, nobis ultimò recurrendum. Unde gloria, quam propter hoc opus incarnationis DEO debemus *Luc. 2. v.* 14. & ad misericordem, & ad justum, & ad sapientem, & ad omnipotentem, & ad veracem DEUM est referenda. Misericordiam suam DEUS declaravit in eo, quòd lapso generi humano succurrere; justitiam, quòd absque satisfactione peccatum non remittere voluerit; sapientia, quòd modum convenientissimum redimendi genus humanum invenerit; omnipotentia, quòd effectui decreta dederit; veracitas, quod promissis steterit. p. 96

§. 2. *Usus* aphorismi hujus *in didacticis* est, ut in hoc articulo rationem nostram captivemus sub obedientiam fidei, nec humanæ rationis decempedâ hîc omnia metiamur.

§. 3. *In polemicis* adversus Calvinianos & Socinianos, quorum hi ἐνυπάρχουσιν ipsam, quòd infinitum & finitum, spirituale & corporale, æternum & in tempore productum uniri nequeant, negant, illi κοινωνίαν ὑποστάσεως, φύσεων καὶ ἰδιωμάτων impugnant, usus esse potest.

APHORISMUS X.

Quod Filius DEI semel assumsit, nunquam deponit.

SCHOLIUM.

§. 1.

Sensus. Notandum autem, quòd de substantialibus, non accidentalibus, cujusmodi sunt infirmitates & forma servilis in statu exaltationis depositæ, aphorismus hic sit intelligendus. Nec obstat mors CHRISTI, quasi tunc unio inter duas naturas soluta fuisset. Inter unionem enim naturalem corporis & animæ; & inter unionem personalem τ̃ λόγ& & carnis limitibus accuratis hîc est distinguendum. Illa, quia mors vera esse debuit, non hæc soluta fuit. Filius enim DEI cum Patre ac Spiritu S. cœlum & terram implens animam in Paradiso, corpus in sepulchro sibi habuit unitum. Ubi ὡς ἐν παρόδῳ monemus, nos illorum sententiam, qui corpus animâ mediante cum Filio DEI unitum fuisse volunt, nostram non facere. Si enim res ita se haberet, in morte, soluto scil. hoc vinculo, corpus cum Filio DEI non fuisset unitum, quod
p. 97 nec Pontificii, nec Calviniani multum deferentes huic aphorismo concedent. Nec obstat nobis quæstio, an CHRISTUS tempore mortis fuerit verus homo, quia inter hominem materialiter & formaliter consideratum (ut alias distinctiones hîc missas faciamus) est distinguendum. CHRISTUS in media morte mansit verus homo materialiter, quia partes hominis essentiales corpus & anima manserunt incorruptæ, licèt non formaliter, quia unio naturalis inter duas hasce partes desierat. Calviniani sæpiùs nobis imponunt, quando personalem unionem ἀχωρίστως factam dicunt, sed phrasin hanc per aphorismum præsentem explicant, quia, quod Filius DEI semel assumsit, nunquam deponit, cùm tamen non de tempore, sed ἀδιαστασία τ̃ λόγ& & carnis sermo sit, quod vel ipsum vocabulum χωρίζειν i.e. *separare* (ἀπὸ τ̃ς χωρ̃ς i.e. loco) satis innuit. Sed de his plura dicemus in aphorismo sequente.

§. 2. *Usus* hujus aphorismi *in didacticis* est, ut sanam de unione personali duarum in CHRISTO naturarum doctrinam rectiùs teneamus, & scrupulos ex objectione mortis CHRISTI subnatos rectiùs elidere valeamus.

§. 3. *In polemicis* adversus Scholasticos, &, qui pollicem ipsis hodie premunt, Pontificios, qui corpus mediante animâ τ῀ λόγῳ fuisse unitum volunt. Quod si res ita sese haberet, corpus tempore mortis, soluto vinculo, cum λόγῳ non fuisset unitum.

APHORISMUS XI.

Duæ naturæ in CHRISTO indivulsè simul & inconfusè sunt unitæ.

SCHOLIUM.

§. 1.

Sensus. Differunt unitio, unio & unitas in hoc articulo. Unitio denotat actum, quo Filius DEI sibi univit humanam naturam: unio statum. Unitio non est reciproca, quia non humana natura divinam, sed divina humanam sibi univit: unio verò est reciproca & mutua, quia divina natura humanæ, & humana divinæ est unita. Unitas verò est personæ. Ita

etiam

etiam differunt communicatio, communio & communitas. Communicatio denotat actum, & locum habet in tertio genere communicationis idiomatum: communio statum & potius ad primum genus κοινωνίας ἰδιωμάτων pertinet. Communicatio non est reciproca, quia divina natura sua ἀνχήματα communicat humanæ, nihil verò ab eadem accipit: communio est reciproca, quia proprietates divinæ naturæ communes fiunt humanæ naturæ, & hujus divinæ. Communitas est personæ. Græci quidem unicâ voce τῆς ἑνώσεως unitionem & unionem; & unicâ voce κοινωνίας communicationem & communionem exprimunt, nec tanta Majoribus nostris hîc quæsita fuit ἀκρίβεια, priusquam de reciprocatione κοινωνίας in tertio genere controversia movebatur. p.98

§. 2. Ut verò propiùs ad evolutionem hujus aphorismi accedamus, duos hîc scopulos & χρισόλυσιν i.e. *solutionem* duarum naturarum in CHRISTO, & earundem σύγχυσιν i. e. *confusionem* esse vitandam, dicimus. Ad scopulum priorem impegit quondam *Nestorius*, Episcopus Constant. quando communicationem idiomatum negavit, duas naturas per φύσιν, vel ἀξίαν, vel πρόσωπον duntaxat unitas dixit, duas naturas coadorandas statuit, Mariam θεοτόκον, DEUM bimestrem, aut trimestrem vocare noluit, non DEUM, sed hominem à Judæis crucifixum, asseruerit. Unde Patres ipsum χρισολύσεως accusârunt. In alterum scopulum impegit *Eutyches*; Archimandrita Constantinopolitanus, qui vitaturus Nestorianismum confusionem duarum naturarum introduxit. Naturam enim humanam à divina fuisse absorptam, ut gutta vini absorbetur à mari, docuit. Ex hoc errore Monophysitarum, Monotheletarum, Acephalorum, Theopaschitarum, Aphtharto-docetarum & aliorum promanavit. Monophysitæ unam in Christo naturam, post factam istam σύγχυσιν, statuerunt: Monotheletæ, quos inter etiam Imperatores fuêre, unam voluntatem. Reverà enim hic error est ramusculus Eutychianismi. Acephali, quòd à nullo certo capite, vel autore nominati voluerunt, hoc nomen acceperûr, intus autem & in cute fuerunt Eutychiani. Theopaschitæ propter illam ipsam commixtionem naturarum etiam deitatem passam fuisse concesserunt.

§. 3. Quantumvis autem Patres antiquiores ante motas controversias hasce termino mixturæ de unione personali fuerint usi dubio procul nixi loco *Johan.* 1. *vers.* 14. *Verbum caro factum est*, id tamen commune habuerunr etiam cum aliis, quod ante motas controversias locuti fuerunt securiùs, & postmodum abstinuerunt. Locum *Johan.* 1. *vers.* 14. quod concernit, per verbum ἐγένετο non confusio, non mixtio, sed profundissima unio intelligitur. Nec Eutychianorum hypothesibus congruit expositio hujus loci de mixtura, quia non divinam ab humana, sed humanam à divina fuisse absorptam statuerunt. Nestorianis nostro tempore succinunt Calviniani & Pontificii realem κοινωνίαν proprietatum negantes & per πρόσωπον unionem explicantes. Quorsum faciunt exempla furculi & arboris, Antwerpiæ & Oceani; clavi & rotæ; planetæ & sphæræ: gemmæ & annuli, quibus unionem duarum naturarum in CHRISTO illustrant. Eutychianorum errorem seculo superiore p.99

Schwenckfeldiani refricârunt. Injuriam verò nobis, ut alibi etiam pro suo more faciunt, quando propter communicationem idiomatum realem, quam asserimus, ut & περιχώρησιν mutuam Eutychianismi nos poscunt. Sed aliud est communicatio, aliud confusio. Communicatio fit, salvis naturis earumque proprietatibus (quas nos χεροίντε ποσίντε propugnamus) confusio, iisdem abolitis. Περιχώρησις πρώτον καὶ δεύτερον δεκτικὸν salvum reliquit, confusio tollit. Schwenckfeldiani potius hujus erroris poscuntur. Nestoriani subtiles seculo præcipitante octavo Felix infelix Urgellorum ad Pyrænei radices & Elipandus Toletanus Episcopi fuêre. Negantes enim Christum secundùm humanam naturam esse DEI Filium naturalem, & adoptivum saltem asserentes duos filios introduxerunt, & ita personam dissolverunt, quos Concilia Reginoburgense & Franckofurdense ad Mœnum confutârunt. Adversus Nestorium facit, quòd divina & humana de uno CHRISTO prædicentur, quòd in propositionibus exhibitivis personalibus per pronomina, quibus subjectum exprimitur, θεάνθρωπος intelligatur v. g. *Matth.* 3. *vers.* 17. *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui*, *Matth.* 16. *vers.* 16. *Tu es Christus, Filius DEI vivi*, quòd *unus Mediator & Christus* dicatur 1. *Timoth.* 2. *vers.* 5. 1. *Cor.* 8. *vers.* 6. *Roman.* 5. *vers.* 19. quòd *Maria mater DOMINI Lucæ* 1. *v.* 43. & *Filius DEI ex muliere natus Galat.* 4. *vers.* 4. quòd *Autor vitæ interfectus Actor.* 3. *vers.* 15. *Dominus gloriæ crucifixus* dicatur 1. *Cor.* 2. *vers.* 8. Adversus Eutychen facit, quòd post unionem duæ naturæ & ipsarum proprietates salvæ permanserint, prout CHRISTUS ex Maria fuit natus, circumcisus, crucifixus, mortuus, sepultus, à mortuis resuscitatus, videntibus discipulis in cœlum sublatus & post sessionem ad dextram Patris à Stephano, Paulo, Johanne visus. Unde scriptura particulas limitativas adhibet *Roman.* 1. *vers* 3. *Christus est ex semine David secundum carnem. Rom.* 9. *vers.* 5. *Christus ex Patribus secundum carnem*, 1. *Petri* 3. *vers.* 18. *Christus mortificatus carne*, 1. *Petri* 4. *vers.* 1. *Christus passus est carne.*

§. 4. *Usus* aphorismi hujus *in didacticis* est, ὑποτύπωσιν ὑγιαινόντων λόγων de una Christi mediatoris persona & de duabus, ex quibus constat, naturis rectè teneamus.

§. 5. *In polemicis* adversus Nestorianos & Eutychianos, veteres & novos, quorum illi personam solvunt, hi duas naturas confundunt, usus esse potest.

APHORISMUS XII. p. 200

In Christo non est ἄλλος καὶ ἄλλος, sed ἄλλο καὶ ἄλλο.

SCHOLIUM.

§. 1.

Sensus. De deitatis personis diximus in loco proximè præcedente, quòd differant ut ἄλλος καὶ ἄλλος, non ἄλλο καὶ ἄλλο, sed hîc res aliter se habet, quia tres deitatis personæ unius sunt essentiæ, in una verò CHRISTI persona duæ sunt distinctæ essentiæ toto cœlo & terrâ, si considerantur in se, distantes. De personis deitatis dicitur, quòd tres sint: de Christo verò non quòd duo, sed unus sint: *Tres* illæ personæ dicuntur *unum* esse

esse 1. *Johan.* 5. *vers.* 7. *Johan.* 10. *vers.* 3. nunquam verò quòd unus sint : *Filius* dicitur *alius à Patre Johan.* 5. *vers.* 32. & *alius à Spiritu S. Johan.* 14. *vers.* 16. Sed *Christus* dicitur *unus Mediator* 1. *Tim.* 2. *vers.* 5. *unus Dominus* 1. *Cor.* 8. *vers.* 6. Quare, ut 3. personæ deitatis idem sunt in neutro genere, non masculino : ita duæ naturæ in Christo idem sunt in masculino genere, sed non neutro. Plus lucis hic aphorismus ex aphorismo 15. loci præcedentis, ut & aphorismo 2. hujus loci accipit.

§. 2. Cùm *in didacticis & polemicis* idem *usus* sit hujus aphorismi, qui fuit proximè antecedentis, ex eadem fidelia duos dealbamus parietes.

APHORISMUS XIII.

Ut se res habet in esse : Sic etiam in prædicari. Vel : Prædicationes personales sunt inusitatæ.

SCHOLIUM.

§. 1.

Sensus. Non desunt, etiam ex Augustanæ Confessionis Sociis, qui prædicationes personales volunt esse paronymicas, aut tamen ad easdem reducendas, sed nos cum pluribus & quidem rem exactiùs perpendentibus easdem potius pro inusitatis habemus. Antequam autem ad probationem nos accingamus, exemplis hasce propositiones illustramus. Sunt illæ vel Biblicæ, vel Ecclesiasticæ. Biblicæ sunt, cùm *Ierem.* 23. *vers.* 5, 6. *germen Davidis Iehova* vocatur; cum *Filius Davidis Dominus Davidis Matth.* 22. *v.* 43. *Filius hominis Filius DEI vivi Matth.* 16. *vers.* 16. cùm *sanctum ex Maria natum Filius DEI Luca* 1. *v* 35. *Secundus Adam est Dominus de cœlo* 1. *Cor.* 15. *v.* 47. dicitur. Ecclesiasticæ sunt, DEUS est homo, homo est DEUS, Filius DEI p.101 est Filius hominis, Filius hominis est Filius DEI, ὁ λόγος est caro, & caro est ὁ λόγος.

§. 2. Ut propositiones ejusmodi melius capiantur, termini abstracti & concreti sunt evolvendi. Concreta & abstracta in hoc loco Theologico vel sunt personæ, vel naturæ. Concretum personæ est nomen, quo tota persona mediatrix, utraque natura constans, vel totum Christi denotatur, ut Jesus, Christus, Emanuel, Salvator, Redemtor, Advocatus, Mediator, Propheta, Sacerdos, Rex noster. Concretum naturæ est nomen naturam quidem denotans, sed cum connotatione hypostaseως, ut DEUS, Filius DEI, ὁ λόγος, homo, Filius Mariæ, Filius hominis &c. Concreta naturarum & abstracta personæ coincidunt. Abstractum naturæ est nomen, quo alterutra duntaxat natura sine connotatione hypostaseως significatur, ut deitas divina natura, humanitas, humana natura, caro. Hæc abstracta naturarum de se invicem non prædicantur.

§. 3. His præmissis aphorismum probamus 1. quia disparatum de disparato modo usitato prædicari nequit. Sed DEUS & homo sunt disparata, imò plus quàm disparata, leo & ursus, aquila & columba, 2. quia unio personalis est mysterium omnium concessione magnum, singulariter mirabile & mirabiliter singulare, ὑπὲρ νοῦν, καὶ ὑπὲρ λόγον καὶ ὑπὲρ κατάληψιν positum. E. Modus prædicandi etiam est inusitatus. 3.

i.e. *mediator noſter unica perſona* eſſe debebat, unicum duntaxat patrem & unicam duntaxat matrem habere debebat. Unde ἀμήτως i.e. *ſine matre* ſecundum divinam, & ἀπάτως i.e. *ſine patre* ſecundum humanam naturam dicitur, *Hebr.7.v.3.*

§.2. *Uſus* aphoriſmi hujus *in didacticis* eſt, ut pias circa jus υἱοθεσίας i.e. adoptionis noſtræ in DEI filios, & circa reparationem divinæ imaginis in nobis meditationes ſuggereret.

§.3. *In polemicis* adverſus eos, qui negantes incarnationem Filii DEI, quòd Pater etiam & Spiritus S. incarnatus ſit, ex noſtra doctrina ſequi, ſed fruſtra, conrendunt, aut rationes etiam, cur Pater & Spiritus S. non incarnati fuerint, quærunt.

APHORISMUS V.

p.89

Τὸ ἀπρόσληπτον ἀθεράπευτον. i.e. Quod Filius DEI non aſſumſit, non redemit.

SCHOLIUM.

§.1.

Senſus. Poſtquam ſcriptura finem adduxiſſet, cur Filius DEI carnis & ſanguinis particeps factus fuerit, ut ſcil. per mortem ſuam deſtrueret eum, qui mortis habebat imperium, nempe Diabolum, ſubjungit: *Non Angelos, ſed ſemen Abrahæ aſſumſit, Hebr.2.verſ.16.* rationem quaſi reddens, cur Angeli non ſint redemti, quia ſc. DEI Filius eoſdem non aſſumſerit, participando ſcil. naturam eorum, ut carnis & ſanguinis humani particeps factus eſt. Unde regula hæc prolixi uſus fuit extructa: *Quod Filius DEI non aſſumſit non redemit.* Non tantùm enim inde concludimus, Diabolos non eſſe redemtos, ſed etiam DEI Filium carnem humanam veram, animatam & ſentiendi facultate præditam aſſumſiſſe. Si enim ſchema, ſive φάντασμα duntaxat humani corporis aſſumſiſſet, aut carnem ſuam de cœlo attuliſſet, per Mariam autem tanquam per canalem tranſiiſſet, quorum illud Marcionitæ & Schematici, hoc Valentiniani, noſtris temporibus Fanatici voluerunt, nos non eſſemus redemti.

§.2. Quòd autem veram humanam naturam & quidem ex Maria virgine aſſumſerit, non tantùm appellatio hominis, Filii hominis, ſecundi Adami, ſed & partes tum eſſentiales, tum integrales, affectiones itidem corporis, quòd fuerit oculis viſus, manibus contrectatus, infirmitates, quòd fuerit defatigatus, eſurierit, ſitierit, tandemque in cruce animam exhalaverit, quòd ex Maria dicitur genitus, fructus ventris Mariæ, fructus lumborum Davidis, ſemen Abrahæ dicatur, quòd per novem menſes in utero Mariæ geſtatus fuerit, quòd ex Patribus ſecundum carnem ortus dicitur, quod ex Patriarchis & Regibus ipſius genealogia derivetur & quæ poſſunt eſſe rationes plures. Vide *1.Tim.2.Joh.3.1.Cor.15.1.Joh.1. Ioh.4. Matth.4. Ioh.19. Luca 23. Gal.4. Luc.1. Act.2. Gal.3.Hebr.2. Luca 1.& 2. Rom.9. Matth.1. Luc.3.*

§.3. Patrocinari quidem dictis hæreticis videtur 1. quòd *DEVS Filium ſuum in ſimilitudine carnis miſiſſe* dicitur, *Rom.8.v.4.* Sed fallacia diviſionis committitur, quia verba textus habent, quòd miſſus fuerit in ſimilitudine carnis peccatricis propter infirmitates ſc. aſſumtas,

assumtas, quæ fluunt in nobis ex peccato, à CHRISTO autem, qui segregatus fuit à peccatoribus, liberè καὶ οἰκονομίαν fuerunt assumtæ. Similitudo itaque non
p.90 ad ipsam carnem, sed ad hoc accidens, quòd propter assumtas infirmitates peccatrix visa fuerit. 2. locus ad *Phil.* 2. *v.* 7. ubi *repertus dicitur Christus* ἐν σχήματι ἀνθρώπων i.e. *in figura & schemate.* Sed resp. vocabulum ἄνθρωπος non pro ipso homine, sed vili & abjecto sumi, & opponi Vito, prout apud Hebræos אֱנוֹשׁ i.e. miser homo & אִישׁ i.e. vir vel heros sibi opponuntur. Id quod contextus docet, ubi cum forma servi conjungitur in eodem versiculo septimo. 3. locus *Ioh. 6. vers.* 48. & 50. ubi *CHRISTVS* vocatur *panis vitæ, qui de cœlo descendit.* Sed respondemus, non de humana, sed divina natura hæc verba esse accipienda. Sic, si carnem ἄψυχον tantùm assumsisset, quod Apollinaristæ volebant, totus homo non esset redemtus. Animam autem probant omnes facultates, vegetativa, quòd nutritus & augmentatus fuerit, sensitiva, quòd viderit, quòd audiverit, gustaverit, tactu perceperit, de loco in locum motus fuerit, potum appetierit, rationalis, quòd voluerit, intellexerit, & anima ipsius à corpore separata extiterit. Vide *Luca 2. Ioh. 6. & 19. Es 53. Ioh. 11. 4. 19. Matth. 26. Esa. 11. Colos. 2. Luca 23.* Nec obstat, quòd ὁ Λόγος τὸ ἡγεμονικὸν i.e. *facultatem gubernatricem* supplerit, quia subordinata non pugnant. Anima rationalis, ut pars essentialis corpus gubernans requirebatur ad constituendum integrum hominem, licet hic homo à Λόγῳ per gratiam unionis personalis inhabitante quoque gubernaretur.

§. 4. *Usus* aphorismi hujus *in didacticis* esse potest, quòd CHRISTUS verus sit homo, caro de carne & os de ossibus nostris *Ephes. 5. vers. 30.* & quòd verè simus redemti. Infinitam etiam DEI misericordiam, quòd Angelis posthabitis, semen Abrahæ assumserit, inde agnoscamus & deprædicemus.

§. 5. *In polemicis* partim adversus Origenicos, qui Diabolos tandem à cruciatibus suis liberandos statuebant, partim Schematicos & Valentinianos supra commemoratos, quorum illi Filium DEI tantùm φάντασμα hominis assumsisse, hi carnem suam de cœlo attulisse docebant, partim Apollinaristas, qui carnem CHRISTI ἄψυχον volebant, partim Aphthartodocetas, qui carnem CHRISTI dolorum expertem sentiebant, cui errori Justinianus Imperator fuisse creditur addictus, usus aphorismi hujus esse potest.

APHORISMUS VI. p.91

Ἅμα σὰρξ. ἅμα θεοῦ Λόγου σὰρξ i. e. Simul caro, simul DEI Verbi caro.

SCHOLIUM.

§. 1.

SEnsus aphorismi hujus est, massam illam, vel sanguinis guttas, ex quibus ὁ Λόγος templum sibi construxit, ne ad momentum quidem per se subsitisse, vel suam hypostasin peculiarem habuisse, multò minus tum temporis demum, quando generationis terminus absolutus, & forma hominis introducta fuit, à Λόγῳ assumtam fuisse (ne concedere cogeremur, τὸν Λόγον embryoni unitum fuisse) quod esset ipsissimus Nestorianismus, humanam naturam vel ad tempus ἀνυπόστατον faciens. Sed potius uno actu, cùm

Spiritus S. separaret istam massam in utero Mariæ Virginis, à peccati labe ac rabe purgaret, defectum seminis virilis suppleret, uno, inquam, actu fuisse à DEI Filio assumtam. Connectuntur hæc arctissimo nexu *Lucæ* 1. *v.* 35. *Spiritus S. superveniet in te, & virtus altissimi (DEI Filius*, qui alibi etiam *virtus DEI* vocatur 1. *Cor.* 1. *v.* 24.) *obumbrabit tibi, quapropter quod nascetur ex te sanctum, Filius DEI vocabitur.* Ubi particula διὸ rationem reddit, cur sanctum ex Maria natum Filius DEI dici debeat, propter unionem scil. personalem Virtutis Altissimi, Filii DEI, cum humana natura sanctissima & ab omni peccato liberata. Quod si etiam DEO non fuit indignum uniri cum infante, nec ipso erit indignum cum embryone uniri, quod sequens aphorismus pluribus docebit.

§. 2. *Usus in didacticis* esse potest, ut veram sententiam de unitione ac unione personali exactiùs teneamus, & à Nestorianismo rectiùs dignoscamus.

§. 3. *In polemicis* adversus eos, qui Λόγον embryoni unitum fuisse negantes, massam istam, quam ex Maria Virgine Filius DEI assumturus erat, ad tempus per se subsistitisse cogitant, donec scil. animata fuerit: quantumvis alii aliis exceptionibus utantur, de quibus in sequentibus.

APHORISMUS VII.

Christus per omnes ætatis nostræ gradus venit, ut immundam nostram conceptionem & nativitatem radicitùs curaret. Item: CHRISTUS sustinuit nostram nativitatem.

SCHOLIUM. p. 92

§. 1.

Sensus. Ut telam cœptam continuemus, notum est, quòd Scholastici Filium DEI embryoni unitum fuisse negaverint, & quidem hanc ob causam potissimum, quòd embryo nondum sit animatus, consequenter nec homo. Sed falsam hîc præsupponunt hypothesin, de animarum infusione immediata post absolutum generationis terminum. Verior autem est sententia de traduce, quâ præsuppositâ, semen (totius hominis compendium, secundùm Philosophum ἀρχὴν σωματικὴν καὶ ψυχικὴν i.e. *principium corporis & animæ*) statim post conceptionem animatum statuimus, non quidem actu formali, sicuti post organizatum corpus est ἐντελέχεια πρώτη σώματος φυσικοῦ ὀργανικοῦ i.e. *actus primus corporis physici organici*, sed actu entitativo, qui per domicilii fabricationem se satis evidenter exerit. Sic semen in utero matris conclusum hominem, sed imperfectam statuimus. Qui ex nostris Scholasticorum sententiam retinuerunt, & tamen sententiæ de traduce tenaces exstiterunt, humanam naturam statim animatam & corpus post conceptionem statim organizatam voluerunt, ita ut augmenta quoad quantitatem solùmodò augmenta sua ceperit.

§. 2. Nos cum accurationibus quibusdam, Christum per omnes ætatis nostræ gradus venisse, consequenter in utero matris embryonem etiam fuisse, probamus 1. à scripturæ silentio, quæ nihil hac de re commemorat, 2. quòd per novem menses in utero matris gestatus fuerit, ut partim ex verbis *Lucæ c.* 2. historiæ

suæ Evangelicæ *vers. 6. cùm essent ibi, completi sunt dies pariendi*, partum ex rebus post conceptionem usque ad tempus partus gestis, à *Luca cap. 1. & Matth. c. 1.* descriptis patet. 3. quòd non indignum fuerit Salvatore nostro fieri βρέφος, quod nomen partim de latentibus in utero matris, ut de Johanne semestri *Lucæ 1. vers. 41, 44.* partim de recens in lucem editis *2. Petri 2. vers. 2.* usurpatur. Vide caput *2. Lucæ vers. 12. 16.* 4. quòd καρπὸς τῆς κοιλίας i. e. *fructus ventris* more aliorum fœtum in utero matris conclusorum appelletur, *Lucæ 1. vers. 42.* item quòd Maria dicitur ἔγκυος i. e. *prægnans*, quòd κύημα i. e. *fœtum imperfectum* in utero gesserit, *Lucæ 2. vers. 5.* item quòd demum post reditum ab Elisabetha deprehensa fuerit ἐν γαστρὶ ἔχειν i. e. *in utero habere*, *Matth. 1. vers. 18.* 5. quòd hoc summo nobis cedat solatio, Christum per omnes ætatis nostræ gradus venisse, ut radicitùs immundam nostram nativitatem curaret, & sic etiam fœtus imperfecti, qui matris in utero extinguuntur,
p. 93 hoc Salvatore gauderent. 6. quòd DEUS aliàs Adamum secundum non secus ac primum in statura viri perfecta producere potuisset, si respectus ad peccatum originale non habitus fuisset. 7. Adstipulatur canon Cœcilii Ephesini, quòd Christus nostram nativitatem sustinuerit.

§. 3. *Usus* aphorismi hujus *in didacticis* est, quòd Christus non bono duntaxat, sed & vice nostrâ natus fuerit. Cùm in statu integritatis puri & mundi nati fuissemus in lucem, jam verò prius incipiat macula, quàm vita, Christus mundissimâ suâ nativitate nostram immundam sanare voluit.

§. 4. *In polemicis* adversus eos, qui Filium DEI embryoni unitum fuisse negant, usus esse potest.

APHORISMUS VIII.

Tacente scripturâ, non sunt fingenda miracula.

SCHOLIUM.

§ 1.

Sensus. Ut hic aphorismus probando & illustrando aphorismo proximè antecedenti facit, sic etiam ab ipso partu Salvatoris miracula excludit. Quæritur, an Maria salvis claustris virginalibus, CHRISTUM pepererit, quod aliqui ex nostratibus affirmant, aliqui negant. Qui affirmant, virginitatis statum potissimum urgent: qui negant, 1. verbum ἔτεκε *Lucæ 2. v. 7.* respiciunt. Quid autem sit parere, id nôrunt omnes. Videatur Chemnitius in harmonia Evangelistarum super caput *Lucæ 2.* 2. quòd eorum legi, qui primi matricem aperuerint, CHRISTUS se subjecerit, *Lucæ 2. v. 23.* 3. quòd Schematicorum errori frigida suffundatur, si CHRISTUS per nudam transparentiam in mundum ingressus statuatur. Aliter se res habet, cùm CHRISTUS glorificato suo corpore per fores clausas ad discipulos suos ingressus dicitur *Joh. 20. v. 19, 26. Lucæ 24. v. 26, 27.* Hîc autem circa nativitatem scriptura tacet.

§. 2. Virginitatem Mariæ quod concernit, definitio illius nodum facilè solvere potest. Non illa tantùm virgo est, cujus claustra non sunt rupta (quod etiam per duros labores fieri potest) sed quæ Virum passa non fuit, prout ipsa Beata Deipara virginitatem suam describit *Lucæ 1. v. 34.* Salvis interim claustris virginalibus

nalibus Mariam concepisse, perque portam imperviam Dominum ingressum fuisse, vel quatuor, si nobis essent, manibus concederemus. Quorsum etiam verba cantilenæ Ecclesiasticæ, voce nativitatis paulò latius sumtâ, respiciunt: **Als die Sonn durchscheint das Glaß mit ihrem klaren Scheine** &c. Quia verò seculo currente quarto Antidico-Marianitæ duce Helvidio virginitatem Mariæ, præsertim post partum, impugnârunt, eandem probamus 1. ex vaticinio *Esa. cap. 7. v. 14. Ecce virgo concipiet, & pariet filium*, quod Matthæus in CHRISTO dicit impletum fuisse *c. 1. v 23.* Quòd autem per vocem הָעַלְמָה juvencula intelligatur (cujusmodi etiam esse potest uxor imprægnata) nec vocis origo, radix sc. עָלַם i.e. *conclusit*, nec usus Biblicus, nec contextus, qui signum, vel miraculum esse dicit, virginem parere, nec citatio Matthæi admittit. 2. ex *verbis Lucæ 1. v. 34.* quòd mirata fuerit Maria, quomodo concipere possit, cum Virum (per κατ' ἐνιαυτὸν Hebræis usitatum) non cognoscat. 3. quòd Angelus ibidem *v. 37.* ad omnipotentiam divinam provocet: *Non est impossibile apud DEUM ullum verbum* i.e. res stylo Hebræis usitato. 4. quòd Angelus conceptionem hanc non alicui viro, sed Spiritui S. acceptam referat, *Lucæ 1. v. 35. Matth. 1. v. 20.* Quod tamen non intelligendum σπερματικῶς i.e. *seminaliter*, sed δημιουργικῶς i.e. *operative*. Particula verò ἐκ non causam materialem, sed efficientem h. l. denotat. 5. quia εἷς μεσίτης i.e. *unicus Mediator* noster unicum duntaxat patrem in cœlis & unicam tantùm matrem in terris habere debebat. Unde ἀπάτωρ καὶ ἀμήτωρ i.e. *sine Patre & sine Matre, Hebr. 7 v. 3.* dicitur. Nec obstat 1. quòd Christus primogenitus dicatur, *Lucæ 2. vers. 7.* quia talis non dicitur in respectu ad fratres consequentes, secundo- vel tertiogenitum, sed ad antecedentes, quòd nullus ipsum antegressus fuerit, quâ ratione unigeniti quoque, quòd primi matricem aperuissent, primogenitorum legi subjiciebantur. 2. nec obstant verba *Matth. 1. v. 25. non cognovit eam Joseph us, donec peperit*, quia particula donec non terminum fixum, sed continuum significat, sicut *Matth. 5. v. 26. Non exibis inde, donec persolveris ultimum quadrantem.* i.e. non cognovit eam, postquam peperit. 3. nec, quòd Maria γυνὴ i.e. *uxor* dicatur Josephi *Lucæ 2 v 5. Matth. 1. v. 20.* quia sic dicitur non ratione status, sed sexûs. Addo quòd Virgo desponsata stylo Biblico uxoris nomine veniat. 4. nec, quòd *Joseph us Pater Christi* dicatur *Lucæ 2. v. 48. Ecce, Pater tuus & ego dolentes quærebamus te*, quia non pater naturæ, sed curæ, non verus, sed putatitius intelligitur, ut ipsa scriptura limitat *Lucæ 3. v. 23.* ὡς ἐνομίζετο υἱὸς Ἰωσὴφ i.e. *ut putabatur Filius Joseph*, revera non erat. 5. nec, quòd fratres ipsi attribuantur *Matth. 12. v. 46.* quia rursus stylo Biblico cognati hoc nomine venire solent. Addo, quòd quæstio de Virginitate Mariæ post partum non dogmatica sit, sed historica. p. 95

p. 94

§. 3. *Usus* aphorismi hujus *in didacticis* esse potest, ut sciamus immundam nostram nativitatem per Christi nativitatem sanctissimam sanatam esse funditùs, & quòd illis etiam fœtibus immaturis, qui matris in utero extinguuntur, Christus Medicus venerit.

§. 4. *In polemicis* adversus eos, qui miracula quærunt, ubi nullum in scripturis vestigium de iisdem comparet.

APHO-

APHORISMUS IX.

Incarnatio Filii DEI mysteriorum est abyssus.

SCHOLIUM.

§. 1.

Sensus. Desumtus est hic aphorismus partim ex 1. *Tim.* 3. *v* 16. ubi μυστήριον ὁμολογουμένως μέγα i. e. *mysterium omnium concessione magnum* vocatur, *quòd DEUS manifestatus sit in carne*: partim ex 1. *Petri* 1. *v.* 12. ubi dicitur, quòd *Angeli desiderent in hac*, quæ nobis in Evangelio de CHRISTO revelantur, *introspicere.* Fontes habent verbum παρακύψαι, quod propriè significat exerto collo, velut in profundam voraginem inspicere, prout usurpatur de discipulo comite Petri ad S. sepulchrum, qui dicitur παρακύψας βλέψαι i.e. *incurvando se* in sepulchrum profundum *vidisse* posita linteamina *Ioh* 20. *v.* 5. Unde patet, cur de sanctis Angelis hoc verbum citato loco Petrino fuerit usurpatum, quòd sc. opus incarnationis abyssus mysteriorum profunda sit, quæ speculationibus etiam Angelicis satis penetrari nequeat. Miramur, quòd DEUS & homo in unam personam σύνθετον uniri potuerit, quòd media non alia S.S. Trinitatis persona humanam assumserit naturam, quòd ex solo sexu fœminino, & quidem pura virgine, sine virili semine, sine peccato, sine rebus ad vitam tuendam necessariis, Christus nasci voluerit. Quantumvis autem à posteriori rationes à nobis afferantur, ut genus humanum, persoluto precio æquilibri, sufficienter, imò & eminenter redimeretur, ut is imaginem divinam in nobis instaura-
ret, qui est imago DEI essentialis, & jus adoptionis nobis acquireret, qui Filius est DEI proprius, ut unica duntaxat persona unicum Patrem haberet in cœlis, unicam matrem in terris, ne conceptus in peccatis videretur, si ex consuetudine conjugali ortum suum secundum humanam naturam traxisset, ne aliorum Medicus propriis scateret ulceribus, nec quisquam illud *Luc.* 4. *v.* 23. ἰατρέ, θεράπευσον ἑαυτόν i.e. *Medice, cura teipsum*, objicere potuisset, *ut paupertate suâ divitias æternas nobis acquireret* 2. *Cor.* 8. *v.* 9. ad sapientiam tamen divinam, tanquam fontem inexhaustum, nobis ultimò recurrendum. Unde gloria, quam propter hoc opus incarnationis DEO debemus *Luc.* 2. *v.* 14. & ad misericordem, & ad justum, & ad sapientem, & ad omnipotentem, & ad veracem DEUM est referenda. Misericordiam suam DEUS declaravit in eo, quòd lapso generi humano succurrere; justitiam, quòd absque satisfactione peccatum non remittere voluerit; sapientia, quòd modum convenientissimum redimendi genus humanum invenerit; omnipotentia, quòd effectui decreta dederit; veracitas, quod promissis steterit. p. 96

§. 2. *Usus* aphorismi hujus *in didacticis* est, ut in hoc articulo rationem nostram captivemus sub obedientiam fidei, nec humanæ rationis decempedâ hîc omnia metiamur.

§. 3. *In polemicis* adversus Calvinianos & Socinianos, quorum hi ἐνυπάρχωσιν ipsam, quòd infinitum & finitum, spirituale & corporale, æternum & in tempore productum uniri nequeant, negant, illi κοινωνίαν ὑποστάσεως, φύσεων καὶ ἰδιωμάτων impugnant, usus esse potest.

APHORISMUS X.

Quod Filius DEI semel assumsit, nunquam deponit.

SCHOLIUM.

§. 1.

Sensus. Notandum autem, quòd de substantialibus, non accidentalibus, cujusmodi sunt infirmitates & forma servilis in statu exaltationis depositæ, aphorismus hic sit intelligendus. Nec obstat mors CHRISTI, quasi tunc unio inter duas naturas soluta fuisset. Inter unionem enim naturalem corporis & animæ; & inter unionem personalem ἓ λόγε & carnis limitibus accuratis hîc est distinguendum. Illa, quia mors vera esse debuit, non hæc soluta fuit. Filius enim DEI cum Patre ac Spiritu S. cœlum & terram implens animam in Paradiso, corpus in sepulchro sibi habuit unitum. Ubi ὡς ἐν παρόδῳ monemus, nos illorum sententiam, qui corpus animâ mediante cum Filio DEI unitum fuisse volunt, nostram non facere. Si enim res ita se haberet, in morte, soluto scil. hoc vinculo, corpus cum Filio DEI non fuisset unitum, quod
p. 97 nec Pontificii, nec Calviniani multum deferentes huic aphorismo concedent. Nec obstat nobis quæstio, an CHRISTUS tempore mortis fuerit vetus homo, quia inter hominem materialiter & formaliter consideratum (ut alias distinctiones hîc missas faciamus) est distinguendum. CHRISTUS in media morte mansit vetus homo materialiter, quia partes hominis essentiales corpus & anima manserunt incorruptæ, licèt non formaliter, quia unio naturalis inter duas hasce partes desierat. Calviniani sæpiùs nobis imponunt, quando personalem unionem ἀχωρίσως factam dicunt, sed phrasin hanc per aphorismum præsentem explicant, quia, quod Filius DEI semel assumsit, nunquam deponit, cùm tamen non de tempore, sed ἀδιαστασία ἓ λόγε & carnis sermo sit, quod vel ipsum vocabulum χωρίζειν i.e. *separare* (ἀπὸ τῆς χωρᾶς i.e. loco) satis innuit. Sed de his plura dicemus in aphorismo sequente.

§. 2. *Usus* hujus aphorismi *in didacticis* est, ut sanam de unione personali duarum in CHRISTO naturarum doctrinam rectiùs teneamus, & scrupulos ex objectione mortis CHRISTI subnatos rectiùs elidere valeamus.

§. 3. *In polemicis* adversus Scholasticos, &, qui pollicem ipsis hodie premunt, Pontificios, qui corpus mediante animâ τῷ λόγῳ fuisse unitum volunt. Quod si res ita sese haberet, corpus tempore mortis, soluto vinculo, cum λόγῳ non fuisset unitum.

APHORISMUS XI.

Duæ naturæ in CHRISTO indivulsè simul & inconfusè sunt unitæ.

SCHOLIUM.

§. 1.

Sensus. Differunt unitio, unio & unitas in hoc articulo. Unitio denotat actum, quo Filius DEI sibi univit humanam naturam: unio statum. Unitio non est reciproca, quia non humana natura divinam, sed divina humanam sibi univit: unio verò est reciproca & mutua, quia divina natura humanæ, & humana divinæ est unita. Unitas verò est personæ. Ita etiam

etiam differunt communicatio, communio & communitas. Communicatio denotat actum, & locum habet in tertio genere communicationis idiomatum: communio statum & potius ad primum genus κοινωνίας ἰδιωμάτων pertinet. Communicatio non est reciproca, quia divina natura sua ἀνχήματα communicat humanæ, nihil verò ab eadem accipit: communio est reciproca, quia proprietates divinæ naturæ communes fiunt humanæ naturæ, & hujus divinæ. Communitas est personæ. Græci quidem unicâ voce τῆς ἑνώσεως unitionem & unionem; & unicâ voce κοινωνίας communicationem & communionem exprimunt, nec tanta Majoribus nostris hîc quæsita fuit ἀκρίβεια, priusquam de reciprocatione κοινωνίας in tertio genere controversia movebatur. p. 98

§. 2. Ut verò propiùs ad evolutionem hujus aphorismi accedamus, duos hîc scopulos & χρισόλυσιν i.e. *solutionem* duarum naturarum in CHRISTO, & earundem σύγχυσιν i. e. *confusionem* esse vitandam, diximus. Ad scopulum priorem impegit quondam *Nestorius*, Episcopus Constant. quando communicationem idiomatum negavit, duas naturas per χώρισιν, vel ἀξίαν, vel τῇ θεωρήσασιν duntaxat unitas dixit, duas naturas coadorandas statuit, Mariam θεοτόκον, DEUM bimestrem, aut trimestrem vocare noluit, non DEUM, sed hominem à Judæis crucifixum, asseruerit. Unde Patres ipsum χρισολύσεως accusârunt. In altetum scopulum impegit *Eutyches*; Archimandrita Constantinopolitanus, qui vitaturus Nestorianismum confusionem duarum naturarum introduxit. Naturam enim humanam à divina fuisse absorptam, ut gutta vini absorbetur â mari, docuit. Ex hoc errore Monophysitarum, Monotheletarum, Acephalorum, Theopaschitarum, Aphtharto-docetarum & aliorum promanavit. Monophysitæ unam in Christo naturam, post factam istam σύγχυσιν, statuerunt: Monotheletæ, quos inter etiam Imperatores fuêre, unam voluntatem. Reverâ enim hic error est ramusculus Eutychianismi. Acephali, quòd à nullo certo capite, vel autore nominari voluerunt, hoc nomen acceperûr, intus autem & in cute fuerunt Eutychiani. Theopaschitæ propter illam ipsam commixtionem naturarum etiam deitatem passam fuisse concesserunt.

§. 3. Quantumvis autem Patres antiquiores ante motas controversias hasce termino mixturæ de unione personali fuerint usi dubio procul nixi loco *Johan.* 1. *vers.* 14. *Verbum caro factum est*, id tamen commune habuerunt etiam cum aliis, quod ante motas controversias locuti fuerunt securiùs, & postmodum abstinuerunt. Locum *Johan.* 1. *vers.* 14. quod concernit, per verbum ἐγένετο non confusio, non mixtio, sed profundissima unio intelligitur. Nec Eutychianorum hypothesibus congruit expositio hujus loci de mixtura, quia non divinam ab humana, sed humanam à divina fuisse absorptam statuerunt. Nestorianis nostro tempore succinunt Calviniani & Pontificii realem κοινωνίαν proprietatum negantes & per θεωρήσασιν unionem explicantes. Quorsum faciunt exempla furculi & arboris, Antwerpiæ & Oceani; clavi & rotæ; planetæ & sphæræ: gemmæ & annuli, quibus unionem duarum naturarum in CHRISTO illustrant. Eutychianorum errorem seculo superiore p. 99

Schwenckfeldiani refricârunt. Injuriam verò nobis, ut alibi etiam pro suo more faciunt, quando propter communicationem idiomatum realem, quam asserimus, ut & περιχώρησιν mutuam Eutychianismi nos poscunt. Sed aliud est communicatio, aliud confusio. Communicatio fit, salvis naturis earumque proprietatibus (quas nos χεφείντε ποσίντε propugnamus) confusio, iisdem abolitis. Περιχώρησις πρῶτον καὶ δεύτερον δεικτικὸν salvum relinquit, confusio tollit. Schwenckfeldiani potius hujus erroris poscuntur. Nestoriani subtiles seculo præcipitante octavo Felix infelix Urgellorum ad Pyrænei radices & Elipandus Toletanus Episcopi fuère. Negantes enim Christum secundùm humanam naturam esse DEI Filium naturalem, & adoptivum saltem asserentes duos filios introduxerunt, & ita personam dissolverunt, quos Concilia Reginoburgense & Franckofurdense ad Mœnum confutârunt. Adversus Nestorium fieri, quòd divina & humana de uno CHRISTO prædicentur, quòd in propositionibus exhibitivis personalibus per pronomina, quibus subjectum exprimitur, θεάνθρωπος intelligatur v. g. *Matth. 3. vers. 17. Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui*, *Matth. 16. vers. 16. Tu es Christus, Filius DEI vivi*, quòd *unus Mediator & Christus* dicatur *1. Timoth. 2. vers. 5. 1. Cor. 8. vers. 6. Roman. 5. vers. 19.* quòd *Maria mater DOMINI Luc. 1. v. 43.* & *Filius DEI ex muliere natus Galat. 4. vers. 4.* quòd *Autor vitæ interfectus Actor. 3. vers. 15. Dominus gloriæ crucifixus* dicatur *1. Cor. 2. vers. 8.* Adversus Eutychen facit, quòd post unionem duæ naturæ & ipsarum proprietates salvæ permanserint, prout CHRISTUS ex Maria fuit natus, circumcisus, crucifixus, mortuus, sepultus, à mortuis resuscitatus, videntibus discipulis in cœlum sublatus & post sessionem ad dextram Patris à Stephano, Paulo, Johanne visus. Unde scriptura particulas limitativas adhibet *Roman. 1. vers. 3. Christus est ex semine David secundum carnem. Rom. 9. vers. 5. Christus ex Patribus secundum carnem, 1. Petri 3. vers. 18. Christus mortificatus carne, 1. Petri 4. vers. 1. Christus passus est carne.*

§. 4. *Usus* aphorismi hujus *in didacticis* est, ὑποτύπωσιν ὑγιαινόντων λόγων de una Christi mediatoris persona & de duabus, ex quibus constat, naturis rectè tenendis.

§. 5. *In polemicis* adversus Nestorianos & Eutychianos, veteres & novos, quorum illi personam solvunt, hi duas naturas confundunt, usus esse potest.

APHORISMUS XII. p. 200

In Christo non est ἄλλος καὶ ἄλλος, sed ἄλλο καὶ ἄλλο.

SCHOLIUM.

§. 1.

Sensus. De deitatis personis diximus in loco proximè præcedente, quòd differant ut ἄλλος καὶ ἄλλος, non ἄλλο καὶ ἄλλο, sed hîc res aliter se habet, quia tres deitatis personæ unius sunt essentiæ, in una verò CHRISTI persona duæ sunt distinctæ essentiæ toto cœlo & terrâ, si considerantur in se, distantes. De personis deitatis dicitur, quòd tres sint: de Christo verò non quòd duo, sed unus sint: *Tres* illæ personæ dicuntur *unum* esse

esse 1. *Johan.* 5. *vers.* 7. *Johan.* 10. *vers.* 3. nunquam verò quòd unus sint : *Filius* dicitur *alius à Patre Johan.* 5. *vers.* 32. & *alius à Spiritu S. Johan.* 14. *vers.* 16. Sed *Christus* dicitur *unus Mediator* 1. *Tim.* 2. *vers.* 5. *unus Dominus* 1. *Cor.* 8. *vers.* 6. Quare, ut 3. personæ deitatis idem sunt in neutro genere, non masculino : ita duæ naturæ in Christo idem sunt in masculino genere, sed non neutro. Plus lucis hic aphorismus ex aphorismo 15. loci præcedentis, ut & aphorismo 2. hujus loci accipit.

§. 2. Cùm *in didacticis* & *polemicis* idem *usus* sit hujus aphorismi, qui fuit proximè antecedentis, ex eadem fidelia duos dealbamus parietes.

APHORISMUS XIII.

Ut se res habet in esse : Sic etiam in prædicari. Vel : Prædicationes personales sunt inusitatæ.

SCHOLIUM.

§. 1.

Sensus. Non desunt, etiam ex Augustanæ Confessionis Sociis, qui prædicationes personales volunt esse paronymicas, aut tamen ad easdem reducendas, sed nos cum pluribus & quidem rem exactiùs perpendentibus easdem potius pro inusitatis habemus. Antequam autem ad probationem nos accingamus, exemplis hasce propositiones illustramus. Sunt illæ vel Biblicæ, vel Ecclesiasticæ. Biblicæ sunt, cùm *Ierem.* 23. *vers.* 5, 6. *germen Davidis Iehova* vocatur; cum *Filius Davidis Dominus Davidis Matth.* 22. *v.* 43. *Filius hominis Filius DEI vivi Matth.* 16. *vers.* 16. cùm *sanctum ex Maria natum Filius DEI Luca* 1. *v* 35. *Secundus Adam est Dominus de cœlo* 1. *Cor.* 15. *v.* 47. dicitur. Ecclesiasticæ sunt, DEUS est homo, homo est DEUS, Filius DEI p.101 est Filius hominis, Filius hominis est Filius DEI, ὁ λόγος est caro, & caro est ὁ λόγος.

§. 2. Ut propositiones ejusmodi melius capiantur, termini abstracti & concreti sunt evolvendi. Concreta & abstracta in hoc loco Theologico vel sunt personæ, vel naturæ. Concretum personæ est nomen, quo tota persona mediatrix, utraque natura constans, vel totum Christi denotatur, ut Jesus, Christus, Emanuel, Salvator, Redemtor, Advocatus, Mediator, Propheta, Sacerdos, Rex noster. Concretum naturæ est nomen naturam quidem denotans, sed cum connotatione hypostaseως, ut DEUS, Filius DEI, ὁ λόγος, homo, Filius Mariæ, Filius hominis &c. Concreta naturarum & abstracta personæ coincidunt. Abstractum naturæ est nomen, quo alterutra duntaxat natura sine connotatione hypostaseως significatur, ut deitas divina natura, humanitas, humana natura, caro. Hæc abstracta naturarum de se invicem non prædicantur.

§. 3. His præmissis aphorismum probamus 1. quia disparatum de disparato modo usitato prædicari nequit. Sed DEUS & homo sunt disparata, imò plus quàm disparata, leo & ursus, aquila & columba, 2. quia unio personalis est mysterium omnium concessione magnum, singulariter mirabile & mirabiliter singulare, ὑπὲρ νοῦν, καὶ ὑπὲρ λόγον καὶ ὑπὲρ κατάληψιν positum. E. Modus prædicandi etiam est inusitatus. 3.

quia nec definitio, nec exempla Synonymicæ & paronymicæ prædicationis quadrant ad propositiones personales. Utraque Synonymica & paronymica prædicatio vel materialiter, vel formaliter considerantur. Materialiter considerata prædicatio Synonymica definitur, in qua prædicatum est de essentia subjecti, ut cùm dico: Equus est animal. Formaliter considerata, in qua prædicatum effertur in casu recto de subjecto, ùt cùm dico, justitia est virtus, leo est animal. Prædicatio paronymica materialiter sumta est, cùm prædicatum non est de essentia subjecti, ut paries est albus. Formaliter, in qua prædicatum effertur de subjecto in casu obliquo, ut homo est risibilis, non risus: paries est albus, non albedo. Ubi notetur, casum Logicis paulò laxiùs sumi, quàm Grammaticis, & denotare μετάχηματισμὸν τῆς τελευταίας συλλαβῆς i. e. *transformationem ultimæ syllabæ*, licet in eodem casu Grammatico fiat. Sic à risu fit risibilis, à doctrina docilis. Jam si prædicationes personales ad has definitiones & exempla quadantenus conferamus, nullatenus quadrant. Cùm dico: DEUS est homo, homo est DEUS, prædicatum quidem in casu recto effertur, sed non est de essentia subjecti. E. nec Synonymicè, nec paronymicè prædicatur. Reductionem
p.102 ad Synonymicas, vel paronymicas quod attinet, de abductione potiùs, quàm reductione cogitandum esse, suadent Theologi.

§. 4. *Usus* aphorismi hujus *in didacticis* esse potest, ut de mysterio incarnationis & unionis personalis duarum in Christo naturarum rectiùs sentiamus & loquamur.

§. 5. *In polemicis* adversus Pontificios & Calvinianos, ut & nonnullos ex Augustanæ Confessionis sociis, quorum aliqui prædicationes personales Synonymicas, aliqui paronymicas esse volunt, aliqui reducendas ad prædicationes regulares & usitatas esse contendunt.

APHORISMUS XIV.

Qualis unio, talis etiam est communicatio.

SCHOLIUM.

§. 1.

Sensus. Communicatio vel est ὑποστάσεως i.e. *personæ*, vel φύσεων i.e. *naturarum*, vel ἰδιωμάτων i.e. *proprietatum*. Hoc loco de ultima sumus acturi, & probaturi, quòd realis sit. Ubi tamen per realem non intelligimus essentialem, sed opponimus verbali, quam Calviniani ac Pontificii docent. Communicatio enim idiomatum est ipsis nuda permutatio nominum, quibus nulla res subest. Hanc per allœosin Cinglianam exponunt, cum scil. quæ deitatis sunt, humanitati, &, quæ sunt humanitatis, deitati attribuuntur. E. g. cùm dicitur, DEUS passus est, ita exponunt, caro, quæ unita est DEO, passa est: Dominus gloriæ crucifixus est, i.e. caro, quæ Domino gloriæ unita est, crucifixa est: Caro Christi est vivifica i.e. Filius DEI, cui caro est unita, est vivificus. Ex quibus, quid de unione personali sentiant, à posteriori colligere licet.

§. 2. Probamus autem aphorismum. 1. quòd communicatio unionem sequatur, ut effectus suam causam. Sed unio est realissima, nisi transfugæ in castra Nestoriano-

storianorum secedere velimus. E. & proprietatum communicatio. 2. quòd proprietates cum divina natura sint simplicissimum ταὐτό τι. Cum quo igitur unitur humana natura personaliter, illud etiam cum humana natura proprietates suas communicat. 3. quòd sufficientia τῆ λύτρῳ pro nobis præstiti per allœosin Cinglianam in dubium vocetur, aut suspecta reddatur. Id quod non dissimulant ex Pontificiis & Calvinianis quidam, mortem Christi rigori justitiæ divinæ opponi non posse, asserentes. 4. quòd proprietates divinæ in tempore & ex gratia Christo datæ dicantur v.g. quando Salvator *Matth.* 28. *vers.* 18. dicit: *Data* p. 103 *est mihi omnis potestas in cœlo & in terra: Philipp. 2. v. 9.* ἐχαρίσατο i.e. *ex gratia ipsi*, Christo prius exinanito, *dedit nomen super omne nomen, ut in nomine IESU flectatur omne genu cœlestium, terrestrium & inferiorum*, Apostolus inquit. Sed quod in tempore & quod ex gratia Christo datum dicitur, secundùm humanitatem datum rectè intelligitur. 5. quòd scriptura determinationes adhibeat, ostendens secundùm quam naturam Christo aliquid datum fuerit, v.g. *Iohan. 5. vers. 27. Pater Filio potestatem dedit judicandi, quia Filius hominis est.* Quare Lutherus in confessione majore dicit: *Cave, cave tibi ab allœosi Cingliana. Est enim larva quædam Diaboli, qua tandem talem Christum fingit, secundùm cujus rationes ego certè nollem esse Christianus.* Nam hoc illa vult, quòd Christus suâ passione nihil amplius sit & efficiat, quàm alius quispiam sanctus. Si enim persuaderi mihi patiar, solam naturam humanam esse pro me passam, profectò CHRISTUS mihi non magni precii Salvator erit, quippe qui ipse tandem Salvatore egeat.

§. 3. *Usus* aphorismi hujus *in didacticis* esse potest, ut de perfectione λύτρου pro nobis soluti, totaque redemtione certiores simus.

§. 4. *In polemicis* adversus Pontificios, Calvinianos & omnes κοινωνίαν ἰδιωμάτων realem negantes, usus esse potest.

APHORISMUS. XV.

Fundamentum distinctionis inter tria communicationis idiomatum genera sunt prædicationes idiomaticæ in scripturis distinctæ.

SCHOLIUM.

§. 1.

Sensus. Prædicationes de CHRISTO in scripturis occurrentes vel sunt personales, vel idiomaticæ. Personales sunt v.g. in quibus concretum naturæ de concreto naturæ, vel abstractum personæ de abstracto personæ prædicatur, ut *filius hominis est filius DEI vivi Matth. 16. vers. 16. filius Davidis est Dominus Davidis Matth. 22. vers. 45.* Idiomaticæ sunt, in quibus proprietas alterius naturæ vel operatio prædicatur de persona, v.g. cùm dico. Λόγος, vel *Filius DEI fuit oculis visus & manibus contrectatus 1. Iohan. 1. vers. 1. Autor vitæ interfectus est, Actor. 3. v. 15. Caro Christi vivifica est, Iohan. 6. vers. 54. Christus nos redemit à maledictione legis.* Ubi notetur, idiomaticas à personalibus includi. Si enim dicere possum: DEUS est homo, quod multò plus est, etiam dicere possum: p. 104 DEUS

DEUS est passus, quia pati est proprietas hominis.

§. 2. Sunt autem propositiones idiomaticæ à potiori sic dictæ non uniusmodi. Vel enim in talibus *ἰδίωμα* propriè dictum vel *ἀποτέλεσμα*, vel *ἀυχημα* divinum prædicatur. Unde resultant tria communicationis idiomatum genera. Primum est, in quo proprietas alterius naturæ de persona prædicatur, ut Filius DEI natus est ex muliere, Dominus gloriæ crucifixus est. Secundum, in quo actiones officii de Christo prædicantur, ut semen mulieris conterit caput serpentis, Filius DEI dat semetipsum pro nobis. Tertium est, in quo divina Majestas, vel *ἀυχήματα* divina de humana natura prædicantur, ut sanguis Christi (pars humanæ naturæ) vim habet emundandi à peccatis, caro Christi est vivifica, Christus secundum humanam naturam erit judex universæ carnis, adoratur à cœlestibus, terrestribus & infernalibus. Primum vocatur *ἰδιοποίησις* (ex *cap. 20. vers. 28. Actor. DEVS δι ἰδίε αἵματ@* i.e. *per proprium sanguinem redemit Ecclesiam suam*) secundum *κοινοποίησις*, quod commune *ἀποτέλεσμα* de Christo prædicetur, tertium *μεταποίησις*, quod *ἀυχήματα* divina humanæ Christi naturæ communicentur. Distingui etiam possunt hæc tria genera communicationis idiomatum quoad subjecta. In primo genere subjectum est totus Christus; in secundo totum Christi; in tertio vel humana natura, vel etiam totum Christi. Ne verò circa ordinem horum 3. generum scrupulus aliquis resideat, præsertim cùm videamus hîc variare Autores, ordinem vel esse naturæ, vel doctrinæ, tenendum. Ordine naturæ *κοινωνία τῶν ἀυχημάτων κοινωνίαν ἀποτελεσμάτων* antecedit. Nihil enim sanguis Christi vim emundandi prius accepisset, non posset nos emundare à peccatis nostris. Nisi ferrum vim urendi prius ab igne accepisset, non posset urere. Ordine verò doctrinæ *κοινωνία τῶν ἀποτελεσμάτων κοινωνίαν ἀυχημάτων* antecedit. Ordo enim doctrinæ à faciliori progreditur ad difficilius. Jam verò cum *κοινωνία τῶν ἀυχημάτων* controversiis pluribus implicetur, pro difficiliori cognitu habetur: & proinde à Formula Concordiæ ultimo loco tractatur.

§. 5. Circa numerum ternarium graduum communicationis idiomatum quidam excedunt, quidam deficiunt. Qui excedunt, quatuor genera faciunt, propterea quòd dentur propositiones, in quibus proprietates individuales cum aliis hominibus non communes de persona CHRISTI prædicentur. V.G. cum dicitur *Psal. 45. vers. 8. DEVS unctus est oleo lætitiæ præ consortibus suis* i.e. donis infinitis, *Psal. 110. v. 1. Dominus sedet ad dextram DEI.* Licet enim sessio ad P. 205
dexteram DEI pertineat ad *ὑπερύψωσιν*, & sic ad tertium genus, ratione tamen subjecti res aliter se habet. Nos Entia præter necessitatem non esse multiplicanda, sentimus, & propositiones ejusmodi ad primum genus communicationis idiomatum commodè reduci posse, censemus. Licet enim unctio, quæ fit per collationem donorum infinitorum, ut & sessio ad dextram DEI non sint communes proprietates cum aliis hominibus, CHRISTO tamen secundùm humanam naturam competunt. Qui deficiunt, sunt Scholastici, Pontificii & Calviniani, unum duntaxat genus communicationis idiomatum, primum scil.

quod

quod tamen intra nuda verba consistere volunt, agnoscentes. Sed distinctæ phrases Biblicæ, quas in evolutione hujus argumenti attigimus, aliud nos docent.

§. 2. *Usus* aphorismi hujus *in didacticis* esse potest, ut distincta distinctè cognoscamus, ex primo & secundo genere plenariam nostram redemtionem, ex tertio Christi hominis & nostram exaltationem, (ubi enim caro mea regnat, ibi me regnare puto) uti etiam Christi fratris præsentiam & juvandi potentiam æstimemus.

§. 3. *In polemicis* adversus Pontificios & Calvinianos, unicum duntaxat genus communicationis, & quidem verbalis, agnoscentes & sic redemptionis pretium, carnisque CHRISTI majestatem negantes, usus esse potest.

APHORISMUS XVI.

DEUS passus est, non in proprietate naturæ, sed in unitate personæ.

SCHOLIUM.

§. 1.

Sensus. Cum DEUS sit immutabilis, consequenter ἀπαθὴς καὶ ἀθάνατος i.e. *impassibilis & immortalis*, de perfectione λύτρου pro nobis persoluti, dubitare forsan quis posset. Utur autem in sua natura passus & mortuus non fuerit, in unitate tamen personæ factum hoc fuit. Unde *sanguis Christi* ἔ Θεοῦ ἴδιον αἷμα i.e. *proprius DEI sanguis* dicitur *Actor.* 20. *vers.* 28. Quàm propria enim DEO est humana natura, tam proprius ipsi est hic sanguis. Sed personaliter & intimè DEUS est homini, ut etiam *verbum caro factum* dicitur, *Johan.* 1. *v.* 14. E. Sanguis hic coram DEO, non secus, ac si esset ipsius DEI, æstimatur. Hinc *Autor vitæ interfectus Actor.* 3 *vers.* 15. p. 106 *Dominus gloriæ crucifixus* 1. *Cor.* 2. *v.* 8. *sanguis Christi* τίμιον αἷμα i. e. *pretiosus sanguis* dicitur 1. *Petri* 1. *v.* 19.

§. 2. Ex hoc aphorismo liquescit, quòd inter abstractivas & concretivas locutiones in primo genere communicationis idiomatum limitibus accuratis sit distinguendum. Etiamsi enim DEUS passus dicatur, non tamen deitas. Ideo scriptura limitativas particulas adhibet 1. *Petri* 3. *vers.* 18. *Christus mortificatus est carne*, 1. *Petri* 4. *vers.* 1. *Christus pro nobis passus est carne.* Quorsum respicientes ex Theologis nonnulli, Christum secundum solam humanitatem passum & mortuum dicunt. Quòd verò propositionem hanc attinet, sola humana natura passa est, exclusiva vel opponitur personæ, vel alteri naturæ. Si personæ opponitur, rejicienda est: si naturæ alteri v.g. propositioni huic, quâ ex nostratibus nonnulli fuerunt usi, deitas passa est, tolerari potest. Tutiùs enim ab hâc phrasi, deitas est passa propter Adversarios præsertim, abstinemus, ne Theopaschitarum errorem incurrere videamur.

§. 3. *Usus* aphorismi hujus *in didacticis* esse potest, ut rectam sententiam inter Scyllam Nestorianam & Charybdin Eutychianam incedentem de passione ac morte Christi teneamus, deque sufficientia redemtionis nostræ certi simus.

§. 3. *In polemicis* adversus Pontificios & Calvinianos, locutionem Synecdochicam, cùm DEUS passus dicitur, fingentes, ut & Theopaschitas, quin etiam

adversus calumnias, quibus hîc impetimus, ac si deitatem ipsam passibilem statueremus, usus esse potest.

APHORISMUS XVII.

CHRISTUS mortuus est, non ex necessitate, sed ex liberrima voluntate.

SCHOLIUM.

§. 1.

Ensius. Cùm *mors sit stipendium peccati Roman. 6. vers. 23.* Christus verò sit κεχωρισμένος ἀπὸ τῶν ἁμαρτωλῶν i.e. *segregatus à peccatoribus Hebr. 7. v. 26.* Christum κατ' οἰκονομίαν i.e. *per dispensationem liberrimam* esse mortuum, tenendum. Sic etiam infirmitates nostras ex peccato, tanquam fonte, fluentes, non tamen personales, quibus cum non omnes homines colluctantur, ut sunt lepra, phthisis, podagra, chiragra, calculus &c. sed communes, ut sunt defatigatio, fames, sitis, liberè assumsit.
p. 107 Inde venisse visus fuit in similitudine carnis peccatricis, *Rom. 8. vers. 3.* Interim tamen ab omnibus morbis, & infirmitatibus nostris, quin & morte ipsa formale i.e. maledictionem sustulit, cùm ipse pro nobis factus fuit maledictum *Gal. 3. v. 13.* Hinc verè languores & dolores nostros portâsse dicitur, *Esa. 53. v. 26.* &c.

§. 2. *Usus* aphorismi hujus *in didacticis* esse potest, ut inter Christum Medicum & hominem ægrotum accuratè discernamus, & de causa mortis ipsius, non peccato proprio, sed liberrimè suscepto vadimonio pro nobis, certi simus.

§. 3. *Usus in polemicis* esse potest, adversus Socinianos, qui mortem peccati stipendium negantes & tamen moriendi necessitatem asserentes aliter non possunt, quàm ut Christum ex necessitate mortuum, vel tamen mortalem fuisse, asserant, licet occasionaliter in hanc ipsam mortem cruentam incidisse dicant, prout Mercator aliquis suâ naturâ mortalis occasionaliter in latrones, à quibus interficitur, incidit.

APHORISMUS XVIII.

In officio Christi quælibet natura agit, quod cujusque proprium, sed cum communicatione alterius.

SCHOLIUM.

§. 1.

Ensius. Canonem hunc Concilii Chalcedonensis Calviniani saltem ex parte retinent, quòd scil. in officio Christi quælibet natura, quod cujusque proprium, agat, alteram autem, quod cum communicatione alterius agat, insuper habent. Nos integrum retinemus. Si enim v.g. sanguis Christi nos emundare debet à peccatis nostris, vis emundandi à divina natura ipsi prius communicari debet. Si caro Christi mundo vitam dare debet, vim vivificam sibi prius communicatam habeat, necesse est. Hinc ἀνυχημάτου cõmunicationẽ ordine naturę cõmunicationem ἀποτελεσμάτων antecedere dixim⁹. Veteres actiones θεανδρικὰς i.e. *DEI viriles* cum sectione ac ustione ferri caustici comparârunt. Ut ferrum simul secet & urat, vim urendi ab igne sibi communicatam prius habeat, necessum est. Cùm ferrum secat, facit, quod sibi

sibi proprium: quando verò urit, cum communicatione alterius, scil. ignis, agit. Hic saltem notetur, quòd ad ἀποτέλεσματα mediatoria utraque natura concurrat, & quòd propter officium mediatorium persona σύνθετον fuerit requisita.

p.108 §. 2. *Usus* aphorismi hujus *in didacticis* est, ut de κοινωνία divinorum χαρισμάτων & perfectione ἀποτελεσμάτων certi simus.

§. 3. *In polemicis* adversus Calvinianos, Pontificios & omnes communicationem realem divinarum proprietatum humanæ Christi naturæ factam negantes, consequenter opus redemtionis labefactantes hujus aphorismi usus esse potest.

APHORISMUS XIX.

Inter particulam κατὰ i. e. secundum primi, secundi & tertii generis interest.

SCHOLIUM.

§. 1.

Sensus. In singulis communicationis idiomatum generibus particulæ restrictivæ, vel limitativæ ᾗ i. e. secundùm, quoad, quatenus, in quantum &c. adhibentur, sed non in eadem significatione. In primo enim genere sumitur reduplicativè, in secundo (si ordinem doctrinæ sequimur) ætiologicè, in tertio specificativè. Quando reduplicativè sumitur, determinat partem subjecti, de quo prædicatum effertur, ut, cùm dico, CHRISTUS secundum carnem ex semine David natus est, ex patribus ortum habet, mortificatus est, passus est, particula ᾗ, secundùm quam personæ hujus compositæ partem, vel secundum quam Christi naturam hæc prædicata efferantur de subjecto monstrat. Sic, cùm dico: Æthiops quoad dentes & oculos est albus, particula quoad subjectum limitat, & ostendit partes, quarum gratia æthiops dicatur albus. Quando ætiologicè particula ᾗ sumitur, tunc causam ostendit, propter quam prædicatum de subjecto dicatur, v.gr. si dico, Christus secundum utramque naturam est Mediator noster. Hic causa & principium exprimitur officii Mediatorii. Quando specificativè sumitur objectum saltem intimat & ostendit, de quo prædicatum dici possit, v.g. cùm dico: CHRISTUS secundùm humanam naturam est omnipotens, omniscius, vivificus. Nec enim hæc & similia prædicata sunt proprietates humanæ naturæ, nec, cur CHRISTUS omnipotens, omniscius, vivificus &c. sit & dicatur, humana natura est causa, sed particula secundum specificat saltem objectum, de quo prædicata dicta efferri queant.

§. 2. *Usus* aphorismi hujus *in didacticis* esse potest, ut genera communicationis idiomatum accuratiùs dignoscamus, & scripturæ meniem, quando limitationes ejusmodi adhibet, rectiùs teneamus.

§. 3. *In polemicis* adversus Calvi- p.109
nianos & Pontificios, eorumque calumnias, ac si statueremus, proprietates divinæ naturæ proprietates humanæ naturæ fieri, usus esse potest.

APHORISMUS XX.

CHRISTUS, ut DEUS dat

omnia: ut homo accipit omnia. Item: Quæ CHRISTO in tempore data dicuntur, secundùm humanitatem data rectè intelliguntur.

SCHOLIUM.

§. 1.

Sensus. Multoties in scripturis dicitur, quòd CHRISTO aliquid datum fuerit v.g. *Matth 28. vers.18.* Salvator inquit: *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra: Johan. 13. vers.3.* de Salvatore dicitur: *Sciens JESUS, quòd omnia sibi dedisset Pater in manus. Hebr. 2. vers.8. Subjecisti sub pedibus ejus omnia: Phil.2. vers.9. Ex gratia ipsi dedit nomen super omne nomen*, inprimis *Daniel. 7. vers.14. Senior ille dedit Filio hominis potestatem, gloriam, divitias &c.* ut itaque secundum quam naturam hoc ipsi datum fuerit, rectiùs intelligatur, aphorismi præmissi fuerunt extructi. *CHRISTUS*, ut DEUS, *omnia, quæ Pater habet, & ipse habet Johan.16. v.15.* Quare, nisi de throno deitatis eundem dejicere velimus, nihil in tempore à Patre accipit, sed ipse potius dator munerum aliis tribuit & communicat. Si quis tamen, quòd Filius per æternam generationem, essentiam & attributa sua communicata habeat à Patre, velit objicere, inter communicationem necessariam & liberam; per naturam & per gratiam; ab æterno & in tempore factam distinguendum. Non de necessaria, per naturam, ab æterno facta, sed de libera, per gratiam & in tempore facta nostri aphorismi loquuntur. Verbum χαρίζεσθαι, quod de cultu adorationis CHRISTO prius exinanito communicato *Philip.2. vers.9.* usurpatur, etiam aliis in locis, tanquam ἐξηγητικὸν dationis, subintelligi potest. Stabilitur per hanc dationem communicatio τῶν ἀυχημάτων divinorum humanæ naturæ CHRISTI facta. Omnis enim potestas in cœlo & in terra, cultus adorationis &c. sunt attributa divina. Sed hæc Christo in tempore & secundum gratiam data dicuntur. Tollitur etiam simul reciprocatio in tertio genere communicationis idiomatum. Nec enim ut humanitas à deitate, sic deitas ab humanitate per communicationem activè, non relativè, spectatam aliquid accipere potest. Nobilius in ignobilius agit, non p. 810
vice versâ. Unde nonnulli ex Theologis divinam naturam ἐντελεχείας humanam δυνάμεως rationem habere dicunt. Sequitur hîc communicatio unitionem, quarum utraque denotat actum, nec est reciproca. Ut ὁ Λόγος assumsit carnem, non vice versâ fuit assumtus à carne: Sic ἀυχήματα sua carni communicat, nihil autem à carne, quo deterior fieri posset, accipit.

§. 2. *Usus* aphorismi hujus *in didacticis* esse potest, ut discrimen duarum in CHRISTO naturarum exactiùs teneamus, diversum habendi modum per naturam & per gratiam accuratius distinguamus, nec quod deitatem CHRISTI labefactare posset, hîc asseramus.

§. 3. *In polemicis* adversus Calvinianos, Pontificios & omnes κοινωνίαν ἀυχημάτων negantes usus aphorismi hujus esse potest.

APHO-

APHORISMUS XXI.

Non excelsus, sed caro excelsi exaltatur. Item. Non assumentis, sed assumti provectio est.

SCHOLIUM.

§. 1.

Ensius. Cum in exercitio plenario communicatæ Majestatis (quæ vox omnibus attributis divinis est communis) ὑπερύψωσις Christi post positam servi formam consistat, hunc aphorismum antecedenti subnectere voluimus. Est autem sedes propria doctrinæ hujus *caput 2. epistolæ ad Philipp.* in quo phrases nonnullæ, ut plus lucis capiat hæc doctrina, prius explicandæ occurrunt.

§. 2. Per formam DEI πρώτως ex intentione dicentis non divina natura, sed majestas humanæ naturæ per unionem personalem carni CHRISTI communicata intelligitur. Interim non negamus, ἑπομένως deitatem etiam intelligi, quia, si carni CHRISTI per unionem personalem communicata non fuisset, etiam in forma DEI existere non potuisset. Sic per formam servi (quam deposuit DOMINUS factus) non πρώτως ex intentione dicentis humana natura, sed status exinanitionis, & humilitas CHRISTI Salvatoris intelligitur. Interim quia CHRISTUS exinaniri & humiliari non potuisset, nisi fuisset verus homo, ἑπομένως per formam servi humana natura intelligitur, prout etiam ex Theologis aliqui humanam CHRISTI naturam ex hoc loco probârunt. Per participium ὑπάρχων i. e. *existens* κτῆσις i. e. *possessio* communicatæ majestatis intelligitur, quòd Christus, licet à primo conceptionis momento possederit, vel habuerit ἀυχήματα divina sibi secundum humanam naturam communicata, nihilominus eorundem usu semel evacuaverit. In verbis istis, οὐχ ἁρπαγμὸν ἡγήσατο i. e. *non rapinam arbitratus est*, particula negandi potius ad nomen, quàm ad verbum referenda est, ita ut propositionem magis infinitam referat, hunc in modum: CHRISTUS arbitratus est non rapinam, quàm negativam: CHRISTUS non arbitratus est rapinam. Opponitur hîc CHRISTUS Adamo primo, qui rapere volebat, quod sibi non competebat: CHRISTUS autem, quod sibi proprium esse noverat, vel competentem honorem usurpare nolebat, sed ejus usu semet evacuabat usque ad mortem crucis. Verba Τὸ εἶναι ἴσα θεῷ diversimodè à diversis Interpretibus explicantur: quidam adverbialiter ἴσα pro ἴσως i. e. *æqualiter* exponunt, quidam aliter. Nobis explicatio eorum, qui cum Camerario ellipsin quandam verborum τὰ ἑαυτῷ hîc agnoscunt, arridet. Ita sensus erit: CHRISTUS probè sciebat, τὰ ἑαυτῷ scil. ἀυχήματα divina sibi communicata, esse DEO æqualia. Vox ἀνθρώπου; cùm Christus ἐν σχήματι ἀνθρώπου dicitur inventus fuisse, non ipsam speciem humanam, ac si Christus tantùm in phantasmate vel schemate hominis venerit (ut Marcionitæ schematici volebant) sed conditionem hominis, quod Christus in forma miseri & abjecti hominis venerit denotat. Opponitur enim vox hominis h. l. heroi, vel viro, ut apud Hebræos אָנוֹשׁ i. e. miser homo & אִישׁ i. e. Vir, vel caro & Vir *Joh. 1. v. 13.* sibi opponuntur. p. 111

§. 3. Hic exinanitus superexaltatus fuit, & ex servo Dominus factus, cui *DEUS ex gratia dedit nomen super omne nomen, ut in nomine JESU flectatur omne genu cœlestium, terrestrium & inferorum. Phil. 2. vers.* 10. Jam quæritur, secundùm quam naturam CHRISTUS exaltatus fuerit. Secundùm divinam naturam factum non fuisse, patet 1. ex eo, quòd CHRISTUS, ut DEUS sit excelsus, imò altissimus. Jam verò qui excelsus est & altissimus, non potest exaltari. 2. quòd *DEUS sit immutabilis, apud quem non est* τροπῆς ἀποσκίασμα i. e. *umbra conversionis aut mutationis. Jacobi 1. vers.* 37. 3. quòd secundum humanam naturam exinanitus fuerit, & usu formæ DEI semet evacuaverit. Jam verò secundum quam naturam fuit exinanitus, secundum illam fuit etiam exaltatus. 4. quòd secundum humanam naturam passus & mortuus fuerit. Quod autem exaltatio non tantùm coram hominibus, sed coram ipso DEO facta fuerit, ex *cap. 17. Johan. v. 5.* patet, cùm Salvator inquit, *Glorifica me, tu Pater, apud temetipsum gloriâ, quam habui, priusquam hic mundus esset, apud te.*

§. 4. *Usus* hujus aphorismi esse potest *in didacticis*, ut de statu exinanitionis & exaltationis plenius informemur, & ut sciamus, comunicationem in tertio genere nõ esse reciprocam. Non enim ut divina natura suas proprietates communicavit humanæ naturæ, quibus melior facta fuit, sic humana natura suas proprietates communicavit divinæ, ut deterior fieret. Nullatenus. Nobilius quippe agit in ignobilius, non vice versâ. Sic ignis suas quidem proprietates communicat ferro, non autem ferrum igni. Quòd verò κοινωνία in hoc tertio genere communicationis idiomatum non sit nuda nominum permutatio, vel exinde liquet, quia per ὑπερύψωσιν *Philip. 2. vers.* 9. describitur, & exempli loco cultus adorationis additur. Jam verò ὑπερύψωσις ista non fuit verbalis, sed realissima.

§. 5. *In polemicis* hujus aphorismi usus esse potest adversus Calvinianos, qui CHRISTUM secundum utramque naturam exaltatum volunt, & quidem respectu hominum, vel cognitionis humanæ, quia immutabilitatem DEI negare non possunt. Sed quod coram ipso DEO facta fuerit, ex *cap. Johan. 17. v. 5.* jamnodo audivimus.

APHORISMUS XXII.

Non in occultatione tantùm majestatis, sed usus evacuatione status exinanitionis constitit.

SCHOLIUM.

§. 1.

Socinus. Sunt ex Theol. aliàs Lutheranis, qui Christum secundùm humanam naturam in statu profundissimæ exinanitionis exercitio plenario communicatæ majestatis gavisum cœlum & terram, sed occulto modo, gubernâsse dicunt. Verum enim verò licet radios quosdam inhabitantis majestatis CHRISTUS in diebus carnis interdum exeruerit (quod in stupendis miraculis satis conspicitur) exercitium tamen plenarium & incessans post resurrectionem & ascensionem in cœlum fuit dilatum. Huic regimini universali & usui majestatis plenario in diebus carnis obstat 1. passio &

p. 112

mor-

mors CHRISTI Nec enim pati & mori potuisset, si τῶν ἀυχημάτων divinorum usum plenarium & regimen incessans totius hujus universi tunc habuisset. 2. quia & exinanitioni & exaltationi certus figitur in sacris terminus. Humilis esse debebat & abjectus usque ad mortem crucis. Hâc finita, demum ὑπερύψωσις cœpit, ut patet *cap. 2. epistolæ ad Phil. vers.* 8. & 9. Sic Salvator ad viatores Emmaunticos dicit *Lucæ 24. v. 26.*

p.113 *Nonne hæc oportuit pati Christum & intrare in gloriam suam.* 3. quòd status exinanitionis non fuerit tantùm κρύψις; sed vera κένωσις, ut patet ex *cap. 2. Philip. vers. 7.* ubi propria sedes hujus doctrinæ. Nullâ hic fingenda est duarum naturarum διαιρεσία, nulla communicationis idiomatum negatio, inter præsentiam enim intimam carnis ad λόγον & extimam carnis ad creaturas hîc distinguendum. Illam concedimus, hanc in diebus carnis, ut universalem & incessantem, negamus. CHRISTUM exinanitum in forma DEI fuisse, concedimus: illius autem usum plenarium tunc habuisse, negamus. Unde distinctione inter κτῆσιν καὶ χρῆσιν in Scholis Theologicis nihil hactenus fuit usitatius. Quando verò Lutherus in cantilena Ecclesiastica mentionem facit occultationis, cùm verbis his de subjecta materia utitur: Gar heimlich führt er sein Gewalt / non κρύψιν χρήσεως i. e. occultationem usurpationis, sed κτήσεως i. e. possessionis intelligit. Eo ipso enim dum cõmunicatam majestatem CHRISTUS in statu exinanitionis non usurpavit, occultavit. Sic nihil sententiæ Theologorum istorum patrocinatur phrasis quorundam Patrum, v. gr. Leonis, qui CHRISTUM à primo conceptionis momento ad dextram DEI evectum fuisse dixerunt. Aliud enim est evectum esse ad dextram DEI, aliud sedere ad dextram DEI. Prior phrasis unionem personalem denotat, quòd scilicet tanta nobilitas obtigerit humanæ naturæ, ut in infinitam ἕνωσιν τοῦ λόγου (qui est ipsa dextra DEI) ἀνάληψιν assumeretur & eveheretur: posterior plenarium communicatæ majestatis exercitium denotat, quod demum post ascensionem in cœlum cœpit. Nec enim unquam sessio ad dextram DEI ascensioni in cœlum præponitur, sed postponitur. Unde cum Rege minorenni CHRISTUS secundum humanam naturam in diebus carnis comparatur à Theologis, qui jus regnandi habuerit, sed non plenarium exercitium. Fatetur quidem coram Pilato se esse Regem *Johan cap. 18. vers. 37.* sed tamen post exaltationem Rex factus dicitur *Actor. 2. vers. 36.* sicuti servus prius Dominus post exaltationem factus dicitur *Philip. 2. vers. 7. & 11.*

§. 2. *Usus* hujus aphorismi *in didacticis* esse potest, ut doctrinam de statu exinanitionis & exaltationis CHRISTI rectiùs teneamus, & inter duos scopulos oppositos mediâ viâ incedamus.

§. 3. *In polemicis* usus ipsius esse potest adversus Theologos Tübingenses, qui quadraginta circiter ab hinc annis cum Giessensibus Theologis super hac quæstione in arenam descendebant, an CHRISTUS in statu exinanitionis profundissimæ cœlum & terram unà cum Patre & Spiritu S. gubernaverit, sed occulto modo, &, Giessensibus hoc negantibus, in affirmativam concedebant. Licet p.114 etiam in decisionem Saxonicarum Ecclesiarum compromiserint, & hæ sententiam

tiam ſuam interpoſuerint pro Gieſſenſibus pronunciantes, nihilominus Tübingenſes erroris ſui tenaces deprehenduntur.

APHORISMUS XXIII.

CHRISTI deſcenſio eſt noſtra aſcenſio.

SCHOLIUM.

§. 1.

Enſus. Et deſcenſio & aſcenſio CHRISTI duplex eſt, propria & metaphorica. Deſcenſio propriè dicta eſt, cùm ζωοποιηθεὶς abiit ad Spiritus, qui erant in carcere infernali, ſeque victorem iisdem demonſtravit, de qua videri poteſt *1. Petri cap. 3. verſ. 18. 19.* Meraphorica eſt CHRISTI ταπείνωσις & exinanitio communicatæ majeſtatis uſque ad mortem crucis, de qua Paulus *ad Philippenſes 2. verſiculis pluribus* agit. Aſcenſio propriè dicta eſt illa διάβασις, quâ coram diſcipulis à monte oliveti ſurſum in cœlum elevatus fuit, de qua præprimis *Actor. 1. verſ. 9.* Metaphorica eſt Chriſti exaltatio, prout dicimus aliquem aſcendere, qui promovetur ad honores, ut *Luca 14. verſ. 10. Amice, aſcende.* Vide *cap. 4. epiſtolæ ad Eph. verſ. 10.* De duabus hiſce ſignificationibus traditur à Theologis regula: Cùm aſcenſio in cœlum & ſeſſio ad dextram DEI conjunguntur, aſcenſionis vox propriè ſumitur pro elevatione in altum ex loco ſcil. inferiore ad ſuperiorem: cùm ſolitariè ponitur, pro exaltatione Chriſti metaphoricè dicta ſumitur: & aſcenſionem propriè dictam includit, vel præſupponit. In aphoriſmo vox aſcenſionis & deſcenſionis metaphoricè accipitur, ita, ut ſenſus ſit; Chriſtum propterea exinanitum fuiſſe, ut nos exaltaremur in cœlo, factum fuiſſe ſervum, ut nos Domini evaderemus. De qua permutatione canit Eccleſia: Er wird ein Knecht und ich ein Herr / das mag ein Wechſel ſeyn. Præit hîc Scriptura *2. Cor. 8. verſ. 9. Noſtis gratiam Domini noſtri JESU CHRISTI, quòd propter vos pauper factus ſit, cùm eſſet dives, ut vos illius paupertate diteſceretis.* Hac exinanitione & humilitate ſuperbiam primorum Parentum, qui Satanæ illecebris adducti divinos honores, ſibi non competentes rapere volebant, expiare Salvator noſter meritiſſimus voluit. Quorſum Apoſtolus *Philipp 2. verſ. 7.* digitum intendit. Sic Chriſtus in una libripendii divini lance poſitus cùm deſcendit, nos in altera lance ſedentes aſcendere facit.

§. 2. *Uſus* aphoriſmi hujus *in didacticis* eſt, ut ex permutatione iſta, quæ paſſim in ſcripturis prædicatur, præſertim in officio redemtorio, divinam miſericordiam, Chriſtique φιλανθρωπίαν agnoſcamus, ipſique gratias agamus. P. 115

§. 3. *In polemicis* adverſus Socinianos & Crypto-Socinianos ſatisfactionem vice noſtra præſtitam aut negantes, aut labefactantes uſus aphoriſmi hujus eſſe poteſt.

APHORISMUS. XXIV.

Stare pugnantis eſt: ſedere gubernantis.

SCHOLIUM.

§. 1.

Enſus. Utraque phraſis in ſcripturis occurrit, quòd CHRISTUS ſtet ad dextram DEI *Actor. 7. verſ. 55.* & quod ſedeat *Marci 16. verſ. 19.* Ut explicetur utraque,

utraque, terminos prius evolvemus. Dextra, de qua in scripturis agitur, vel habet oppositam sinistram, vel non habet. Quando sinistram habet oppositam, locum honoratiorem denotat, & per sinistram vel locus inferior, ut cùm *Mater filiorum Zebedæi petit à CHRISTO, ut filiorum unus collocetur à dextris, alter à sinistris ipsius Matth. 20. v. 21.* vel ignominiosus intelligitur, ut cùm reprobi à CHRISTO in die Pantocritico ad sinistram collocabuntur, *Matth 25. v. 33.* Quando non habet oppositam sinistram, potentiam denotat, à brachio dextro, qui robore præpollet, metaphorâ sumtâ. Refertur enim â Physicis, quòd os brachii dextri cum osse brachii sinistri ad bilancem appensum & comparatum præponderet. Sin secus, quod rarius fit, ejusmodi homines Scævolas evadere. Quam ob causam dextræ huic potentiam & virtutem scriptura tribuit, quod ex *Psal. 118. versiculis pluribus*, & aliis Scripturæ locis videri potest. Differunt stylo Biblico sedere & sedere ad dextram DEI. Sedere idem est ac regnare, vel judicare, prout ipse DEUS sedere dicitur *Psal 9. vers. 5. Sedes in throno tuo justissimus judex*: sedere ad dextram est regere vel judicare communicatâ potestate, cujusmodi sessio posterior Christo secundum humanam naturam competit. Ut DEUS enim non sedet ad dextram DEI, sed est ipsa dextra DEI. Ubi thronus DEI & thronus Christi etiam venit distinguendus. Per thronum DEI potestas infinita; per thronum CHRISTI potestas finita intelligitur. Solus CHRISTUS ad dextram DEI, vel Patris sedet: ad dextram verò Christi etiam electi collocabuntur, prout Filius DEI *Apocal. 3. v. 21.* distinguit: *Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo: Sicut & ego vici, & consedi cum Patre meo in throno ejus.* Ut itaque judicantes & gubernantes sedent, pugnantes stant: ita Christus fortissimo militi Stephano adversus persecutores opem laturus, ipsumque post pugnam coronaturus stare: gubernans hoc universum & aliquando judicaturus orbem terrarum sedere dicitur. p. 116

§. 2. *Usus* hujus aphorismi *in didacticis* esse potest, ut controversam de sessione CHRISTI ad dextram Patris phrasin, & differentiam inter τὸ stare ac sedere penitius cognoscamus.

§. 3. *In polemicis* adversus Calvinianos quosdam, inprimis adversus Mahumetanos, qui situationem per sessionem ad dextram DEI præconcipientes CHRISTUM ad dextram, Mahumetem ad sinistram DEI sedere dicunt, & propterea sinistrum locum honoratiorem ducunt, usus aphorismi hujus esse potest.

Locus IV.

De

CREATIONE.

§. 1.

Vocis creationis homonymia. Cum per creationem DEUS ex inaccessa luce, quam inhabitat, primùm prodierit, seque ut summum bonum aliis

manifestaverit, non immeritò post locum de DEO & CHRISTO ad hunc ipsum facimus accessum. Vox creationis de productione alicujus rei vel ex nihilo sumitur, & tunc creatio immediata vocatur: vel de productione quidem ex aliqua materia, inepta tamen & inhabili sumitur, ut cùm primus parens ex gleba terræ, πλωτομητὴρ ex costa viri formata fuit, & tunc creatio media vocatur.

§. 2. *Definitur* creatio, quòd sit actio externa totius sacro-sanctæ Trinitatis, quâ DEUS Pater per Filium in Spiritu S. cœlum & terram, omniaque in illis visibilia & invisibilia sex dierum spacio ex nihilo condidit, & ordine sapientissimo condita disposuit, in sui gloriam, hominisque salutem. Definitio hæc est causalis, in qua generi causæ, efficiens, materia, forma & finis adjunguntur.

§. 3. *Genus* est actio externa, quâ de-
p. 117 terminatione tum ab operibus ad intra, tum ab operibus internis creatio distinguitur. Opus ad intra terminatur intra ipsum deitatis sinum, nec est liberum, sed necessarium: opus internum quidem intra sinum deitatis peragitur, nec tamen in eodem terminatur, & est liberum: opus externum extra sinum deitatis foras ad creaturas egreditur, & ipsum est liberum.

§. 4. *Differentia causalis.* Dicitur actio totius S. Sanctæ Trinitatis, quia opera deitatis ad extra sunt indivisa. Quòd DEUS Pater cœlum & terram creaverit, inter nos & Antagonistas, Socinianos & Judæos controversum non est. Quorsum omnia loca faciunt, quæ cœlum & terram à DEO condita dicunt. De Filio probatur creatio tum ex capite primo Geneseos, ubi DEUS aliquoties a condo creâsse dicitur; tum ex *Psal. 33. verf. 6.* ubi *verbo Domini cœli facti* dicuntur; tum inprimis ex Novo Test. veteris clave & quidem *Johan. 1. v. 3.* ubi per λόγον (qui caro factus est) *omnia quæ facta sunt, facta fuisse* dicuntur; tum ex *Coloss. 1. verf. 16.* ubi *omnia, visibilia & invisibilia, throni ac potestates &c. per CHRISTUM creata* dicuntur, tum ex *c. 1. epistolæ Hebr. verf. 10.* ubi *Filius DEI, per quem nobis in novissimis locutus est, fundamenta terræ posuisse, & opera manuum ipsius cœli esse* dicuntur. De Spiritu S. ex *c. 1. Gen. verf. 1. Psal. 33. verf. 6. Jobi cap. 33.* Quod DEUS Pater per Filium, in Spiritu S. condidisse dicitur, agendi ordo inter personas deitatis innuitur. Pater enim ut est fons deitatis à seipso condit: Filius, quia essentiam â Patre per æternam generationem communicatam habet, etiam creandi potentiam ab ipso habet: Spiritus S. quia per æternam processionem à Patre ac Filio communicatam habet essentiam, etiam creandi potentiam ab ipsis habet. Hinc Filius & Spiritus S. virtus DEI & Filius quidem brachium, Spiritus S. digitus DEI, per quos operetur, in scripturis dicitur. *Esa. 53. verf. 1. Luc. 11. verf. 20.* Quantum ad hanc loquendi formâ præit ipsa Scriptura in epistola *Roman. 11. v. 36. Ab illo, per illum & in illum sunt omnia.*

§. 5. Materiæ nomine cœlum & terra; & omnia, quæ in iis continentur, visibilia & invisibilia, exprimuntur. Ubi duæ partes πρὸς ἡμᾶς præcipuæ nominantur, quibus omnes creaturæ includuntur, ut in definitione mundi, quam habet Autor libri de mundo, quicunque fuerit: Κόσμος ἐστὶ σύστημα ἐξ οὐρανοῦ καὶ γῆς, καὶ τῶν ἐν τούτοις περιεχομένων φύσεων. i. e. *Mundus est systema cœlo & terra & contentis in iisdem naturis.* Ubi de vermibus

ex

ex putredine vel ſudore, vel ſordibus naſci ſolitis, de ſpeciebus mixtis, de accidentib⁹, de artificialib. ſcrupulus alicui ſubnaſci poſſet. Sed vermes iſtos quod attinet, etiamſi formaliter non ſint conditi, materialiter tamen, quia materia, ex qua producuntur, vel immediatè, vel mediatè creata eſt, à DEO conditi dici poſſunt. Species mixtæ, ut ſunt muli, Camelopardali, Tragelaphi, aves Canariæ ſuis in parentibus, ſpeciebus perfectis, & mulus quidem in aſino & equa, Camelopardalus in Camelo & Pardo, Tragelaphus in hirco & cervo, avis Canaria in acanthide & alia ſpecie hujus nominis creatæ fuerunt. Ut accidentium eſſe duntaxat eſt ineſſe: ſic non creata, ſed concreata dici poſſunt. Artificialia, quantum ad materiam etiam creata fuerunt (nec enim ars producit ſubſtantiam, ſed à natura ſuppeditatam accipit) licet formam accidentalem artifex ſuperinducat. Unde ratione materiæ ad prædicamentum ſubſtantiæ, ratione formæ accidentalis, quâ ſunt induta & imbuta, & ſic ratione partis nobilioris, unde ſuam denominationem accipiunt, ad prædicamentum qualitatis, & quartam quidem ſpeciem, figuram & formam, referuntur.

p.118

§. 6. Per creaturas inviſibiles Angeli h. l. intelliguntur: quos etiam creatos eſſe probamus 1. ex *Pſal.* 104. *v.* 4. epiſtola *Hebr. cap.* 1. *verſ.* 7. *Qui creat Angelos ſuos Spiritus.* Quantumvis Calvinus per Spiritus ventum intelligat, & propoſitionem inordinatam faciat, ac ſi ſenſus eſſet: Ventos facit nuncios ſuos ſc. iræ, citatio tamen loci hujus ab Autore epiſtolæ ad Hebræos facta id non admittit. Non enim cum ventis, ſed Angelis Filius DEI citato loco comparatur. 2. Probamus ex epiſtola *ad Coloſſ. c.* 1. *v.* 16. *Per illum creata ſunt omnia, quæ in cœlis ſunt & quæ in terra, viſibilia & inviſibilia, ſive throni, ſive dominationes, ſive Principatus, ſive poteſtates: omnia per illum & in illum creata ſunt.* Quòd autem intra ſextiduum cum creaturis viſibilibus producti fuerint Angeli, probatur ex eo, quòd æternitas per exiſtentiam ante creaturas deſcribatur *Pſal.* 90. *v.* 1, 2. *Iohan.* 1. *v.* 1. & quòd DEUS ſexto die ſupremam creationi manum impoſuerit. Quo verò die creati fuerint, ſubtilius quæritur, quàm fructuoſius invenitur. Sunt, qui primâ die cum luce; ſunt, qui ſecundâ cum cœlo produ&ctos volunt. Quòd ante hominem conditi fuerint, innuere videtur locus *Iobi c.* 38. *v.* 7. cùm DOMINUS Jobum alloquitur hiſce verbis: *Vbi eras, cùm me laudarent aſtra matutina, & jubilarent omnes filii DEI.*

§. 7. Quod de ſextiduo dicitur, reſpectu creaturarum, non ipſius DEI creatoris, ac ſi temporum intervallis ipſe menſuratus tunc fuiſſet, intelligendum venit. Vivit enim DEUS extra tempus ἐν τῷ νῦν æternitatis, cui nihil abit præteritum, nihil ſubit futurum. Coram ipſo mille anni ſunt, ut dies unus *Pſal.* 90. *v.* 5. *2. Petri* 3. *v.* 8. & ſic ἐξαήμερον iſtud inſtar punc&ti reſpectu DEI conditoris fuit. Si quis quærat de cauſa efficiente diei, priusquam Sol conditus fuit, cum dies definiatur per moram centri Solaris ſuper horizontem, vel (ſi naturalis dies definiendus ſit) per revolutionem Solis ab uno punc&to ad idem unà cum additamento, quod Sol interea motu proprio confecit, ipſi reſpondemus, hoc officio lucem primogeneam primo die creatam & poſtmodum in corpora cœleſtia, inprimis

p.119

Solem, fontem omnis lucis, congestam, fuisse functam.

§. 8. Nullatenus autem hîc sicco pede prætereunda venit vox nihili, quòd DEUS ex nihilo creaverit omnia, cùm à gentilibus, & iis etiam, qui Christianorum nomine se venditant, tot arietibus impugnetur. Gentiles enim naturam non in fieri, sed facto contemplantes, ex nihilo nihil fieri objiciunt. Si qui productionem, generis loco ad creationem & generationem sese habentem, admittunt, ut Aristoteli sententiam hanc nonnulli tribuunt, materiam tamen conditori, *συναίδιον* faciunt, & sic mundum ex nihilo creatum fuisse negant: quam sententiam hodie suam faciunt Socinani. Verùm, etiamsi phrasis hæc, omnia ex nihilo condita sunt, ut verba sonant, in libro aliquo scripturæ Canonico (habetur enim in apocrypho & quidem 2. *Macc.7. vers.28.* cùm mater septem filiorum martyrum natu minimum his verbis alloquitur, *hæc omnia DEUS ex nihilo fecit*) non occurrat, quoad rem ipsam tamen continetur 1. ad *Roman. 4. v.17.* ubi dicitur DEUM vocare *τὰ μὴ ὄντα ὡς ὄντα* i.e. *ea quæ non sunt, ut sunt.* Quod convenit cum dicto Psalmographi *Psal.33.vers.9. dixit & facta sunt.* 2. in *2. Cor. 4. v. 6. DEVS jussit è tenebris lucem splendescere*, non privativis, quia lux nulla præcesserat, sed negativis i.e. nihilo negativo. 3. *in epistola Hebr. cap.11. v.3. Per fidem intelligimus perfecta fuisse secula verbo DEI, ut ex his, quæ non apparebant, ea, quæ videntur, fierent.* Ut per *τὰ μὴ φαινόμενα* materia *συναίδιον* intelligi nequit. Hinc fide intelligi, non ratione investigari posse, dicit Apostolus, secula (i.e. mundum stylo Hebræis usitato) verbo DEI fuisse parata. Quæ siquidem ex ratione à nonnullis adducuntur probationes, mundum ex nihilo esse conditum, probabiles sunt, non infallibiles. 4. in l. *Gen. c.1.* tum ex propria significatione radicis בָּרָא i.e. *condidit*, tum ex eo, quod rudis & indigesta moles, ex qua omnia producta fuerunt, & ipsa creata fuerit. Unde primo die materialiter, reliquis formaliter omnia creata fuisse, Theologi quidam dicunt. Cùm autem mundus ex nihilo creatus dicitur, particula Ex non materiam, sed terminum à quo significat.

§. 9. Forma non tantùm in eo, quòd ex nihilo producta, sed etiam ordine sapientissimo condita dispositaque fuerint conspicitur. In quibus iste ordo consistat, aphorismi nos docebunt. Inprimis potentia DEI ex magnitudine, sapientia ex ornatu & partium commensuratione, bonitas ex utilitate conspicitur. p.120

§. 10. Finis creationis ultimus DEI gloria, intermedius salus hominis fuit. Omnia propter hominem, homo propter DEUM. Scaliger creationem breviter definit, quòd sit constitutio substantiæ ex nihilo. Mentionem tantùm facit substantiæ, cùm accidentium esse duntaxat sit inesse, ac proinde concreata potius, quàm creata dicenda sint. Formas quòd attinet, etiamsi substantiales voce substantiæ comprehendi queant, quia tamen sunt incompletæ, nec generantur, sed congenerantur & comproducuntur, nec ex aliqua materia fiunt, non inconcinnè quoque concreatæ dici possunt. Wiclephus Anglus, qui circa convergia seculi decimi quarti & decimi quinti currentis vixit, & circa Papismum multa reprehendit post mortem effosus & crematus, dixisse fertur, creationem non esse ex nihilo,

hilo, sed ex esse intelligibili. Sed ambigua est locutio, per quam vel nihil negativum (ut quidam tempus intelligibile ante creationem concipiunt) vel exemplar in mente conditoris intelligitur. Sunt alii, qui creationem ex parte DEI conditoris volunt esse volitionem DEI, ut res, quæ prius nō fuit, existat: quod si de modificata voluntate, quaten⁹ cum omnipotentia divina concurrat, intelligatur, sūo loco relinquimus. Sunt, qui per mutationē creationem describunt: sed si mutatio sumatur in ordine ad subjectum, quod dicitur mutari, si nimirum aliter se habeat, quàm prius, pollicem huic opinioni non premimus: si verò mutationis voce novitas in essendo intelligatur, admittere possumus. Missis aliorum opinionibus, ad aphorismos accessum facimus.

APHORISMUS I.

DEUS opera sua fecit non ex indigentia, sed beneficentia: non ampliatur nostris laudibus, sed manifestatur suis operibus.

SCHOLIUM.

§. 1.

Socinus. Etiamsi DEUS mundum nunquam condidisset, ipse tamen ἀτρεκέσατ& manssisset. Bonorum nostrorum
p. 121 ipse non eget, nec ad retributionem aliquam tenetur, ut Apostolus *Rom.* 11. *v.* 35. ex *Iobi cap.* 41. *v.* 2. dicit: *Quis prior dedit ei, & reddetur ei?* Verùm quòd emanaverit ex inaccessa ista luce, quam inhabitat, & totum hoc universum ex nihilo creaverit, ipsius bonitati venit adscribendū. Si quis tamen dicat, hoc in DEUM redundare commodi ex creatione, utà nobis laudetur & celebretur: respondent aphorismi verba sequentia, non ampliatur nostris laudibus, sed manifestatur suis operibus. Sæpius in scripturis DEUS à nobis magnificari & exaltari dicitur, ut *Psal.* 34. *vers.* 4. *Magnificate DOMINVM mecum: & exaltemus nomen ejus.* Et *Lucæ* 1. *v.* 47. Maria inquit: *Magnificat anima mea DOMINVM*: Sed inter fundamentum honoris & ipsam agnitionem distinguendum. A nobis tantùm est agnitio summè venerabilis hujus numinis: ipsum verò fundamentum in se manet, sive agnoscatur, sive secus. Lutherus, quando petitionem primam orationis Dominicæ in catechesi majori explicat, distinguit inter nomen DEI spectatum quoad essentiam & quoad usum, & sanctificationē nominis divini quoad usum hîc à nobis expeti dicit. Quod ipsum aliis verbis in catechesi minori explicat: *Nomen DEI per se quidem sanctum est, sed nos rogamus hâc petitione, ut etiam sanctificetur apud nos in cordibus nostris* i.e. ut sanctum agnoscatur, deprædicetur, & secundum illud vita nostra instituatur. Manifestatur DEUS suis operibus, quia quæ condidit opera ipsum laudant. Sic *Psal.* 19. *vers.* 2. *cœli* dicuntur *enarrare gloriam DEI & firmamentum annunciare opera manuum ejus.* Sic *Psal.* 148. *Sol, Luna, Stellæ & omnes creaturæ provocantur ad laudem DEI.* Ubi tamen inter laudes, quæ fiunt formaliter & quæ fiunt materialiter, vel objectivè distinguendum est. Quæ fiunt formaliter, ore, laudis instrumento, peraguntur: quæ materialiter & objectivè, materiam præbent laudis, vel fiunt objectum, quo movemur ad aliquid laudandum, prout opus cōmendare dicitur artificem. Creaturæ

turæ rationales utroque modo formaliter & materialiter ; irrationales posteriore saltem DEUM laudant.

§. 2. *Usus* aphorismi hujus *in didacticis* est, ut finem creationis rectiùs teneamus.

§. 3. *In polemicis* adversus Reformatos, CHRISTO secundum utramque naturam ἀντιδόσεων, de qua epistola ad *Philipp. 2. v. 9.* tribuentes, cùm CHRISTUS ut DEUS sit immutabilis, & fundamentum gloriæ semper retineat, usus esse potest. Ut autem status exinanitionis non in occultatione, sed vera usus divinæ majestatis evacuatione constitit: Sic & status exaltationis non agnitione tantùm divinæ Majestatis venit æstimandus.

APHORISMUS II.

p. 122

Qui liberè naturæ leges dedit, seipsum naturæ legibus & ordini non obstrinxit.

SCHOLIUM.

§. 1.

Sensus. Aureus est hic aphorismus adversus eos sectarios, qui rationis humanæ decempedâ Christianæ religionis agros metiuntur, ut sunt Sociniani, quibus ratio est religio, & Reformati, qui DEUM nihil incomprehensibile rationi ad credendum nobis proponere, sibi persuasum habent. Unde ipsam divinam omnipotentiam, si rationi aliquid contrarium ad credendum proponitur, in dubium vocare minimè verentur. Quòd autem liberè DEUS naturæ leges dederit, v.g. ut ignis urat, virgo non pariat, humidum non claudatur terminis propriis, sed alienis, omne corpus grave deorsum feratur, omne corpus naturale sit in loco, à privatione totali ad habitum non detur regressus, corpora cœlestia sint in perpetuo motu, suas constanter observent leges, id omne cursûs naturæ inhibitio liberrima circa jam dicta probat. Ignem enim non usisse *Dan. 3. vers. 28.* virginem peperisse *Matth. 1. vers. 25.* & *Luca 2. vers. 7.* humidum clausum fuisse terminis propriis *Ex. 14. vers. 22.* corpus grave sursum fuisse latum 2. *Reg. 6. v. 6.* (corpus extimum loco non circumscribi, vel ipsi Physici concedere coguntur, quod tamen nobis, qui locis sumus circumscripti, vix comprehensibile videtur) à privatione totali ad habitum, à morte ad vitam, datum fuisse regressum *Joh. 11. vers. 43.* & aliis scripturæ locis V. & N. Testam. motum corporum cœlestium inhibitum fuisse, *Esa. 38. v. 8.* leges etiam eorum fuisse mutatas & Solis eclipsin in plenilunio fuisse conspectam, *Luca 23. v. 45.* asseritur.

§. 2. Quanta itaque protervia est, quòd regulis per inductionem à rebus creatis & finitis extructis, quibusdam etiam in ipsa natura falsis, aut alienissimum sensum habentibus irrationales isti decempedatores mysteria & revelationes divinas evertere conantur. E.g. cùm Calviniani proprietates divinas (quæ tamen sunt ipsa natura DEI) humanæ Christi naturæ communicatas negant, propterea, quòd propria non possint communicari, quam tamen regulam in ipsa natura falsam esse, tot exempla, ferri & ignis, corporis & animæ, linguæ ferreæ & magnetis, gossypii & moschi appositi, vel involuti docent; Cùm Reformatores iidem communicationem duarum

natu-

naturarum in CHRISTO negant, ex
p.123 eo, quòd finitum non capax sit infiniti, cùm tamen de rebus materialibus & quantitatum cōmensurationibus, prout urceus non capit amphoram, fictus hic canon unionem ipsam duarum naturarū in CHRISTO evertens & axiomati Biblico ad *Coloss.2.vers.9. in ipso* (CHRISTO secundum humanam naturam spectato) *tota plenitudo deitatis corporaliter habitat*, contradicens agat: Cùm dicti Reformatores, Lutheri simioli, contra præsentiam Sacramentalem & universalem extra cœnam objiciunt axioma ex quibusdam singularibus corporum physicorum extructum, quòd omne corpus naturale sit in loco, non attendentes, quòd corpus extimum hujus universi corpore nullo ambiatur, nisi progressum in infinitum statuere velimus: Cùm manducationem oralem impugnantes iidem maximam aliquam ex Geometricis adducunt, inter recipiens & receptum, os nostrum & corpus CHRISTI, proportionem aliquam intercedere debere, an saltent extra sphæram & potentiam illius, qui camelum per foramen acus traducere novit, suspectam faciant, pensi minus habentes: Cùm omne corpus esse visibile ac palpabile, quod tamen de aura ætherea, quin & aëre cominus inspecto sumtū fallit in ipsa natura, præsentiæ substantiali corporis CHRISTI in cœna opponunt, quòd corpus CHRISTI factum fuerit ἄφαντον, *Lucæ 24. vers.31.* & ipsi electi σώματα πνευματικὰ, quæ non appareant omnibus *Matthei 27. v.33.* sint habitura, minus perpendentes: Cùm ex regula inductione singularium finitorum extructa tres personæ non possunt esse unum numero, Sociniani mysterium facto-sanctæ Trinitatis impugnant, non attendentes quod de DEO infinito nobis aliud in scripturis sit revelatum. Detestantur ejusmodi probationes ipsi gentiles Philosophi, nominatim Aristoteles, qui μετάβασιν εἰς ἄλλο γένος i.e. salutem de genere in genus, vel de una disciplina in aliam, cùm sc. conclusio disciplinæ unius medio ex alia disciplina desumto probatur, tantopere improbat. Quanto minus in Theologia, quæ pluribus parasangis à disciplinis Philosophicis abest, quàm hæ disciplinæ invicem differunt, ejusmodi probationes ἀπαίδευτοι locum habebunt.

§.3. *Usus* hujus aphorismi *in didacticis* esse potest, ut inter opera DEI, quæ sunt ad intra & quæ sunt ad extra, distinguamus, & in iis necessitatem, in his libertatem agnoscamus.

§.4. *In polemicis* adversus Rationales illos Theologos, qui divinas assertiones maximis ex rebus creatis desumtis evertere conantur, quòd is, qui liberè naturæ leges dedit tanquam liberrimum agens etiam supra naturæ leges agere possit, minus ponderantes usus aphorismi esse potest. Non inconcinnè cum Auto-p.124 matario quodam DEUM hîc comparant, qui structum à se horologium pro arbitrio regere ac dirigere possit.

APHORISMUS III.

Omnis creatura DEI bona est, etiamsi non sit omnibus apta.

SCHOLIUM.

§.1.

Sensus. Quòd omnis creatura DEI bona condita fuerit i.e. voluntati conditoris congrua, debitamque perfectionem in se

in se continens, aliquoties in *cap.* 1. *Genes.* legimus. His opponi possunt animalia venenata & noxia: verùm etiamsi τινὶ i.e. alicui noceant, vel parùm conducant, usum tamen suum creaturis præstant aliis.

Quippe videre licet pingueſcere ſæpe cicutâ
Barbigeras pecudes, homini quæ eſt acre venenum.

Sic scorpius adversus scorpium scil. remedio esse potest, quando scorpionis oleum adversus morsûs ejusdem adhibetur. Sic serpens in theriaca scil. esse dicitur, quando carnes viperinæ ingredientibus ad confectionem hujus electuarii, reginæ medicamentorum, junguntur. In verbis, herbis & lapidibus dicitur esse magna virtus, etiâsi nobis non sit semper cognita. Sed ab ignorantia nostra ad negationem ipsius rei non valet consequentia. Semper dies posterior plus docet, quàm prior.

§. 2. *Vsus* aphorismi hujus *in didacticis* esse potest, ut opera DEI magnificiamus, & cum scriptura τὸ καλῶς πάντα ποιοῦντα ingeminemus.

§ 3. *In polemicis* adversus Manichæos, & ejusdem furfuris hæreticos, qui creaturas quasdam alteri principio malo (prout vinum fel Draconis dixerunt) retulerunt acceptas, usus aphorismi hujus esse potest.

APHORISMUS IV.

Natura in minimis est tota. Item: Natura in minimis maximè miranda. Item: Expavescis in minimis? Lauda maximum.

SCHOLIUM.

§. 1.

Sensus. Non immeritò, cùm animalcula omnem propemodum visum subterfugientia, cujusmodi rosis purpureis innasci solent, moto suo spontaneo ferri p.125 videmus, miramur. Cùm enim structura partium corporis, organa sensuum, vel aliquid analogum nos lateat, quomodo peragantur ab iisdem dicti motus & operationes, propemodum obstupescimus. Quod videant, vel exinde, quod rectâ viâ pergentes ad aliquem terminum, quoties obstaculum ipsis objicitur, aciculæ v.g. punctura, declinent à via, patet. Hinc muscæ magis, quàm elephanti pedem mirari dicimur. Sed in his etiam natura, principium motus & quietis intrinsecum, cum suis operationibus variis, v.g. quod per gradus, non per saltus progrediatur, quòd agat per compendia, quòd sit providua sui custos, quòd defectus resarciat, quòd non deficiat in necessariis, nec abundet superfluis, & quidem in quibusdam evidentiùs, in quibusdam obscuriùs continetur.

§. 2. Hærentes itaque circa minima, conditorem maximum, cui nihil eorum, quæ condidit, est minimum aut absconditum, laudemus: *qui* dicti aphorismi *usus in didacticis* esse potest.

§. 3. *In polemicis* adversus eos, qui tam vilia, cujusmodi sunt pulices, DEO minimè curæ esse putant, exemplo Hieronymi, aphorismus usui esse potest.

APHORISMUS V.

Ὁ Θεὸς καὶ φύσις ἀεὶ γεωμετρεῖ h. e. DEUS & natura semper agunt Geometras.

SCHO.

SCHOLIUM.

§. 1.

Ensus. Cum telas aranearum, quas texunt, cellas apum sexangulares, quas construunt; ovalia bombycum glomeramina, quæ formant, figuram nivis stellarem; pulcherrimas florum structuras secundum positum, numerum & colores (lateant jam cœlestia corpora statos suos motus observantia) contemplamur, vestigia Geometriæ passim occurrunt. Verùm cum animalcula ista bruta, vegetabilia, meteora, quæ faciunt, non intelligant, sed per instinctum naturalem duntaxat agant, naturam tam naturantem, quàm naturatam in operationibus hisce latentem conspicimus. Porrò cùm propter finem vel commodius habitaculum, vel sui conservationem vel hominis recreationem has operationes dictæ creaturæ exerceant, nec tamen cur sic faciant, intelligant, supremum aliquod numen finem istum intendens quidam (ut Cornelius Martini suis in Metaphysicis, & quidem tractatione causarum) exinde colligi posse, censent.

p.126 §. 2. *Usus* aphorismi hujus *in didacticis est*, ut sapientiam & bonitatem DEI ex creaturis suis agnoscamus.

§. 3. *In polemicis* adversus eos, qui θεογνωσίαν ex creaturis per discursum acquisitam dari negant, ut etiam Epicuræos istos, qui casu ac temerè omnia fieri & facta putant, aphorismi hujus usus esse potest.

APHORISMUS VI.

Pondere, mensurâ, numero DEUS omnia fecit.

Item: Non alio mundus debebat nomine dici,
Nomen ab ornatu convenienter habet.

SCHOLIUM.

§. 1.

Ensus. Aphorismus, prior ex l. *Sapientiæ cap.* 11. *vers.* 22. delumtus: Μέτρῳ καὶ ἀριθμῷ καὶ σταθμῷ πάντα διέταξας i.e. *Mensurâ, numero ac lance omnia disposuisti*: posterior nomen hujus universi Græcum κόσμου & Latinum mundum explicat. *Pondere* DEUS omnia fecit, cùm levibus corporibus superiora, gravioribus inferiora loca destinavit: in superiora florem secedere, in inferiora fecem subsidere jussit. Terram enim in medio non sublunaris duntaxat regionis, sed etiam totius hujus universi posuit, centrum & quietem omnium gravium in se continentem. Unde facilè concipi potest, quî terra columnis nullis fulta, non tamen deorsum feratur, nec Antipodes penduli terreno globo adhærescant. Si motus sursum est is, qui fertur à medio; cœlum verò ἁπλῶς consideratum nullibi sursum, vel deorsum, sed ubilibet imminens globo terreno deprehenditur; Antipodes si penduli de terra ferrentur, non deorsum, sed sursum moverentur i.e. in cœlum evolarent. Quod contra Pontificem Zachariam, qui pronuncians ex cathedra Vergilium quendam Episcopum Bavarum, quòd Antipodes statuerit, seculo currente octavo post CHRISTUM natum anathematis fulmine percussit, observandum, Jesuitis hodie de conversione Antipodum plenis buccis gloriantibus. Ratiunculis nimirum puerilibus

Pontifex ille fuit ductus, quòd aliud cœlum, Sol alius, alia Luna fingenda sint, quin & ipsi Antipodes penduli deorsum sint lapsuri.

§. 2. *Mensurâ* DEUS omnia fecit, cùm elegantissimâ corporum mundanorum & distantiarum configuratione totum hoc universum exornavit. Observarunt enim nonnulli, si triplo major esset Sol, aut istius à terra distantia, quòd etiam homo propter intuitum cœlestium corporum erectâ figurâ creatus triplo major conditus fuisset, & sic deinceps. p. 127

§. 3. *Numero* DEUS omnia creavit, cùm unum uni opposuit, flores & animalia certo partium numero affaberrimè struxit. Imò, ex διχοτομίᾳ corporis humani, cùm duobus oculis, duabus auribus, duabus naribus, duobus brachiis, duobus pedibus, duobus renibus, duobus testibus, epate duplici, si lien νόθον παρᾳ dici potest, cur duobus sinubus præditum finxit, ut unâ parte deperditâ, servari queat altera, numerus iste conspicitur. Quis itaque κόσμον & ornatum toti huic universo denegabit.

§. 4. *Usus* aphorismi hujus *in didacticis* esse potest, qui erat prioris, ut scil. DEI sapientiam ex harmonia pulcherrima, potentiam ex magnitudine, bonitatem ex utilitate rerum creatarum cognoscamus, & ad gratiarum actiones inflammemur.

§. 5. *In polemicis* adversus eos, qui ex atomis omnia confluxisse docent, usus aphorismi hujus esse potest. Si enim temerarius iste atomorum cõfluxus ne stabulum quidem capiendis porcis aptum efformare potest, multò minus structuram tam pulchram, cujusmodi est τὸ πᾶν καὶ ὅλον, ut Aristoteles l. 1. de cœlo c. 1. mundum vocat. Mentem itaque sapientem hæc fabrica mundana satis superque arguit.

APHORISMUS VII.

Hoc universum est larva sui conditoris.

SCHOLIUM.

§. 1.

Ensius. Ita *Lutherus* in commentario suo super epistolam ad Galatas loquitur, quòd DEUS sub hac machina mundana quasi sub larva quadam delitescat. Inprimis autem suam infinitatem & immensitatem velut in speculo quodam adumbravit, quòd mundum hunc & partes in eo præcipuas sphæricâ figurâ, typum infiniti gerente, in qua nullibi principium, nullibi finis, sed ubilibet principium, ubilibet finis, condiderit. Exinde, quomodo cœlum, nisi χρηματικῶς sumtum, nec sursum, nec deorsum, sed ubilibet imminens, conspiciatur, & quod aliis punctum est verticale, Senith Arabibus dictum, id aliis terræ incolis pedale, vel Nadir sit: quomodo Sol uno temporis momento quibusdam terræ incolis oriatur, quibusdam culminet, quibusdam occidat, eodem tempore quibusdam æstas, quibusdam hyems sit, patet. Pulchritudinem ex Sole, mundi oculo, suâ luce collustrante, calore suo fovente, influxu suo vegetante omnia, velut ex vestigiis Herculem colligimus. Si enim effectus summi conditoris talis est, qualem ipsum conditorem conjiciamus? Bonitatem sui communicativam ex mineralium, vegetabilium, animalium proventibus continuis colligimus, p. 128

§. 2. *Usus*

§. 2. *Usus* aphorismi hujus *in didactics* est, ut ex creaturis ipsum creatorem quadantenus cognoscamus, & mundum hunc τῆς Θεογνωσίας παιδευτήριον i. e. scholam agnitionis divinæ nobis esse sinamus.

§. 3. *In polemicis* adversus eos, qui notitias de DEO naturales, sive connatæ sunt, sive per discursum acquisitæ, (ut Sociniani) negant, aphorismi hujus usus esse potest.

APHORISMUS VIII.

Omnia propter hominem, homo propter DEUM. Item. Nulla creatura homini nocuisset, omnis inservisset, si homo non peccâsset.

SCHOLIUM.

§. 1.

Sensus. Si causam creationis efficientem & finalem conferimus, & hic aliquis circulus, quòd ab uno ad unum ferantur omnia, sese offert. Omnia quidem propter hominem μικρόκοσμον & epitomen hujus universi, sed homo propter DEUM agnoscendum & celebrandum creatus est. Scrupulus hîc injici posset, quòd creaturæ multæ sint hominibus noxiæ, præprimis autem animalia, v.g. leones, ursi, pardi, lupi, lynces, tigrides &c. hominibus sint pertimescenda. Verùm præterquam quòd creaturæ quædam noxiæ sint τινὶ i.e. alicui tantùm, satis aliàs utiles, prout aphorismo tertio docuimus, etiam ad lapsum hîc nonnulli recurrunt, quòd si homo perstitisset in integritate, nihil adversi habiturus fuisset. Unde aphorismus Theologicus fuit exstructus: Nulla creatura homini nocuisset, omnis inserviisset, si non peccâsset. Si enim DEUS propter lapsum primorum Parentum maledixit terræ, ut lappas & zizania, quin & herbas hominibus noxias proferat, cur non etiam animalia quædam bruta, quæ suâ præsertim naturâ ferociora sunt, adversus hominem armâsset. Quantumvis autem mansuetarios feras quasdam curare, quin & arres quasdam edocere videamus, magno tamen cum renisu, quin & periculo sæpiùs id fieri solet: artes verò, quas discunt & exercent, tantùm dispositiones sunt, non p. 129 habitus: quippe quæ sine jucunditate nec nisi plagarum inflictu ab iisdem exiguntur. Quid? quòd reliquiis dominii super bestias post lapsum residuis hæc ipsa mansuefactio referri possit accepta. Cùm DEUS ad hominem adduxisset omnia, quæ condiderat, animalia, ut congruentia ipsis nomina imponeret, eundem cum leone, pardo, tigride, lupo, veluti cum catello Melitæo, lusitare potuisse, dubium non est: sicut & cum serpente familiariter conversatus fuit, verùm, quod experientia docet, post lapsum res aliter se habet, cùm à feris bestiis, leonibus & ursis sæpius interfectos fuisse homines, & sacris literis *1. Reg. cap. 13. vers. 24. 2. Reg. cap. 2. vers. 24.* & historiis profanis informemur, serpentes fugiat & horreat. Nihilominus omnia propter hominem, homo propter DEUM etiamnum conditus dici potest. Licet enim finis intermedius quadantenus interversus fuerit (quadantenus dico, cùm & animalia ista mortua v.g. barrus ebure, leo suis exuviis, viperæ suis carnibus &c. hominibus usui esse queant) ultimus tamen etiamnum perseverat. Videatur hîc *Psalmus* 104.

§. 2. *Vſus* aphoriſmi hujus *in didacticis* eſſe poteſt, ut verum creationis finem agnoſcamus, DEUM conditorem laudemus & pro beneficiis acceptis gratias eidem agamus.

§. 3. *In polemicis* adverſus Epicuræos, Democritum & hujus farinæ plures, qui nec efficientem, nec finem creationis rectè agnoſcentes temerè omnia ferri volunt, uſus eſſe poteſt.

APHORISMUS IX.

Ex ordine aliquo in genere, non ſtatim colligitur hic, vel ille in ſpecie.

SCHOLIUM.

§. 1.

Enſus. Cum πᾶν ἄτακτον ἄναρχον i.e. quod ordine caret, diu ſubſiſtere nequeat, inter Angelos etiam ordinem dari, non imus inficias. Præit etiam hîc nobis ſcriptura in epiſtola *Coloſſ. c. 1. v. 16. Per illum creata ſunt omnia, quæ in cœlis ſunt, & quæ in terra, viſibilia & inviſibilia, ſive throni, ſive dominationes, ſive principatus, ſive poteſtates, omnia per illum & in illum creata ſunt.* Sic 1. *Theſſ. cap. 4. verſ.* 16. Archangeli mentio fit: *Ipſe Dominus cum celeuſmate ac voce Archangeli ac tuba DEI deſcendet de cœlo.*

§. 2. Pontificii ex Dionyſio, quem Areopagitam fuiſſe volunt, ſed fruſtra, tres ordines & novem choros Angelorum conſtituunt. In primum ordinem p. 130 Seraphim, Cherubim & thronos; in ſecundum dominationes, virtutes & poteſtates; in tertium principatus, Arch-angelos & Angelos collocant. Hos *Eccius parte 3. poſtillarum homilia quintâ in feſto Michaelis* illuſtrat ſequentibus verbis: Darumb betrachten die Vätter/ wie der brennende Himmel (cœlum empyræum) ſey als ein Berg/ und auf dem Spitz ſey Maria/ und darnach gerings herumb die Chor der Engel/ herab an dem Berg in ihrer Ordnung und Chor/ denen zugeſellet werden die lieben Heyligen nach ihren Verdienſten. Hos ordines in choro templi Nicolaitani ad parietem depictos videre licet. Verùm cùm de ſpeciali hoc ordine, quòd in tot numero, nec plures, nec pauciores claſſes dividendi ſint Angeli, & quòd gradibus hiſce termini Biblici ex epiſtola *Coloſſ. 1.* ſint diſtinguendi, ſcriptura taceat & Patres etiam diſcrepent, ſuis autoribus eundem remittimus. *Auguſtinus* in *Enchiridio ad Laurentium c. 58.* *Quid*, inquit, *inter ſe diſtent quatuor illa vocabula, quibus univerſam illam ſocietatem videtur Apoſtolus eſſe complexus dicendo: Sive ſedes, ſive dominationes, ſive poteſtates, dicant qui poſſunt, ſi tamen probare poſſunt, quod dicunt. Ego, me iſta ignorare, confiteor.* Alios etiam Angelos Dionyſius, alios Gregorius & hunc ſecutus Longobardus quinto & ſeptimo choro transſcribunt. Quare conſilium hoc ſuggerit Eccius: Non prodeſt, inquiens, populo recenſere, Gregorium diversè collocâſſe, & permutâſſe quintum & ſeptimum, quia omnes ſancti, dempto Bernhardo, malunt in hoc ſequi Dionyſium, ut qui hauſerat illa ex traditione Apoſtolica, potiſſimum ſancti Pauli, qui fuit unus de præcipuis, de quibus dixit Paulus: *Sapientiam loquimur inter perfectos 1. Cor. 2.* Non autem fuiſſe Dionyſium

nysium hunc Areopagitam Pauli discipulum, sed alium quempiam, qui temporibus citerioribus vixit, probamus 1. ex eo, quòd nullam Pauli Præceptoris sui faciat mentionem, à quo tamen traditiones suas accepisse perhibetur, 2. quòd plurima superstitiosa magis, quàm fructuosa tradat. 3. quòd stylus istius seculi λέξιν non resipiat. 4. quòd plurium inter Clericos, vel Ecclesiasticos ordinum v.g. Pontificum, Præsulum, Sacerdotum, Monachorum &c. mentionem faciat, qui tum temporis nondum fuêre. 5. quòd ipsi Pontificii scriptores (ne dicamus de Criticis recentioribus) Erasmus, Valla &c. Dionysium hunc pro Areopagita non agnoscant. Nos itaque specialibus istis ordinibus tritos istos Jambos opponimus:

Nescire velle, quæ Magister maximus
Nos scire non vult, erudita est insciti.

p.131 Item, quod Apostolus *1. Cor. 4. vers. 6.* dicit: Οὐ δεῖ φρονεῖν ὑπὲρ ὃ γέγραπται i.e. *non debemus sapere supra id quod scriptum est.*

§. 3. Et hic *usus in didacticis, in polemicis* adversus dictos Scriptores Ecclesiasticos & modernos Pontificios ipsis adstipulantes esse potest.

APHORISMUS X.

Angeli sunt Spiritus à corporibus dependentes.

SCHOLIUM.

§. 1.

Etymus. Vox Angeli origine græca descendit ἀπὸ τοῦ ἀγγέλλειν i.e. à nunciando. Quòd Angeli divinæ voluntatis sint Interpretes. Hebræis Angelus מַלְאָךְ dicitur. Utrumque nomen officii est, de quo Augustinus: Naturæ nomen quæris? Spiritus est: officii nomen quæris? Angelus est. Propter hoc ipsum, quòd officii nomen sit, etiam Filio DEI, μεγάλης βουλῆς Ἀγγέλῳ i.e. magni consilii Angelo (ut Interpres Græcus verba c. 9. Es. vocabitur admirabilis, Consiliarius, DEUS fortis, Pater futuri seculi, Princeps pacis, reddidit) & Ecclesiæ ministris, καθ' ἐξοχὴν Johanni Baptistæ tribuitur. Vide *Gen. cap. 48. vers. 15. Exod. 3. vers. 2. cap. 23. vers. 21. Mal. cap 3. vers. 1. Matth. 11. vers. 10.* Græcis Philosophis Angelus νοῦς, latinè Intelligentia, ut etiam à multijuga scientia δαίμων dicitur, & orbium cœlestium motor statuitur. Quantumvis autem in corporibus ad tempus assumtis interdum apparuerint, ipsos tamen non esse corpora, sed Spiritus, probamus 1. ex eo, quòd ipsa scriptura eosdem hoc nomine indigitet, ut *Psal. 104. vers. 4. Hebr. 1. vers. ult. Facis Angelos tuos Spiritus. Nonne omnes sunt administratorii Spiritus, qui mittuntur in ministerium propter eos, qui salutis hæredes futuri sunt?* 2. quòd nobis servientes prorsus sunt invisibiles. De sanctorum autem Angelorum ministerio *Psal. 91. vers. 11, 12. & cap. 18. Matth. v. 10.* videantur. 3. quòd sese non multiplicent, ut corpora, cùm tamen sint intelligentes creaturæ, non saxa, non lapides. *Matth. 22. vers. 30.* In resurrectione neque matrimonium contrahent, nec elocabuntur: sed erunt sicut Angeli DEI. 4. quòd integra legio, 6666, in unico duntaxat corpusculo humano domicilium fixerint, nulloque obice corporeo sibimet impedimento fuerint *Marci 5.*

verſ. 9. Ne quis autem perſuaſum ſibi habeat, in voce legionis ambiguitatem aliquam contineri, ratio redditur, quia multi ſumus, & unius duntaxat corporis prius incolæ poſtmodum integrum porcorum gregem (duorum millium) invadunt, & in mare dant præcipitem *verſ.13.*
p.132 Ubi minimè cogitandum, unum ſub palpebris, ſub natibus unum, tot in oculis, tot in auribus obſeſſi dæmones hæſiſſe, ſed ſicut radii candelarum accenſarum, licet vel mille fuerint in unico conclavi, ſe non impediunt, ita nec dicti Spiritus. Poſſunt enim ſe contrahere, licet non ad puncti ἀδιάστατα, & diffundere, licet non infinitum. Quando verò in corporibus apparuerunt, non fuerunt pars eſſentiæ ipſorum, ſed à DEO conditore (non ipſis Angelis) creata, ut ἐξ ἀναγκαίου cum iisdem uniterentur, donec officio ſuo functi fuerint.

§. 2. *Vſus* aphoriſmi hujus *in didacticis* eſſe poteſt, ut de Angelorum natura plenius informemur, nec cum Anabaptiſtis quibuſdam, quando nobis miniſtrantes oculis tamen corporeis non videmus, prorſus negemus.

§. 3. *In polemicis* uſus eſſe poteſt tum adverſus Calvinianos quosdam, tum etiam Pontificios. Inter Calvinianos *Hieronymus Zanchius parte 1. de ſex dierum operibus c. 3.* ſcribit, *Angelos habere corpora, ſed tamen præſtantioris & ſublimioris ſubſtantiæ, quàm ſint vel aër, vel cœli, qui fabricati ſunt è chaos.* Quam ſententiam etiam *Goclenius in diſquiſitionibus* ſuam facit. Inter Pontificios indulgentiarum venditor *Joh. Tetzelius*, Monachus Dominicanus notatur, quòd inter reliquias ſacras etiam pennas ex alis Angeli Michaëlis in pugna cum Dracone perditas oſtendit. Videatur D. Pfhacherus in homilia ſuper feſtum Michaëlis. Quando verò Patres quidam Angelos vocârunt corpora, vel vocecorporis perſonas intellexerunt, vel ex aliorum ſententia locuti fuerunt, vel ad aſſumta corpora indicem digitum extenderunt, vel in comparatione ad DEUM ſimpliciſſimum ita vocarunt. Ut enim *Thomas de Aquino parte 1. quæſt. 50. art. 1. inquit: Medium comparatum ad unum extremum, videtur eſſe alterum extremum, ſicut tepidum comparatum calido videtur frigidum, & hac ratione dicitur, quòd Angeli DEO comparati ſint materiales & corporei, non quòd in eis ſit aliquid de natura corporea.*

APHORISMUS XI.

Angeli ſunt ſimplices, ſed non ſimpliciſſimi.

SCHOLIUM.

§. 1.

Enſus. Varii ſunt compoſitionis modi, phyſici & metaphyſici. Phyſici ſunt, cùm ex quatuor elementis aliquid componitur, ut corpora miſta, & hæc propriè μίξις i.e. miſtio vocatur, ut & cùm aliquid ex materia & forma componitur, & hæc corporibus phyſicis tam cœleſtibus, quàm ſublunaribus eſt communis. Metaphyſici, cùm ex ſubjecto & accidente; ex actu & potentia; ex eſſe & eſſentia quid componitur. Per τὸ eſſe verò receptivitas eſſentiæ intelligitur. In Angelos non compoſitio phyſica, cùm non ſint corpora, multò minus mixta, ſed Metaphyſica cadit. Quæ ſiquidem in Angelis ſunt virtutes, ſapientia, potentia, juſtitia &c.
p.133

non

non sunt ipsa essentia, sed accidentia: sic in ipsis est potentia passiva, cùm degenerarunt & ex bonis mali facti sunt; ut & receptivitas essentiæ, cum non à semetipsis extiterint, sed ab alio per creationem cœperint. Unde facies suas coram DEO conditore velant, & sibi quasi confusionem facierum tribuunt ad DEUM sanctissimum collati, *Es.6.vers.2.* Et compositionis hujus intuitu ex Theologis quidam ad locum *Jobi cap.4.vers.18. etiam in Angelis suis iniquitatem invenit* respondentes, (ut πᾶν κλισὲν τρεπτὸν) quæ tamen in Angelis confirmatis ex gratia non transfertur in actum, iisdem concedunt. In DEUM autem nullus compositionum harum modus cadit, quippe qui ἀυτοαυτὸς i.e. à semetipso existens omnis potentiæ passivæ & omnium accidentium expers est & manet. Unde simplicissimum Ens & actus purissimus tam à Theologis, quàm Philosophis appellatur.

§.2. *Usus* aphorismi hujus *in didacticis* esse potest, ut Angelorum naturam rectiùs agnoscamus.

§.3. *In polemicis* adversus dictos Calvinianos, qui corporeos & quantos Spiritus hosce faciunt. Cùm autem Scaliger quantitatem intelligibilem Angelis tribuit, quòd Spiritus finiti sint, innuere voluisse videtur.

APHORISMUS XII.

Angeli nec loco circumscribuntur, nec tempore mensurantur. Angeli moventur in tempore non perceptibili.

SCHOLIUM.

§. 1.

Ensus. Definitur locus à Philosopho, quòd sit περιέχοντος πέρας ἀκινήτου πρῶτον i.e. *terminus ambientis* (scil. corporis, ut aër est terminus ambiens volatilium, aqua piscium) *immobilis primò.* Tempus, quòd sit ἀριθμὸς κινήσεως κατὰ πρότερον, καὶ ὕστερον i.e. *numerus* (non numerans, sed numerabilis) *motus* (inprimis uniformis, æqualis & continui, cujusmodi est corporum cœlestium) *secundum prius & posterius.* Angelis neutra dictarum affectionũ competit, cùm nec corpora sint nec quanta, sed tamen iisdem πῶ & ævum, cùm nec infiniti sint, nec æterni, tribui potest. Cùm autem motu perceptibili p.134 moveri dicuntur, talis h.l. qualis cogitationum humanarum est, cùm v.g. moventur ex Europa in Americam, ex sublunaribus in ætherea, intelligitur. Unde συμβολικῶς alæ iisdem in scripturis assignantur.

§. 2. *Usus in didacticis*, rursus est, ut Angelos & corpora physica, quorum affectiones externæ sunt tempus & locus, rectiùs dignoscamus: *in polemicis* adversus quosdam Calvinianos, ut Timplerum, qui l.4. Metaphysicorum c.4. quæst. 6. dicit: Cùm substantia incorporea sit creatura, sequitur, illam quoque esse in loco. Item Goclenium in disquisitionibus Philosophicis p.10. Ego statuo, Angelos in loco esse circumscriptivè. Sic de motu Angelorum jam dictus Timplerus inquit l.4. Metaph. c.4. quæstione 30. Cùm Angeli per se sint in loco, neque semper in uno loco maneant, sed modò in hoc, modò in illo existant, modò ascendant,

dant, modò descendant, modò accedant, modò recedant, necesse est, ut statuamus, Angelos per se localiter moveri.

APHORISMUS XIII.

Angelorum potestas est sub potestate. Item. Angeli, quod possunt, faciunt, DEO permittente: non faciunt, quod possunt, DEO prohibente. Item: Diabolus ligatus est, ne noceat, obambulat, ut exerceat.

SCHOLIUM.

§. 1.

Sensus. Magna quidem est Angelorum potestas, non tamen infinita. Unde, licet Diabolus κοσμοκράτωρ i.e. *Dominus mundi* dicatur, minus tamen παντοκράτωρ i.e. *Dominus omnipotens* in Scripturis audit. Quæ ratio etiam est, quòd vera miracula patrare nequeat. Differunt enim θαύματα i.e. miracula vera & θαυμάσια i.e. mirabilia. In illis cursus naturæ mutatur reverâ, quod nemo facere potest, nisi autor naturæ, sive solus, sive per organa sua faciat: in his etiam apparenter, cùm per magiam naturalem, per præstigias, per agendi celeritatem potius producantur. Sic Magi Ægyptiaci, Diaboli organa, suis præstigiis & incantationibus aliqua per Mosen patrata miracula imitabantur: sed cùm pergendum in iisdem erat, digitum DEI agnoscere cogebantur. *Exod. 8. vers. 19.* Quare soli DEO Psalmographus miracula transcribit, cùm *Psal. 72. vers.* 18. dicit: *Benedictus DOMINUS qui facit miracula magna solus*: & *Psal. 136. v. 4.* *Confitemini DOMINO, qui solus miracula magna facit.* Nec sine permissu DEI Diabolum quidvis, vel etiam quantum aliàs potest per naturam, efficere posse 1. quia creatura est finita, cujus etiam δύναμις & ἐξουσία i.e. potentia & potestas est finita. 2. ex loco *Exod. 8. v. 19.* quòd per organa sua ne quidem pediculos producere potuerit. 3. ex *cap. 1. Jobi versiculis pluribus*, quòd absque permissu divino ne bona quidem, multò minus corpus Jobi affligere potuerit, & ipse munimentum utriusque divinum fateri coactus fuerit. 4. quòd ex obsesso egressurus, ut porcos invadere posset, Salvatoris Christi permissionem petierit, *Marci 5. vers. 12. & 13.* Licet enim ut *leo rugiens obambulare dicatur, quæsiturus quem deveret, 1. Petri 5. vers.* 8. catenâ tamen quasi ligatus tenetur, ne amplius evagetur, quàm divina potestas ipsi permittat, id quod relaxationum gradus apud *Jobum c. 1.* satis ostendunt. p. 135

§. 2. *Usus* aphorismi hujus *in didacticis* esse potest*, partim ne Diaboli & organorum ipsius potestatem nimis timeamus: partim ne securitati fibulam laxemus, aut ocio, Satanæ pulvinari, nimis indulgeamus, sed custodiam Sanctorum Angelorum precibus nostris quotidianis apud DEUM solicitemus: Tuus sanctus Angelus sit mecum, ne Diabolus ullum jus in me reperiat.

§. 3. *In polemicis* adversus eos, qui vel incantationes pro miraculis, in quibus naturæ cursus immutetur, habent, vel miraculis errores, quos pro fidei dogmatibus venditant heterodoxi, confirmari posse, persuasum habent, cùm vel ficta sint (in locis à nobis remotioribus patrata) vel præstigiæ, vel per magiam naturalem.

vel

vel agendi celeritatem producta, usus aphorismi hujus esse potest.

APHORISMUS XIV.

Angeli sunt honorandi, non adorandi.

SCHOLIUM.

§. 1.

Sensus. Ἀγγελοδουλεία nihil frequentius esse in Papatu, non tantùm praxis quotidiana, sed & Litaniæ typis impressæ, & precum formæ nobis relictæ v.g.

Angele, qui meus es Custos, pietate paternâ Metibi commissum serva, defende, guberna, &c.

satis ostendunt. Quantumvis autem inter adorationem & invocationem; inter λατρείαν, δουλείαν & ὑπερδουλείαν distinguant, adorationem DEO, invocatio-
p.136 nem sanctis demortuis & Angelis; sic λατρείαν DEO, δουλείαν sanctis demortuis & Angelis, ὑπερδουλείαν CHRISTO secundùm humanam naturam & Mariæ tribuentes, distinctiones tamen hasce σοφὰ φάρμακα esse, præterire non potest eos, qui vel exigua in studio Theologico confecerunt spacia, vel etiam lectioni profanorum Autorum temporis non nihil dederunt. Cùm cultus primæ tabulæ sit μονοειδὴς, sequitur invocationem cum spe ac fiducia in objectum conjunctam cum adoratione coincidere. Δουλείαν autem & λατρείαν terminos esse permutabiles, tum ex scripturis, tum ex profanis Autoribus Græcis constat. Quod enim δουλεία scil. religiosa, de qua controversia est, etiam DEO competat ex *cap. Matth. 6. vers. 24.* patet, cum Salvator inquit: *Non potestis DEO δουλεύειν servire ac Mammonæ.* Sic Paulus se passim vocat δοῦλον τοῦ Θεοῦ i.e. *Servum DEI.* Valla *super caput 4. Matthæi* λατρεύειν esse tam hominibus, quàm DEO servire, probat, adducens locum ex Xenophonte, ubi maritus dicit, se vitâ paratum esse redimere, ne uxor cuiquam λατρεύῃ i.e. serviat. Et vicissim uxor dicit, se vitâ redimere velle, ne maritus δουλεύῃ i.e. serviat.

§. 2. Probamus aphorismum 1. ex *cap. Matth. 4, vers. 10.* quòd *solus Deus sit adorandus, & ipsi soli religiosè serviendum.* 2. quòd ἀγγελοθρησκεία malè in scripturis audiat, *Coloss. 2. v. 18.* 3. quòd Angeli δουλείαν ejusmodi religiosam detrectent. Cùm enim Johannes in genua provolutus adorare vellet Angelum, hisce verbis prohibetur: *Vide, ne feceris: Conservus tuus sum & fratrum tuorum habentium testimonium JESU, DEUM adora. Apocal. cap. 19. vers. 10.* quod repetitur *Apocal 22. vers. 8. 9.* 4. quòd Angeli non sint omniscii, nec omnipræsentes. Quantumvis enim Pontificii distinguentes inter matutinam & vespertinam Angelorum cognitionem (quâ ipsâ matutinas & vespertinas, acroamaticas & exotericas Aristotelis prælectiones respexisse videntur) Angelos & sanctos in DEO, tanquam in speculo, videre omnia velint, illud tamen speculum plus est, quàm speculum i.e. quovis speculo fragilius, forsan alicujus febricitantis monachi somnium. *Mare vitreum, quod est ante thronum DEI, Apocal. cap. 4. vers. 6.* non est ipse DEUS, sed coram DEO, & rerum mundanarum fragilitatem denotat. Septem Spiritus, à quibus Johannes Ecclesiis Asiaticis gratiam precatur *cap. 1. Apocal. vers. 4.* non septem Archangelos,

ſed Spiritum S. à ſeptem i.e. multivariis ſuis donis ita vocatum denotant. Id quod probatur 1. ex contexta, quia medio loco inter DEUM Patrem & Jeſum Chriſtum, teſtem fidelem, ponitur. 2. ex locis parallelis, quia ſeptem iſti Spiritus
p.137 ſub ſymbolo, in quo Spiritus S. *Actor. 2. verſ. 3.* comparuit, lampadum nimirum ardentium, circa thronum DEI præſentantur *Apocal. 4. verſ. 5.* item quòd alibi, nimirum *Eſa. 11. verſ. 2.* à ſeptem donis Spiritus S. deſcribatur. 3. ab analogia fidei, quòd à ſolo DEO, non à creaturis, gratiam in negocio ſalutis conſequamur, & Angelorum cultus tum in hoc ipſo libro, tum aliis ſcripturæ locis prohibeatur. Intuitu loci hujus Apocalyptici, ut & Prophetici *Eſa.* 11. ſactum ſeptenarium ſcil. donorum (numero certo pro incerto poſito) à Spiritu S. precamur, & ipſe dator hic munerum ſeptiformis munere in hymno Eccleſiaſtico dicitur. Angelus verò, qui fuit adoratus in V.T. non fuit creatus, ſed increatus, ipſe DEI Filius, qui ptopter officium legationis magnæ dicitur Angelus, circumſtantiis textus id ſatis evincentibus.

§. 3. *Uſus* aphoriſmi hujus *in didacticis* eſſe poteſt, ut inter Creatorem & creaturas limitibus accuratis diſtinguamus, ſoliſque DEO debitum adorationis & invocationis cultum tribuamus, prout ipſe dicit *Eſa. 42. v. 8. Ego Dominus, gloriam meam alteri non dabo.*

§. 4. *In polemicis* adverſus Pontificios & Eccleſias orientales, à quibus religionis traducem acceperunt Rutheni, ſanctos demortuos & Angelos religiosè invocantes uſus aphoriſmi hujus eſſe poteſt.

APHORISMUS XV.

Angelorum in bono confirmatio non fuit debitum meriti ſtipendium, ſed gratuitum DEI confirmantis donum.

SCHOLIUM.

§. 1.

Enſus. Omnes Angelos bonos fuiſſe creatos, quosdam autem ex his abuſu liberi arbitrii ſui, vel ex ſuperbia vel quocunque tandem vitio à conditore ſuo deciſſe, patet 1. ex *cap. Geneſ. 1. verſ. 31.* ubi dicitur, *DEUM vidiſſe omnia, quæ fecerat, & valdè fuiſſe bona*, voluntati ſcil. ſuæ congrua & in perfectione debita condita 2. ex *cap. Johan. 8. v 44.* ubi dicitur, *Diabolum in veritate non ſtetiſſe.* Ne quis verò putet, labilem potentiâ proximâ fuiſſe conditum. Salvator ſubjicit ibidem: *Cùm loquitur mendacium, ex propriis loquitur.* 3. ex *2. Petri cap. 2. v. 4. DEUS Angelis, qui peccaverunt, non pepercit, ſed catenis noctis in Tartarum præcipitatos tradidit ſervatos in judicium.* 4. *ex epiſtola Judæ v. 6. DEUS Angelos, qui non ſervaverant ſuam originem, ſed reliquerant ſuum domicilium ad judicium magni diei vinculis æternis ſub caligine ſervavit.* 5. poſſemus hûc etiam citare dictum Salvatoris *Lucæ* 10. *verſ.* 18. *Vidi Satanam, ſicut*
p.138 *fulgur, de cœlo cadentem.* Hûc citant etiam nonnulli locum *Eſa. cap. 14. v. 12. Quomodo de cœlo cecidiſti, Lucifer pulcherrime.* Unde Luciferi nomen Satanæ fuit inditum. Verùm, ſi τὰ ἐν κύκλῳ reſpicimus, ſenſus literalis hujus loci de Rege Aſſyriorum agit: niſi quis ſenſu myſtico ad Satanam hæc applicare velit.

§. 2. Quan-

§. 2. Quantumvis autem subtilius quæri, quàm fructuosiùs inveniri videatur, quæ causa defectus hujus, vel apostasiæ fuerit, non procul tamen à veritatis linea, qui profectam ex superbia volunt, abesse putamus. Non tantùm enim primos Parentes nostros ad idem superbiæ vitium, & per hoc ad apostasiam à DEO allicere voluit, sed ab ipso Salvatore nostro κοσμοκρατορίας obtentu cultum adorationis poposcit. Videatur *Genes. cap. 3. vers. 5.* & *Matth. 4. vers. 9.* Nec paucos à DEO defeciſſe Angelos, sed plures, inde liquet, quòd Angeli Diabolo tribuantur *Matth. 25. vers. 41.* cùm Salvator ad judicium venturus his verbis impios allocuturus dicitur: *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo & Angelis ejus*, Et *Apocal. cap. 12. vers. 7. Draco & Angeli ejus pugnabant cum Michaële*, nec non *vers. 6. Projectus est Draco ille magnus, serpens antiquus, qui vocatur Diabolus & Satanas, qui seducit totum terrarum orbem, & projectus est in terram & Angeli ejus cum illo sunt projecti.* Sic integra legio dæmonum in unico homine sedem fixisse legitur *Marci cap. 5. vers. 9.* Quia verò sæpiùs unius duntaxat mentio sit, cui Angeli (quod vocabulum μέσον apparet) aliis in locis tribuuntur, non tantùm inter Diabolos ordinem esse, sed etiam unum defectionis autorem, qui suum in consortium adduxerit alios, fuisse conspicitur.

§. 3. Cum his non fecerunt alii & dubio procul pars major (quia plures ex partibus Elisæi, quàm adversariorum stare dicuntur *2. Reg. cap. 6. vers. 16.*) quibus in præmium constantiæ gratuitum, non propter meritum, quo DEUM sibi devinxissent, confirmatio in bono cessit. Per hanc confirmationem in bono, quòd potentia labendi remota in actum deducenda non sit vel conservatio in statu beatifico intelligitur: cujusmodi etiam electis aliquando in vita futura obtinget. Unde plus in CHRISTO nos accepisse, quàm in Adamo perdidisse dicitur. Licet autem quoad totidem terminos nihil in scripturis de hac confirmatione legatur, colligi tamen potest 1. ex *Matthæi cap. 18. vers. 10.* quòd Angeli ministrantes parvulis in terris semper videant faciem Patris cœlestis. 2. quòd in oratione Dominica, quam nobis ipse Salvator præscripsit *Matth. 6. vers. 10.* ut voluntas DEI, sicut in cœlo à sanctis Angelis, sic ab hominibus in terra fiat, rogamus. 3. quòd electi futuri dicantur p. 139 ἰσάγγελοι i. e. *Angelis similes* in vita secutura. Sed electorum felicitas tanquam immutabilis & æterna passim describitur in sacris, præsertim *Apoc. cap. 7. vers. 14, 15, 16. Es. cap. 22. vers. 3.* 4. quòd Angeli confirmati dicantur ἐκλεκτοὶ i. e. *1. Tim. 5. vers. 11.* Sicut etiam primi Parentes, si perstitissent in integritate, DEUM sibi promereri non potuissent, nec justi fuissent ex operum dignitate, sed pacto DEI cum iisdem: Sic Angeli permanentes in integritate, suoque Conditori debito servitio assurgentes fecerunt, quod debebant, consequenter suâ constantia DEUM conditorem ad mercedem debitam reddendam devincire sibi non potuerunt. Unde, confirmationem in bono gratuitum DEI fuisse donum consequitur.

§. 4. *Usus* aphorismi hujus *in dida-*

Elicis esse potest, ut de Angelorum creatione, lapsu, & confirmatione in bono pleniùs informemur.

§. 5. *In polemicis* adversus eos, qui DEUM à creaturis suis meritis devinciri posse, ut & qui causam peccatorum & omnis ἀταξίας ultimò ad DEUM referunt, usus aphorismi hujus esse potest.

APHORISMUS XVI.

Diaboli suggerere pravas cogitationes homini possunt, cogere non possunt. Item. Diaboli cogitationes hominum abstrusas scire non possunt.

SCHOLIUM.

§. 1.

Sensus. Ut Diabolus cum suis Angelis à DEO defecit: ita etiam homines in eandem damnationis nassam secum abducere mallet. Specimen invidiæ in Paradiso edidit, cùm infirmius organon aggressus, primam matrem nostram circumvenit, & per hanc etiam primum Parentem seduxit, ut à mandato divino deflectentes se suosque posteros morti temporali ac æternæ, unà cum omnibus prodromis & pedissequis involverint. Antiquum etiamnum agit pravas cogitationes hominibus suggerendo & peccandi occasiones objiciendo. Quò verò scopum sibi præfixum μυριοτεχνίτης ille facilius consequatur, non actiones modò, temperamenta & inclinationes, sed & cogitationes hominum gnaviter observat. Quod tamen cùm dicimus, non hoc volumus, quasi Diabolus sit καρδιογνώστης & renes ac corda scrutetur, id quod soli DEO competit, *Apoc. cap. 2. p. 140 vers. 23.* sed quod per signa externa cogitationes hominum probabiliter colligat. Nec etiam pravas cogitationes suggerendo ad peccandum homines cogit, sed tantùm suadet & incitat, cui etiam per DEI gratiam, si volunt, resistere, pusque precibus ipsi obviam ire possunt.

§. 2. *Usus* aphorismi hujus *in didacticis* esse potest, ne peccatis fibulam laxemus, ne quidem pravis cogitationibus indulgendo, cùm vel ipse Diabolus tales suggesserit, vel à carne suggestas, si forsan per indicia se prodant, gnaviter observet, &, ut effectum suum consequantur, occasiones objiciat. Quin potius oremus, ut DEUS nos custodiat & conservet, ne Diabolus & caro nostra nobis imponant, & nos à rectâ fide vel ad præsumtionem, vel desperationem & alia gravia scelera seducant, sed ut maximè tentationibus ejusmodi solicitemur, nec succumbamus, sed tandem vincamus ac triumphemus.

§. 3. *In polemicis* adversus eos, qui talem doctrinam fovent, ex qua per bonam consequentiam elici potest, DEUM esse causam peccati, usus aphorismi hujus esse potest.

LOCUS

Locus V.

De

PROVIDENTIA.

§. 1.

NOn DEUS, ut architectus, qui, postquam supremam ædificio manum imposuit, discedit, absoluto creationis opere, nullam creaturarum curam amplius agit, sed illas sustentat & gubernat. Dicit quidem impius: *Non videt DOMINUS, nec intelligit DEUS Jacob Psal. 94. vers. 7.* sed citius cor ex pectore, quàm providentiam divinam ex mente sua evelleret. Imò mallet, non esse DEUM, qui rerum humanarum curam agat. Quod itaque notitiâ practicâ ignorare videtur, notitiâ theoreticâ probè scit, imò conscientiæ stimulis actus interdum manus sibi violentas infert. Gentiles certè, licet ex iisdem nonnulli creationem negaverint, ut Aristoteles, gubernationem tamen hujus universi ab aliqua mente summa & intelligente proficisci, τῶν ἀμφεῖν concesserunt. Imò ex hac ipsa gubernatione, corporum præsertim cœlestium, per causas subordinatas gradatim ascendendo, eò tandem devenerunt, ut in unico aliquo supremo Numine, quod sit Ens entium & causa causarum, subsisterent. Ut autem Apostolus *Hebr. 11. v. 3.* dicit: *Fide credimus condita esse secula*: sic etiam de providentia divina pleniùs ex libro scripturæ informamur.

p. 141

§. 2. *Vocis providentia Etymologia cum homonymia.* Ipse terminus προνοίας, vel providentiæ, der Fürsichtigkeit/ (ut habet germanica versio) oder Vorsorge/ quoad totidem literas & apices in *l. Sap cap. 14. vers. 3.* de navis in mari gubernatione, occurrit. Differt à præscientia, quòd hæc sit ἴδιωμα DEI, & sic necessaria: providentia verò ad liberrimam DEI voluntatem referatur. Ut enim DEUS res omnes liberè condidit: sic etiam easdem liberè conservat. Interim tamen providentia præscientiam præsupponit: quam tollere, nihil aliud esset, quàm providentiæ divinæ oculum excludere velle. Providentia vel generalis est, creaturas omnes: vel specialis, Ecclesiam; vel specialissima prædestinatos concernens. Hoc in loco de priori agitur: specialis & specialissima suis locis reservantur.

§. 3. *Definitur* providentia generalis, quòd sit actio DEI creatoris externa, quâ omnia & singulâ, quę sunt in mundo, conservat, & gubernat, &, quæ fiunt, ad finem, quem determinavit, ordinat, ad sui gloriam & electorum salutem. Definitio hæc genere constat & causis.

§. 4. *Genus* est actio externa, quæ quomodo differat ab internis & quæ dicitur ad intra, pluribus in superioribus exposuimus.

§. 5. *Differentia causalis.* Causa efficiens est tota S. S. Trinitas, prout opera deitatis ad extra sunt indivisa.

§. 6. Materia, vel subjectum circa

quod sunt omnia, maxima minima, nullo prorsus excluso. Sic providentia DEI circa volatilia cœli & flores agri versari dicitur *Matth.26.v.6.* sic circa vermes *Jonæ c.4 v.7.* Sic circa pilos, excrementa capitis *Matth.10.v.30.* dicitur occupari. Nec obstat, quod habet Apostolus *1.Cor. 9.v 9. An boves DEO sunt curæ?* Non enim simpliciter, sed *συγκριτικῶς* loquitur, in collatione sc. ad homines, nominatim Ecclesiæ ministros: quòd hi DEO magis sint curæ, quàm bruta. De bobus aberrantibus in viam reducendis utique divina Majestas certis legibus cavit, *Exod 23. v.4.* Quod si circa minora, ut sunt passeculi, providentia divina versatur, cur ipsi majora subtrahemus? Nec quicquam providentiæ divinæ officit, quod *Habacuci 1.v.14.* dicitur: *Homines sibi permittis, ut pisces maris & vermes Domino carentes.* Hæc enim *φαινομένως* duntaxat ita se habent propter *ἀταξίας* varias
p.142 in mundo, quas tamen ad *τάξιν* pro summa sua sapientia DEUS revocare novit. Multo minus gloriæ divinæ, si circa subjecta tam vilia versetur, detrahit. Si enim DEUM non puduit tam abjecta creare: nec iisdem providere DEUM pudebit.

§. 7. Forma providentiæ in tribus potissimum conspicitur, omnium conservatione, gubernatione ac finium determinatione. De conservatione dicit Apostolus *Act.17.v.28. In ipso sumus, vivimus & movemur.* Imò sine influxu divino ne digitulum movere possumus. Sic idem Apostolus de Filio DEI ad *Coloss.1.v.17.* inquit: *In ipso consistunt omnia.* Et ad *Hebr.1.v.3. Verbo potentiæ suæ portat omnia.* De gubernatione Salvator inquit *Johan.1.v.17. Pater meus huc usq; operatur, & ego operor.* Speculum divinæ gubernationis quantum ad vitam humanam vel ex solis Psalmis Davidicis colligi posset. Imò *gressus suos flectere non esse in hominis potestate. Jer.10.v.23.* dicitur. De ordinatione ad finem Josephus Patriarcha post obitum Parentis Jacobi, cùm vindicias metuerent fratres, dicit *Gen.50.v.20. Vos cogitastis malum, sed DEUS convertit in bonum.* Cùm enim fratrem invisum sibi tollere de medio cogitarent, & proinde Mercatoribus Ægyptiacis, ut mancipium aliquod venderent, DEUS hoc quasi fratricidium eum in finem direxit, ut Josephus proximum à Rege locum conscenderet, & fratres ipsos unà cum Parente famis tempore sustentaret. Sic Judæi JESUM Nazarenum per Pilatum cruci affigentes radicitus eum tollere nitebantur, prout etiam resurrectionem ipsi impedire studebant, *Matth.27.v.65.* Sed ex permissione facti hujus redemtionem totius humani generis DEUS elicere novit.

§. 8. Providentiæ divinæ finis ultimus est DEI gloria: intermedius electorum salus. De priori Apostolus loquitur ad *Rom.9.v.17.* ex *c.Exodi 9. In hoc ipsum excitavi te, ut ostenderem in te potentiam & ut annunciaretur nomen meum in tota terra* i.e. stare te feci, nec cum pecudibus percussi, ut resipisceres; sin secus, ut etiam interitus tuus serviat illustrandæ gloriæ meæ. De posteriori *c.8. v.28.* dicit: *Iis, qui diligunt DEUM, omnia cooperantur in bonum.*

APHORISMUS I.

Fatum Christianum est pendens à divino consilio series & ordo causarum.

SCHO-

p.143 SCHOLIUM.

§. 1.

Ensius. Fatum aliud est Stoicum, inevitabilis causarum, maximè primæ, cum effectis connexio, quod fatuum in scholis Theologicis appellatur: aliud Christianum, ut in aphorismo fuit descriptum, contingentiam minimè tollens. Ita enim cum serie ista & ordine causarum comparatum est, ut DEUS creaturas liberas liberos etiam motus exercere sinat. circa initium, medium & finem (ut πέρας est & terminum denotat) peccati providentia divina versatur. Circa initium vel permittendo, vel impediendo: circa medium dirigendo, determinando, vel metas præfigendo: circa finem vel remittendo, vel puniendo. Ubi tenendum, quòd permissioni opponantur impedimenta physica, non moralia, cùm DEUS aliàs semper peccatū impediat obstacula moralia ponendo, cujusmodi sunt leges, comminationes, pœnæ exemplares, licet non semper ponat physica, cujusmodi sunt mutilatio membrorum, morbi, calamitates & alia mala majora, v.g. cùm occulto quodam morbo Regem Ægypti, ne rem habere posset cum uxore Abrahæ, percuteret, *Gen.12.v.17.* cum Palæstinorum excursionibus hostilibus Saulem à persecutione Davidis retraheret *1.Sam. 23.vers.27.*

§. 2. Ut ejusmodi obstaculis physicis DEUS peccatum impediat, ad id non tenetur. Dirigit autem peccatum, vel potius permissionem peccati ad finem interdum alium quàm peccans intendit, ut de parricidio Judæorum, quòd in crucifigendo JESU Nazareno, vero Messia, patrârunt, in explicatione definitionis audivimus: Terminos etiam & metas, quousq, progredi debeat peccatum, præfigit. Sic persecutio Pharaonis, cùm insequeretur Israëlitas, non in desertum, multò minus in terram promissam extendi, sed in mari rubro terminari debebat, *Ex.14.v.28.* Finis peccati est vel remissio, cùm pœnitentia sequitur, ut DOMINUS reatum à peccato Davidis pœnitentis abstulit: vel punitio, cùm sine pœnitentia peccata peccatis cumulantur, ut excidium Hierosolymitanum & terræ sanctæ de vastatio pœna erat Judæorum propter CHRISTI & Apostolorum persecutiones. Cùm itaque consilium DEI decreta συγχωρήσεως i.e. *permissionis* & εὐδοκίας i.e. *beneplaciti* complectatur, quomodo à fato Stoico Christianorum differat, obscurum esse nequit.

§. 3. Doctrinæ nostræ à Reformatis (inprimis Pelargo) ut & Arminianis, qui Supralapsariis autorem accensent, liber Divi Lutheri de servo arbitrio, in quo necessitatem omnium rerum & factorum statuat, objicitur. Verùm iste liber heroico Spiritu conscriptus extra controversiam cum Antagonista suo Erasmo nō est spectandus. Cùm enim Erasmus Ro- p.144
terodamus, in cujus eruditione nimium quantum confidebant Papicolæ, contingentiā urgeret; Lutherus imitatus quosdam Patres & in hac quidem causa (ut & alibi) Augustinum εἰς τὸ ἐναντίον inclinavit & necessitatem utsit. Ubi rursus interphrases duriusculas & sensum, qui satis commodus, distinguendum. Lutherus inspectioni & gubernationi divinæ omnia, sive bona, sive mala subjecit, quod etiam negare velle, nihil aliud esset, quàm de gubernaculo providentiæ suæ DEUM deturbare. Tantum etiam abest, ut Lutherus

therus librum hunc de servo arbitrio retractaverit, ut potius pro uno ex scriptis suis cariſſimis habuerit. Citatur in Form. Conc. art. 2. & ab Huttero vocatur aureus. Declaravit autem inprimis in Commentario suo aureo super Geneſin & quidem c. 26. quòd non tam DEUS abſconditus, quàm revelatus, prout in verbo suo manifeſtavit, ſit adſpiciendus.

§. 4. *Uſus* aphoriſmi hujus *in didacticis* eſſe poteſt, ut divinæ providentiæ nos noſtraq; committamus, nec aliquam ad peccandum neceſſitatem, vel inclinationem DEO ſanctiſſimo adſcribamus.

§. 5. *In polemicis* adverſus Stoicos, & qui tibias easdem cum iis inflant, homines occulto quodam fune ad peccandum à DEO trahi ſtatuentes, Reformatos & Prædeterminatores Dominicanos, uſus aphoriſmi hujus eſſe poteſt.

APHORISMUS II.

DEUS non eſt ocioſus rerum ſpectator, ſed prudens etiam malarum voluntatum ordinator.

SCHOLIUM.

§. 1.

Senſus. Cum DEUM permiſſivè circa peccata verſari dicimus, Reformati ſic dicti permiſſionem ocioſam exinde volunt exſculpere, ac ſi DEUM ocioſum peccatorum ſpectatorem faceremus. Verùm quæ permiſſio reſpectum habet ad antecedentia peccata, cum directione, metarum conſtitutione, punitione, vel remiſſione conjuncta eſt, illa non eſt ocioſa. Noſtra, quam docemus, permiſſio DEI circa peccata talis eſt. Id quod partim aphoriſmi præcedentis evolutio docuit, partim ſequentium docebit. E. Permiſſionem ipſam ſcriptura docet *Pſal.* 81. *v.* 13. *Dimiſi eos ſecundùm cogitationes* p. 145 *cordis ſui: ibunt in adinventionibus ſuis Act.* 14. *v.* 16. Paulus dicit: *DEUM præteritis ſeculis permiſiſſe gentes ambulare vias ſuas. Act* 17. *v.* 30. *quòd ignorantia tempus DEUS diſſimulaverit, vel* (ut participium Græcum ſonat ὑπεριδὼν) *ad illud connixerit. 1. Cor.* 10. *verſ.* 13. *Fidelis eſt DEUS, qui non ſinet vos tentari ſupra id, quod poteſtis.* Addo, quod cum DEI ſanctitate minus conveniret, ſi peccati autorem DEUM ſtatueremus. Ubi notetur verſutia Calvinianorum, qui ſententiæ ſuæ abſurditatem ſubolfacientes, ut aliàs ὅμοια λαλοῦσιν, ἀνόμοια φρονοῦσιν, i. e. *ſimilia loquuntur, diſſimilia ſentiunt*, iisdem permiſſionis, directionis, ordinationis, determinationis vocabulis, ſed ſenſu diverſiſſimo, unà nobiſcum utuntur. Permiſſionis enim voce ſuſtentationem creaturarum; directionis vel ordinationis non eam tantùm, quæ ad finem, ſed etiam ad objectum dirigitur, ac ſi DEUS voluntatem latronis pravam in hoc objectum, viatorem ſc. dirigat & flectat, ut ipſum interficiat; determinationis non ut metarum tantùm præſtitutionem, ſed etiam voluntatis motionem ſignificat, intelligunt.

§. 2. Nos cum Auguſtino DEUM malarum voluntatum non effectorem, ſed ordinatorem dicentes hoc volumus, quòd DEUS malas voluntates ad alium finem, quàm peccator intendit, nominis ſui gloriam & electorum ſalutem ordinet. Sic cùm *Pontius Pilatus*, *Herodes cum gentibus & populis Iſraël convenisse dicuntur Act.* 4. *v.* 27. 28. *ad peragendum,*

qua

quæ manus DEI & consilium ejus prius decreverant, ut fierent, per manum, directionis organum, ordinatio ad finem alium, quàm CHRISTI persecutores intendebant, & per consilium decretum de redimendo genere humano intelligitur. Non enim persecutores isti erant executores decreti divini (quippe qui JESUM Nazarenum fundi[9] deletum cupiebant) sed DEUS pro summâ sapientiâ sua facinus ipsorum sceleratissimum ab æterno prævisum ad finem alium, expiationem sc. peccatorum totius humani generis, ordinabat. Quod enim DEUS prævederit hoc detestandum facinus, *ex c.2.v.23. Actorum* patet, ubi dicitur: *Hunc definito consilio & præscientiâ DEI traditum, cùm accepissetis per manum iniquorum crucifixum interemistis.* Ubi πρόγνωσις ad factum Judæorum sceleratum, βουλὴ ad redemtionis opus referendum. Dixerit aliquis: Si fuisset absque crucifixione CHRISTI, & sic facto Judæorum ac Pilati, redemtionis opus intermissum fuisse. Sed negamus, ac pernegamus, cùm plures fuissent modi, quibus hoc ipsum effectui dari potuisset. V.g. vel ipse DEUS Pater, vel per Angelos CHRISTUM in crucem tollere, vel alio modo, ut in oliveti
p.146 monte fecerat, pœnas humano generi propter peccatum debitas de ipso sumere potuisset.

§. 3. *Usus* aphorismi hujus *in didacticis* esse potest, ut doctrinam de providentia DEI circa malum rectiùs agnoscamus & DEUM sanctissimum ab iniquitatis labe vindicemus.

§. 4. *In polemicis* adversus Calvinianos & Prædeterminatores usus aphorismi esse potest.

APHORISMUS III.

DEUS peccata peccatis punit.

SCHOLIUM.

§. 1.

Sensus. Nihil tritius est hoc aphorismo in scholis Theologicis, sed catachrestica locutio, ne scrupulus de DEO peccati causa injiciatur alicui, est in illo notanda. Sensus genuinus illius est: DEUS peccata peccatorũ permissione punit i.e. peccati antegressi pœna est peccati subsequentis permissio. Unde vocabulum ipsum permissionis pœnam connotare Theologis dicitur, excepto tamen peccato primo, adversus quod DEUS hominem viribus sufficientibus instruxerat. Sic antegressa Davidis peccata DEUS permissione peccatorum aliorum. v.g. seditionis & rebellionis à proprio filio, maledicentiæ à Simei susceptæ puniebat. Quæ tamen cùm David pœnitentiam egisset, castigationes respectu subjecti hujus potiùs erant paternæ, quàm pœnæ propriissimè dictæ. Propter hoc judicium punitivum, quod fit permissione peccatorum, non positis obstaculis physicis, scriptura verbis tam atrocibus uritur, ac si DEUS ipse peccantes ad hoc, vel illud facinus perpetrandum instigâsset. Sic David dicit de cive rebelli ac persecutore Simei: *Dominus jussit eum: maledic Davidi &c. 2.Sam.16.v.10.* Nec tantùm de peccatis alienis, verùm etiam propriis, hoc est intelligendum v.g. quia David cum uxore Uriæ rem habuerat, DEUS propter hoc antegressum peccatum in pœnam permittit, ut in atrociora incideret. Videmus id etiam in Saule Israëlitarum Rege, quẽ postquam semel mandati divini repagula fregisset, DEUS ex peccato uno in aliud incidere permittit.

§. 2. *Usus* aphorismi hujus *in didacticis* est, ut doctrinam de providentia DEI circa malum, inprimis de permissione ac judicio DEI punitivo rectius teneamus.

P. 147 §. 3. *In polemicis* adversus Calvinianos, qui nostram doctrinam de permissione, utpote quæ DEUM ociosum tetrum humanarum spectatorem faciat, tident, usus aphorismi hujus esse potest.

APHORISMUS IV.

Actio displicuit, passio justa fuit.

SCHOLIUM.

§. 1.

Sensus. Quod in evolutione præcedentis aphorismi non nihil attigimus, DEUS peccata peccatis aliorum punire solet. Ubi actio & passio limitibus accuratis sunt distinguenda. Sic actio Simei peccatum erat contra præceptum divinũ, *Ex. 22. v. 28. Principi populi tui ne maledicas*, de quo etiam David Salomonem debitam pœnam sumere jubebat 1. *Reg. 2. v. 9.* sed respectu Davidis propter antegressa peccata verbalis & realis injuria ista passio justa erat. Quorsum respiciens David, & quod agnoscens, DOMINUM hoc Simei jussisse dicit. DEUS nimirum factum hoc impium permittebat, nec obstacula physica ipsi ponebat, sed in pœnã Davidis propter antecedentia delicta dirigebat. Ratione directionis itaq; DEO factum hoc adscribitur. Sic Assur, sic Tamerlanes, sic Turca dicuntur DEI flagella, quibus in peccatores animadvertat, ubi actio, quæ tamen multis peccatis abundabat, & DEO displicebat, permittitur, & in pœnam delinquentium dirigitur. Virgam hanc castigatoriam etiam confringere dicitur *Es. 14. v. 5.*

§. 2. *Usus* aphorismi hujus *in didacticis* esse potest, ut DEI directionem ab hominum impietate discernamus.

§. 3. *In polemicis* adversus Calvinianos qui voluntates hominum impiorum occulto quodam fune ad peccandum à DEO trahi volunt, usus aphorismi hujus esse potest.

APHORISMUS V.

Nunquam DEUS peccatum permitteret, nisi bonum ex ista permissione peccati elicere sciret.

SCHOLIUM.

§. 1.

Sensus. In quo permissio hæc peccati consistat, aliquoties diximus: sed hæc cum delertione, vel sustentatione peccatoris à Calvinianis interdum confundi- p. 148
tur. Ubi aliquoties objicere posset, permissionem etiam voluntati divinæ substerni, consequenter DEUM, dum permittit peccatum, id ipsum velle. Sed præterquam, quòd DEUS obstacula moralia peccato ponendo semper idipsum impediat, inter phrases volenter permittere, & permissivè velle, distinguendum est. DEUS quidem volenter peccatum permittit, sed permissivè non vult. Quod ipsum ut capiatur exactius, objecta, quorsum voluntas & permissio tendat, hîc distinguẽda sunt. Voluntatis objectum est permissionis peccatum. Permissionem quidem DEUS vult, sed non ipsum peccatum, quod prohibet, & ad finem alium, quàm peccans intendit, dirigit. Nunquam autem permitteret, nisi bonum pro summa sua sapientia ex permissione istius peccati elicere sciret. Sic, cùm Rex Babylonis

bylonis idololatriam promovere ſtudebat, DEUS permittebat hoc factū & ex permiſſione illius, ut verus DEUS Iſraëlis magis agnoſceretur, eliciebat, *Dan* 3. *v* 30. Sic Hieroſolymam, ubi focum & ignem ſuum habebat, quatuor Monarchiarum tyrannidi permiſit, ut fama de vera religione latiùs ſpargeretur. Sic Chriſtianos neo-phytos ab Imperatoribus gentilibus variis affici tormentis permiſit, ut ſanguis piorum ſemen eſſet Eccleſiæ. Quando enim gentiles Chriſtianorum conſtantiam in religione ſua videbant, honorificentius de illa ſentire cœperunt: quin etiam, ut eandem amplecterentur, eo ipſo adducebantur. Unde Chriſtiani dixerunt: Quò plures metimur, eò plures efficimur. Quod de malis moralibus diximus, idipſum de inutilibus ratione boni eliciendi quoque venit accipiendum: licet non ratò diverſorum ſubjectorum reſpectu malum morale ac inutile concurrant. Sic in orphanorum ſtatum aliquem vix ex utero matris egreſſum conjici ſinit, quem ſummis honoribus deſtinavit: aut bonis ſuis per varios caſus privari ſinit, quem vel ipſo Cræſo ditiorem effecturus eſt.

§. 2. *Uſus* aphoriſmi hujus *in didacticis* eſt, ut DEI ſanctitatem & bonitatem inde cognoſcamus.

§. 3. *In polemicis* adverſus omnes eos, qui vel directè, vel indirectè hæc attributa divina impetunt, uſus hujus aphoriſmi eſſe poteſt.

APHORISMUS VI.

Non deſerit DEUS hominem, niſi prius ab homine deſeratur.

SCHOLIUM. p.149

§. 1.

Senſus. Et nos & Calviniani deſertionem DEI docemus, ſed cum hoc diſcrimine, quòd nos deſertionis initium nequaquam DEO, ſed hominibus adſcribamus, Calviniani à DEO faciant initiū. Unde rectè deſumimus argumentum cōvincendi Calvinianos, quòd talem doctrinam foveant, ex qua per bonam conſequentiam elici quear, DEUM eſſe cauſam peccati. Ab Aſaria *2.Par.15.v.2.* dicitur: *Si fueritis cum DEO, & quæſieritis eum, invenietur à vobis: ſi vero dereliqueritis eum, derelinquet vos.* Sic poſtquam Saul à mandato divino receſſerat *1.Sam.15.v.16. receſſit ab eo Spiritus DOMINI 1.Sam.16.v.14. Cùm DEUS nihil intermiſerat eorum, quæ facere poſſe videbantur ad culturam vineæ Eſa. 5. verſ.4. collecturus tamen uvas inveniret labruſcas, dixit v.5. & ſeqq. removebo ſepem, ponam eam in deſolationem & mandabo nubibus, ne pluant ſuper eam.* Sunt, qui deſertionem hanc declarant exemplo Medici, qui propter incorrigibilē ægroti *ἀσωτίαν* à curatione deſiſtit, nec tamen mortis cauſa dici poteſt. Quare verba Pauli Burgenſis, quæ ſua faciunt Calviniani (vide Scultetum in idea concionum) ſi toleranda ſunt: Ne deſere me, DOMINE, ne deſeram te, potius de continuatione ac incrementis, quàm de initio deſertionis ex noſtra parte ſunt intelligenda.

§. 2. *Uſus* aphoriſmi hujus *in didacticis*, quàm *polemicis*, qui fuit ſuperioris, eſſe poteſt.

APHORISMUS VII.

DEUS indurat, cùm non emollit: excœcat, cùm non illuminat.

Item: Actiones DEI, quæ speciem mali præ se ferunt, permissivè sunt intelligendæ.

SCHOLIUM.

§. 1.

Sensus. Cum de desertione jam diximus, de quibusdam ipsius speciebus etiam aliquid injiciemus. Per indurationem (quæ πώρωσις etiam i.e. calli obductio dicitur) habitus in peccando acquisitio intelligitur, cùm quis vel propter DEI misericordiam, vel pœnæ intermissionem in peccando fit audaciot. De hac tres potissimum phrases in scripturis leguntur v.g. *cap.7.Ex.v.4. Cor Pharaonis grave est*: c 8.*v.32. Pharao cor suum indurabat*: & c.10.*v.1. DEVS indurat cor Pharaonis & servorum ejus.* Ubi
p.150 verus sensus tum ex *v.32.* ubi dicitur, *Pharao indurabat cor suum*, sicut & antea, tum ex significatione verborum in Piel & Hiphil, quæ permissionem interdum involvunt, tum ex aphorismo altero, quòd actiones DEI speciem mali præ se ferentes permissivè sint intelligendæ, quæ nititur analogiâ fidei, vel uniformi Scripturarum concentu, lucem accipit. Circa indurationem nimirum & DEUS & Pharao (non excluso Satanâ seducente) versatur. Pharao & Satanas effectivè, cùm cor Pharaonis simpliciter grave dicitur, &, cùm, sicut & antea, cor suum offirmâsse dicitur: DEUS permissivè, cùm physica impedimenta non objicit, aut cessare facit: defectivè, quando gratiam suã subtrahit: punitivè, cùm in antegressa delicta sic animadvertit: directivè, cùm ad suam gloriam & populi sui liberationem ordinat. Sunt, qui hanc indurationem ἐνβατικῶς i.e. eventualiter exponunt, quòd nimirum ex miraculis coram Pharaone patratis evenerit, ut cor ipsius induraretur. Quæ sententia, si miracula, non ut occasio præbita; sed contra intentionem patrantis sumta spectentur, cum priori conciliari potest. Idem de excœcatione, quòd DEUS eandem permittat, deserendo non illuminet, & sic antegressa delicta, vel contemtum verbi sui puniat. Id si rectè observetur, locus *Es.c.6. v.10. Excœca oculos hujus populi, ne videant, Joh.12. v.40. Excœcavit oculos eorum, & induravit cor eorum, ne videant oculis, nec intelligant corde.* Causa *2.Thessal 2.v.10.* adducitur: *Pro eo, quòd dilectionem veritatis non receperunt, ut hoc, ut salvi fierent, mittat illis DEVS efficaciam illusionis* (i.e. patietur, ut ab Anti-Christo seducantur *v.9.*) *ut credant mendacio.*

§. 2. *Usus* aphorismi hujus *in didacticis & polemicis* idem, qui superiorum esse potest.

APHORISMUS VIII.

Judicia DEI semper sunt justa, licet nobis non semper sint manifesta. Item: Judicia DEI occulta esse possunt, nunquam tamen injusta.

SCHOLIUM.

§. 1.

Sensus. In providentia DEI circa malum occurrere multa v.gr. cur DEUS peccatum hujus impediat, alterius permittat: cur obstacula validiora ponat huic, quàm alteri: cur gradus desertionum varient: cur huic diutius indulgeat, quàm alteri: cur ἐπ' ἀντοφώρῳ vel flagrãti

crimine

p.151 crimine unus extinguatur, alter, licet vitam aliàs vixerit sceleratissimam, pœnitentiam agat: populus unus assumatur præ altero &c. quæ nobis sint ἄλυτα i.e. *solutu difficilia*, negare non possumus, &, licet à posteriori rationes interdum afferantur, probabiles tamen solummodò sunt, ita, ut digito labellum compescere, cumque Psalte regio ex *Psal.119.v.137.* in hæc erumpere verba necessum habeam[9]: *Justus es, DOMINE, & justum judicium tuum.* Quorsum etiam spectant verba Pauli ad *Rom.11.v.33. O profunditatem divitiarum & sapientiæ & cognitionis DEI: quàm inscrutabilia sunt judicia ejus, & imperveſtigabiles viæ ejus! Quis enim cognovit mentem Domini; aut quis illi fuit à consiliis? aut quis prior dedit illi, & reddetur ei? Quoniam ex illo, & per illum, & in illo sunt omnia: ipsi gloria in secula.* Loco autem hoc abutuntur isti Calviniani, qui absolutum particularitatis decretum ex eo probare conantur, cùm scriptura gratiæ DEI, meriti CHRISTI & vocationis cum intentione salvandi universalitatem luce meridiana clarius passim doceat, & damnationis causam in hominem conjiciat. Nec enim citato loco de salvationis & damnationis ordine Paulus agit, sed de gentilium assumtione, Judæorum verò rejectione, ac si de circumstantiis duntaxat eorum, qui salvantur ac damnantur.

§. 2. *Usus* aphorismi hujus *in dialectis* esse potest, cùm non omnes casus in hac subjecta materia cognoscamus & asseramus.

§. 3. *In polemicis* adversus eos, qui phrasibus & locutionibus ejusmodi utuntur, ex quibus DEUS causa peccati & injustitiæ argui potest.

APHORISMUS IX.

Præscientia DEI non imponit necessitatem eventui. Non quia DEUS præscit, res futuræ sunt: sed quia futuræ sunt, ideò DEUS præscit.

SCHOLIUM.

§. 1.

Socinus. Præscientia de DEO dicitur ἀνθρωποπαθῶς per metaphoram ab hominibus in tempore viventib. desumtam & ad DEUM translatam. Cum enim DEUS vivat extra tempus ἐν τῷ νῦν æternitatis, cui nihil abit præteritum, nihil subit futurum, non tam præscire, quàm scire omnia dicitur. Est autem notitia DEI secundùm nostrum concipiendi modum vel simplex, vel visionis. Simplex, quæ & naturalis dicitur, est, quâ DEUS se- p.152 ipsum & quidditatem rerum possibilium, secundùm illud esse, quod habere possunt, cognoscit. Visionis & libera, qua DEUS in decreto suæ voluntatis res omnes extra se existentes, præteritas sub ratione præteritionis secundùm esse, quod habuerunt, præsentes sub ratione præsentialitatis, secundùm esse, quod habent, & absolutè futuras sub ratione futuritionis secundùm esse, quod absolutè sunt habituræ citra ullam conditionem, sive necessariò, sive contingenter sint eventuræ. Has inter Jesuitæ contra prædeterminatores Dominicanos ponunt scientiam mediam, quæ est futurorum contingentium conditionalium ad cõciliandum liberum arbitrium cum gratia v.g. cùm DEUS evidenter cognoscit hoc objectum: Si ego vocarem Petrum hâc vel illâ vocatione; Si Petro darem hoc, vel illo tempore hanc, vel illam gratiam, converteretur.

Aliis media dicitur, quòd participet necessitatem unius, quatenus hæc scientia non potest non esse in DEO, & libertatem alterius, quatenus ita de facto repræsentat unum objectum, ut aliud objectum repræsentare potuerit, si voluntas creata sub conditione scil. fuisset ad illud determinatura, sicut potuisset ex sua libertate se ad illud determinare. Si media hæc scientia (quam nonnulli ad notitiam simplicem referunt) sumeretur pro scientia futurorum contingentium (quæ fundamentum 1. *Sam. 23. vers. 10. & Matth. 11. v 21.* habet) & inter verum istius usum & abusum distingueretur, admitti posset.

§. 2. Sed Pontificii circa concordiam gratiæ & liberi arbitrii scientiâ istâ mediâ, gratiam vocationis incongruam inde derivantes abutuntur. Mendoza vocat axem, quo volvitur tota machina prædestinationis & cõciliationis libertatis cum divinæ gratiæ efficacia, ad quam sententiam laxis habenis pressisque calcatibus recentiores plerique ferantur, censentes, ex scriptura, Patribus & lumine rationis negari non posse, à DEO certo, infallibiliter & evidenter cognosci hoc objectum: Si ego vocarem Petrum hâc, vel illâ vocatione, converteretur: Qua ratione autem id fiat, sive in decreto, quod habet de conversione Petri, si vocaretur, vel in physica prædeterminatione, si adhiberetur, vel in se ipso quæstio ipsi est valdè diversa. Dominicani contra scientiam hanc mediam graviter invehuntur (cum quibus manus jungunt Contra-Remonstrantes) vocantes eam falsam novitatem, quam nullus ex Patribus antiquis tradat, irrationalem, inutilem, levissimam, improbabilem, figmentum merum ex imaginatio fundamento natum, interprete Navareto T. 1. controversiâ 56. Item inventum Pelagianorum & Semipelagianorum ad salvandam certitudinem divi- p. 153
næ providentiæ, quia necessitatem divini concursus & efficaciæ negaverint.

§. 3. Sed ad probationem & illustrationem aphorismi accedẽtes ante omnia inter actiones bonas & malas distinguimus. Actiones bonas DEUS non tantùm scit, sed etiã efficit, juvat, promovet: malas autem nec efficit, nec juvat, nec promovet. Id quod probamus 1. quia DEUS aliàs contra tot assertiones scripturarum statuentes esset peccatorum causa, quod ipsius scientiam, vel omniscientiam nihil præterit. 2. Si præscientia DEI necessitatem imponeret eventui, sequeretur, DEUM id, quod agit, agere necessariò, nec esse liberum, quoniam & suas actiones prævidet v. gr. se mundum conditurum, qui tamen non necessariò, sed liberè productus fuit. 3. Sequeretur, omnia, quæ præscit DEUS, eventu compleri, quod tamen falsum. Præscivit DEUS, Davidem, si manserit in Ceilam, perventurum in manus hostium 1. *Sam. 23. v. 13.* quod tamen factum non est. Præscivit Christus Tyrios & Sidonios pœnitentiã in sacro & cinere actutos, si tanta, quanta Capernaitæ, vidissent miracula, *Matth. 11. v. 21.* Præscivit idem, se legiones aliquot Angelorum ad sui defensionem impetrare posse, si petere vellet, *Matth. 26. v. 23.* Sed neutrum horum evenit. 4. Quòd præscientia sit actio interna intellectus divini, sed ad actiones DEI liberas voluntatem concurrere, necessum est. Illustratur hoc exemplis Astronomi, qui futuram eclipsin prævidet, & ante aliquod annotum decursum prædicit, nec tamen illius causa est: Medici, qui prævidet ex

det ex facie Hippocratica vel aliis signis ægrotum moriturum, nec tamen mortis causa est: Naucleri futuram tempestatem, aut etiam naufragium prævidentis, quorum tamen causa dici nequit. Ubi tamen ultra tertium comparatio non est extendenda. Astronomus enim, Medicus & Nauclerus, quæ vident eventura, mutare non possunt: Secus cum DEO potentissimo, cui subjecta sunt omnia, comparatum est. Color quidem aliquis adversæ sententiæ accedere posset ex iis scripturæ locis, in quibus de factis impiis eventu necessariò complendis agitur, v.g. *Act.* 1. *vers.* 16. cum Petrus inquit: *Viri fratres, oportuit impleri scripturam hanc, quam prædixit Spiritus S. per os Davidis de Juda, qui Dux comprehendentibus JESUM.* Locus habetur *Psal.* 41. *vers.* 1. Sed in hoc & similibus aliis locis non de nexu necessario præscientiæ divinæ & effectus, sed prædictionis & eventus, quòd ea, quæ prædixerat scriptura, necessariò complenda fuerint eventu. Prædixit
p.154 autem quia prævidit, quia futurum erat.

§. 4. *Usus* aphorismi hujus *in didacticis* esse potest, ut doctrinam de providentia DEI rectiùs agnoscamus, & DEI sanctitatem adversus quasvis objectiones & criminationes vindicemus.

§. 5. *In polemicis* adversus Calvinianos, hæc & similia loca pro suo fato Stoico nobis objicientes, esse potest.

APHORISMUS X.

Præscientia DEI contingentiam non tollit.

SCHOLIUM.

§. 1.

Sensus. Cum ex antecedente fluere videatur hic aphorismus, eundem è vestigio subjungere voluimus. Scrupulus injici potest, quòd infallibilitas divinæ præscientiæ cum rerum contingentia stare nequeat: Si enim res aliter evenirent, quàm DEUS præscivit, sequeretur eundem in sua præscientia falli posse. Sed scrupulum hunc eximimus, 1. quòd contingentia non in eventibus, sed causis eventuum ponenda sit. DEUS autem non tantùm quid futurum prævidet, sed etiam quibus ex causis, an ex necessariis, an contingentibus sit futurum prævidet. Quidam effectus cum suis causis nexum habent necessarium: quidam contingentem & facilè solubilem. Sic terræ interpositionem inter Solem & Lunam eclipsis necessariò sequitur: victoria bellicum apparatum contingenter. DEUS itaque res in causarum incunabulis ita latentes, ut fieri & non fieri possint, infallibiliter quidem præscit, nec tamen contingentia propterea tollitur. 2. quod DEO, qui vivit in perpetuo πᾶν νῦν æternitatis omnia sint præsentissima, & sic infallibiliter sciantur. Interim non tollitur libertas arbitrii quoad homines, vel contingentia quoad res naturales, quarum respectu eventus sunt futuri.

§ 2. *Usus* aphorismi hujus *in didacticis* esse potest, ut & infallibilitatem divinæ præscientiæ & contingentiam asseramus, infallibilitatem etiam præscientiæ & immutabilitatem rerum discernamus. Contingentia non respectu præscientiæ divinæ, sed nexus inter causas & effectus locum habet.

§. 3. *In polemicis* adversus Calvinianos & qui socco eodem cum ipsis saltantes omnia necessitate absoluta fieri contendunt, usus aphorismi hujus esse potest.

APHO-

p.155

APHORISMUS XI.

Providentia DEI fortunam & casum nescit.

SCHOLIUM.

§. 1.

Sensus. Physici, cùm de causis per accidens agunt, de fortuna & casu tractant. Fortunam definiunt, quòd sit causa per accidens in iis, qui cum deliberatione agunt v.g. si quis fodiens agrum, aut vineam invenit thesaurum. Aut cum piscatores Milesii loco piscium ex aquis aureum extrahunt tripodem. Ibi fossio causa per se lapidum extractionis, per accidens inventi thesauri est: hîc piscatio causa per se piscium capiendorum, per accidens aurei tripodis est. Casus definitur causa per accidens in iis, quæ sine deliberatione agunt v.g. si tripus, quando ex loco superiore in inferiorem fertur, ita terram attingit, ut tribus suis innitatur pedibus. Providentiam autem DEI fortunam & casum excludere probamus 1. quia sunt ignorantiæ nostræ vocabula, causas non patentes, sed latentes insinuantia. DEUS autem infallibiliter scit omnia. 2. quia fortuna & casus respectu causæ particularis, non universalis, cujusmodi DEUS est, locum habet. 3. quia stylo Biblico id, quod casuale dicitur respectu hominis, DEO fertur acceptum E.g. cùm quis absque prævia inimicitia sine ulla intentione vel jactu, vel pulsu, vel quacunque ratione proximum interficit, uno verbo, cùm homicidium casuale committitur, *Numer.35.22. Deut.19. vers. 5. & seq.* DEUS hominem interfectum in manus occisoris tradidisse dicitur *Exodi 21. v.13.* Sic occursus bajulantis hydriam & duorum Apostolorum casualis erat, & tamen à CHRISTO prædicitur, *Luc.22.v.10.*

§. 2. *Usus* aphorismi hujus *in didacticis* est, ut doctrinam de omniscientia DEI sartam tectam teneamus.

§. 3. *In polemicis* adversus Epicuri de grege porcos, qui casu ac temerè omnia ferri volunt, cùm ne passerculus de tecto, nec pilus de capite nostro absque voluntate Patris cœlestis (casu physico, non morali) decidat in terram *Matthæi* 10. *vers.29,30.* usus esse potest.

APHORISMUS XII.

Astra regunt homines, sed regit astra DEUS. Item. Astra inclinant, non necessitant.

SCHOLIUM.

p.156

§. 1.

Sensus. Sunt duæ distinctæ disciplinæ Astronomia & Astrologia, quæ tamen turpiter à plurimis confunduntur. Unde factum, ut doctrina Sphærica & Theorica, ex quibus, ut & aliis disciplinis Mathematicis, bonitas, sapientia & potentia DEI luculenter admodum nobis innotescunt, contemtui passim habentur. Astronomia est scientia de motibus corporum cœlestium. Astrologia κοχασμὸς de motuum effectis. Illa certissima est demonstrationibus Mathematicis nixa. Hæc probabilis tantùm experientiæ particulari superstructa. Illa stellarum ortus & occasus, adspectus, phases Lunæ, eclipses luminarium infallibiliter prædicit, hæc fortunas & casus hominum

hominum probabiliter duntaxat præsagit. Illam scriptura commendat *Es.40. v.26. Levate in excelsum oculos vestros, & videte, quis creaverit hæc. Qui numero quasi definitum educit exercitum eorum & omnia suo vocat nomine. Sic Psal.19. vers.1. Cœli dicuntur enarrare gloriam DEI, & opera manuum ejus annunciare firmamentum. Sic Gen.1.v.14. Sic DEUS creâsse dicitur luminaria, ut sint in signa, ut tempora, dies & annos distinguant.*

§. 2. Astrologia divinatrix & *Jer.10. vers.2. Deut.18.v.10.* malè audit. Quia tamē influxus corporum cœlestium simpliciter negari non possunt, inter nimium & minimum viâ media hîc est incedendum. Dicunt aliàs, qui de rebus his accuratiùs scripserunt, superiora & inferiora duplici vinculo, materiali & formali, conjungi. Nec enim contactus virtualis superiorum & inferiorum hîc dirimēdus secundum aureolum istud Philosophi: Ἀνάγκη ὅλον τὸν κόσμον εἶναι συνεχῆ τοῖς ἄνω φοραῖς, καὶ πᾶσαν αὐτοῦ δύναμιν κυβερνᾶσθαι ἐκεῖθεν i.e. *Necessum est, totum hunc mundum continuum esse latioribus superioribus & omnem ipsius vim inde gubernari.* Vinculum materiale sunt lux, calor, frigus, defectus caloris, ex motu provenientia: formale sunt harmonici siderum adspectus, qui non tam effectivè, quàm objectivè (ut tympanum ciet choream) movere dicitur. Quæ de domiciliis, eorum ordine, magnitudine, constellationibus & similibus proferuntur, à mera θέσει sunt hominum. Alii primo domicilio limitem ponunt Horizontem, ut Astrologi plerique, alii τὸ μεσουράνημα, cor cœli & domum decimam, ut Ptolomæus: alii Zodiacum, alii æquatorem, alii verticalem per communem Horizontis & æquatoris sectionem transeuntem dividunt: unde aliter fieri non potest, quàm ut diversa domiciliis diversimodè cadentibus sidera concludantur: alii stellas aliter formant, p.157 ut Thales Milesius loco ursæ canem, (unde cynosuræ nomen supereſt) quidam coronæ austrialis loco Ixionis rotam, Arabes Dromedarios, ciconias, ranas ex stellis fingunt. Exemplo etiam gemellorum, ut Jacobi & Esavi, qui diversissimarum complexionum fuerunt, Astrologia divinatrix confutari potest. Quod si etiam inclinationes aliquæ ad has, vel illas virtutes, ad hæc vel illa vitia deprehendantur, accuratâ tamen vel molli nimis educatione, consuetudine, conversatione, studiis mutati possunt. Esto jam: astra regant homines, quantum ad influxum materialem, luminis, caloris, frigoris & aliarum qualitatum materialium: regant etiam quantum ad influxum formalem inclinando, necessitatem tamen nullam ad hos, vel illos effectus producendos important.

§. 3. *Usus* aphorismi hujus *in didacticis* esse potest, ut de divinationibus ex astris pleniùs, & quidem ex scripturis informemur, nosque providentiæ divinæ totos committamus thema genethliacum potius in *c.26. Levitici*, quàm stellarum positu quærentes.

§. 4. *In polemicis* adversus Astromantas, circa divinationes ex astris prorsus insanientes exemplo Cardani, qui CHRISTI suspendium in crucem ex astris derivavit, & providentiæ divinæ contemtores usus esse potest.

rum, ad quorum tanquam prædictorum *Es.35.v.5.* ἀντοψίαν provocat *Matth.11. vers.5.* reservata erat Messiæ. Quam ob causam Johannes Baptista, licet & ipse vocatione gauderet immediatâ, miracula nulla fecit *Johan.10.v.41.* ut scilicet à suo præcursore Messias facilius dignosceretur. Quia verò propter infideles fiunt miracula, inrer doctrinam novam & renovatam, vel ab erroribus repurgatam distinguendum est. Lutheri doctrina non erat prorsus nova, sed renovata. Verbum enim & Sacramenta in Papatu fuerunt retenta (prout ab iisdem, ut Scriniariis & Bibliothecariis nostris, accepimus) sed traditionibus humanis collutulata. Quare, ut Lutheri doctrina miraculis confirmaretur, opus non fuit: nisi quis θεῖόν τι agnoscere velit in eo, quòd David hîc imbellis fortem Goliathum ipsis Imperatoribus & potentissimis Regibus formidabilem videtit, &, fremat Orbis & Orcus, ipsius doctrina in hunc usq; diem ἀνίκητος καὶ ἀκίνητος persistat. p.159

§. 3. *Usus* aphorismi hujus *in didacticis* est, ut finem miraculorum exactius teneamus, & tempora distinguamus.

§. 4. *In polemicis* adversus Pontificios propter defectum miraculorum Lutheri doctrinam suspectam facientes, cum tamen ipsi (docentibus novellis) nulla faciant, nec facere possint, usus aphorismi hujus esse potest.

APHORISMUS XV.

Vitæ nostræ tempora in DEI manibus sunt consignata. Ut comminationes DEI cum exceptione pœnitentiæ; sic promissiones cum exceptione crucis, divinæque voluntatis sunt accipiendæ.

SCHOLIUM.

§. 1.

SEnsus. *Si ne pilus quidem capitis nostri absq; DEI voluntate in terram cadit. Matth.10.vers.30.* multo magis vita nostra DEO curæ cordique erit. Id quod scriptura passim testatur & 1. quidem *Psal.139.vers.15. Imperfectum meum viderunt oculi tui, & erant omnes dies vitæ meæ in codicillis tuis consignati, priusquam adhuc ullus existeret.* 2. ex *Psal.31.vers.16. Tu es DEVS meus: in manibus tuis tempora mea.* Lutherus: Du bist mein GOTT/meine Zeit stehet in deinen Händen. Cùm enim David quereretur, inimicos insidias struere vitæ suæ: se tamen eo ipso solatur, quòd vita sua, vel vitæ suæ tempora in manibus DEI sint posita. 3. ex *Jobi cap.14.v.6. Numerus mensium ejus* (hominis) *apud te est: fixisti ei ipsi terminum, quem non transilibit.* 4. ex *cap.38.Esa.vers.5.* ubi vitæ regis Hiskiæ DEUS 15. annos adhuc addit. Pestis quidem, quâ Rex iste laborabat, terminum possibilem secum vexisset, ita, ut secundùm causas naturales ipsi fuisset moriendum, sed verus & actualis vitæ terminus, quem DEUS adjectione 15. annorum fixerat, est habendus. 5. ex *cap Johan.8.v.10.* ubi de Salvatore dicitur, quòd inimici ejus non potuerint ipsi esse detrimento, quia nondum venerat hora ipsius. Id quod de omnibus Christianis dici potest. Unde cantilena Germanica: Wenn mein Stündlein vorhanden ist/und ich soll fahren meine Strasse. Sic, cùm Herodes Petrum p.160

captivum ad exemplum Jacobi, finitis feriis, extremo supplicio vellet afficere, nondum venerat hora ipsius, quia DEUS Petrum ipsius manibus hac vice decreverat eripere, *Act. 12. v. 11. 6. ex cap. Joh. 11. v. 9.* cùm propter periculum præsentissimum iter Hierosolymitanum CHRISTO disuaderent discipuli, respondebat: *Nonne duodecim horæ (καιρικαὶ* i.e. temporales, quibus utebantur Judæi, non æquinoctiales, ut nostræ) *diei sunt?* Horæ vivendi sunt: horæ sunt moriendi.

§. 2. Terminus vitæ triplex vulgò statuitur, naturæ, gratiæ & iræ. Alii per *διχοτομίαν* in naturalem & præternaturalem, quorum hic causas involvit morales, & hunc rursus in terminum gratiæ & iræ subdividunt. Naturalis est, qui oritur ex successivo virium deliquio, cujusmodi erat terminus Abrahæ fixus *Gen. 15. v. 15.* quòd satur annorum ex hac vita discedere debeat. Terminus gratiæ & iræ causas, uti jam dictum est, morales, pietatem & impietatem involvunt. De termino gratiæ agitur *Ex. 20. v. 12. Honora patrem tuum & matrem tuam, ut sis longævus super terram.* De termino iræ *Psalmo 55. v. 23. Viri sanguinum & dolosi non dimidiabunt dies vitæ suæ*, sc. respectu termini naturalis, quem potuissent attingere. Sic Psalmographus regius *Psal. 102. v. 25* à DEO petit, *ne auferatur in medio dierum suorum*, sc. ejusdem termini naturalis respectu. Sic divina Majestas minatur domui Sacerdotis Eli, quòd senex in illa non sit futurus *1. Sam. 2. v. 31.* Quod si tamen videamus, homines pios in ætatis flore tolli, prout de filio Jeroboami *1. Reg. 14. v. 13.* dicitur, sublatum fuisse, quòd aliquid boni repertum fuerit in ipso: aut impios fieri senes, aphorismus secundus nobis succurrit: Comminationes divinas cum exceptione pœnitentiæ; promissiones cum exceptione crucis & voluntatis divinæ, quin etiam nostræ salutis, esse intelligendas. Sic de justo *Sapientiæ 4.* dicitur, *quòd cito tollatur, ne malitia corrumpat intellectum ejus v. 12. & quòd ipse placeat DEO v. 14.* De impiis *Rom. 2. v. 4.* An nescis, quòd DEI longanimitas ad pœnitentiam te invitet.

§. 3. *Usus* aphorismi hujus *in didacticis* est, ut de doctrina circa terminum vitæ instituamur.

§. 4. *In polemicis* adversus eos Calvinianos, qui doctrinam suam de absoluto decreto cum hac ipsa de termino vitæ commiscent, usus aphorismi hujus esse potest. P. 161

Locus VI.

De PRÆDESTINATIONE & REPROBATIONE.

§. 1.

CUm specialissima DEI providentia circa electos versatur, non immerito locum hunc cum proximè præcedente connectimus. Vocabulum prædestinationis

tionis est Biblicum & legitur ad *Rom.8.v.29.* in aurea salutis scala, vel catena: *Quos præscivit, hos prædestinavit: quos prædestinavit, hos vocavit: quos vocavit, hos justificavit: quos justificavit, hos glorificavit.* [*Vocis prædestinationis Etymologia & homonymia*] In fontibus est terminus προορίζειν (à πρὸ & ὅρος i.e. terminus) qui significat, aliquē vel aliquid per media deducere ad finem. Non itaque vox prædestinationis se habet ad electionem & reprobationem, ut genus ad species, (quod major pars Calvinianorū statuit) sed electionis est Synonymum, nisi, DEUM impios per media, peccata sc. deducere ad finem, damnationem scilicet, asserere, sicque peccati causam facere velimus. Quare inter ipsos Calvinianos, ut Keckermannus & alii, qui stylum sacrarum literarum & Patrum secuti prædestinationem tantùm electorum faciunt, reperiuntur.

§. 2. *Synonymum* prædestinationis est electio, τὸ ἐκλέγειν, cùm scil. ex magno cœtu, velut ex acervo frumenti, grana separantur. Et hanc segregandi vim particula ἐκ, sive nominaliter, sive participialiter vox electionis sumatur, obtinet. Est autem electio vel ad gratiam vel ad gloriam. Illa civibus omnibus Ecclesiæ communis est: hæc tantùm salvandis. Ibi vox electorum paganis, qui sunt extra Ecclesiam; hîc reprobis opponitur. De illa *Deut.7.v.7.* agitur: *Te Dominus DEUS elegit sibi peculium ex omnibus populis terræ.* De hac *Matth.22.v.14. Multi vocati, pauci electi:* ut & *c.24.v.22. Pro-*
p.162 *pter electos dies abbreviabuntur.* Synonymum etiam est inscriptio in librum vitæ, per quem nōnulli Christum, ut Patres Bergenses, nonnulli catalogum electorū Christi sanguine signatum: nonnulli scientiam DEI de electis infallibilem intelligunt: Ex hoc aliquis deleri dicitur non privativè, quasi qui prius electus fuisset, postmodum evasisset reprobus (cùm electio sit immutabilis) sed negativè, quod in hoc libro locum nunquā invenerit, prout hæc deletio *Ps.69 v.30.* exponitur: *Deleantur ex libro vitæ & cum justis non scribantur.* Ubi differentiam inter librum gratiæ & gloriæ agnoscimus. In librum gratiæ inscribuntur, qui per baptismum Christiani fiunt: in librum gloriæ, qui finaliter in CHRISTUM credunt. Ex iis, qui baptizati sunt, multi damnantur: qui verò finaliter in CHRISTUM credunt, salute non excidunt. Quare catachresticam quandam locutionem agnoscimus, cùm quis per baptismum hoc, vel illo nomine in librum vitæ inscribi dicitur, cùm rectiùs per hoc salutare lavacrum Christo & Ecclesiæ inseri dicatur.

§. 3. *Definitur* prædestinatio, quòd sit decretum voluntatis divinæ cōsequentis, quo DEUS ante jacta mundi fundamenta omnes in CHRISTUM perseveranter credituros ad vitam æternam elegit, in laudem suam, hominisque salutem.

§. 4. *Genus* in hac definitione decretum voluntatis divinæ consequentis ponitur. Est enim voluntas DEI hoc in loco consideranda secundùm Damascenū vel προηγουμένη i.e. antecedens, vel ἑπομένη i.e. consequens. Antecedens respectum habet mediorum, prout ex parte Dei ordinata sunt & offeruntur: Cōsequens, prout ab hominibus ista media vel accipiuntur, vel rejiciuntur. Illa δόσιν DEI, hæc λῆψιν hominum concernit. Illa est misericordiæ, hæc verò justitiæ. Illa est universalis, hæc particularis. Fundamentum hæc di-

ſtinctio partim in ſcripturæ dictis, partim parabolis habet, conditionem utriq; annexam, & illi quidem, ut oblata eſt, huic, ut acceptata, vel rejecta præſupponens aut includens. Dicta ſcripturæ quod attinet, non facilè invenietur aliquod de voluntate antecedente tractans, quod voluntatem conſequentem non ſimul attingat. *Ezech.33.v.11. jurat divina majeſtas per ſeipſam*, cùm ſuperiorem non habeat, *ſe nolle mortem peccatoris, ſed tamen ut convertatur, & vivat. Joh 3.v.16.* Salvator inquit: *Sic DEUS dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam.* Ubi non ſola medii oblatio ſufficit, ſed acceptatio per fidem ex noſtra parte requiritur. Paulus 1.*Tim.2.*
p.163 *v.4. DEUM, ut omnes homines ſalvi fiant, velle*; Sed *ita tamen ut ad agnitionem veritatis perveniant*, aſſerit. Petrus 2 *c.3. v.9. DEUM nolle, ut quis pereat, ſed, ut omnes pœnitentiam agant, velle* dicit. In parabola de cœna magna *Luc.c.14. v.17. Paterfamilias vult, ut omnes invitati fruantur cœnâ paratâ*: cùm verò pleriq; reſpuerent eam *v.24.* hæc in verba erumpit: *Dico vobis, quòd nemo Virorum illorũ, qui vocati ſunt, guſtabit cœnam meam.* Idem judiciũ de nuptiis regiis *Matt.22.* deſcriptis ferendum. Decretum de prædeſtinatione noſtra non ſecundum antecedentiẽ, ſed cõſequentem voluntatem factum eſt, hunc in modum: Hic, vel ille perſeverãter credit in Filium. E. Fruetur æternâ ſalute.

§.5. *Differentia cauſalis.* Generi adduntur cauſæ, efficiens, materia circa quam, vel objectum, forma & finis.

§.6. *Efficiens* eſt DEUS, â qua Filius quidem non excluditur, ſed tamen in loco ad *Eph.1.v.4. elegit nos in CHRISTO*, ut cauſa meritoria cõſiderãtur, ita, ut ſenſus non ſit, DEUS Pater nos elegit in CHRISTO, prout in & per CHRISTUM, Filium ſuum unigenitum omnia condidit & adhuc conſervat, ſed DEUM in CHRISTO mediatore & redemtore per fidem ὄντας i.e. exiſtentes ad æternam vitam ordinaſſe.

§.7. *Materia circa quam*, vel *objectum* ſunt omnes in CHRISTUM perſeveranter credituri. Ubi tenendum, non ad ſpeciem duntaxat, ſed ipſa individua electionem extendi. Sunt enim in hoc decreto & πρόθεσις i.e. propoſitum DEI, & πρόγνωσις, i.e. præſcientia DEI, quæ reſpicit individua, cognoſcenda. Propoſitum eſt, DEUM omnes in CHRISTUM finaliter credentes ſalvare velle, & juxta normam hanc electio ad ſalutem facta eſt. Πρόγνωσις autem ad individua ſe huic ordini divinitus conſtituto ſubjicientia reſpectum habet. V.g. Petrus, Johannes, Chriſtophorus perſeveranter in CHRISTUM credit. E. Petrus, Johannes, Chriſtophorus æternùm ſalvabitur. De hoc propoſito dicitur ad *Eph.1.v.5. Qui prædeſtinavit nos, ut adoptaret in Filios per JESUM CHRISTUM in ſeſe, juxta beneplacitum voluntatis ſuæ. Et v.11. Per ipſum in ſortem aſciti ſumus, prædeſtinati ſecundum propoſitum ipſius.* Quando verò *Rom.9.v.11.* propoſitum ſecundum electionem ordine verſo, dicitur, particula κατ' ſecundùm ſpecificativè ſumitur, & objectum innuit, circa quod propoſitum iſtud verſatur. Fidem non quamlibet, ſed perſeverantem, aut finalem hîc requiri patet, ex *Matth.24.v.13. Qui perſeveraverit uſq; ad finem, ſalvus erit.* Et *Apoc. c.2 v.10. Eſto fidelis uſq; ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.* Nec non *Apoc 3. v 11. Ecce, venio citò: tene, quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam.*

§.8. *Forma*

p.164 §. 8. *Forma* prædestinationis est immutabilis eorum, qui finaliter credunt in CHRISTUM, ad æternam salutem ordinatio, & ad finem per media deductio.

§. 9. *Finis ultimus* est DEI gloria: intermedius hominum salus. Ex dictis quid reprobatio sit, facilè colligere licet, nempe decretum voluntatis divinæ consequentis de condemnandis omnibus finaliter impœnitentibus & in CHRISTUM nõ credentibus. Finaliter dico, quia totaliter etiam electus, exemplo Petri, à fide deficere, nec non ad tempus in impœnitentia vivere potest. Uberiorem loci declarationem aphorismi suppeditabunt.

APHORISMUS I.

Οὐ δεῖ τὰ κεκρυμμένα ζητεῖν, ὰ δὲ τὰ δεδηλωμένα παντελῶς ἀγνοεῖν i. e. Quæ DEUS occultavit, non sunt scrutanda: quæ verò de se revelavit, non sunt negligenda.

SCHOLIUM.

§. 1.

Ensus. Fuerunt olim Augustini ac Prosperi temporibus, in seculo currente quinto, ex Episcopis Gallis, qui, glisscentibus de prædestinatione controversiis, doctrinam hanc silentio tegendam esse, censuerunt. Quibus ex Calvinianis hodie plerique succinunt. Ratio subesse videtur, quòd quæstiones circa hunc articulum controversiæ vel summa voluntatis divinæ mysteria, vel inscrutabilia judicia, vel modum divinæ virtutis (ut Marpurgenses in colloquio Cassellano locuti fuêre) in homine occultum concernant, ac insuper plurimi homines sine talium cognitione serventur & servari possint. Quibus addi possunt, quòd hac doctrinâ vel ad præsumtionem, vel ad desperationem homines adducantur. Verùm, si quæstiones principales à minus principalibus, ut & principia, ex quibus doctrina de prædestinatione venit haurienda, distinguamus, non videmus, quid obster, quò minus de hoc articulo scriptis & vivâ voce, nec pro cathedra tantùm scholastica, sed & Ecclesiastica tractemus. Quæstiones de dispensatione mediorum, de modo agendi occulto in hominibus, quãdo fides accenditur, & similes ab arcana DEI voluntate dependentes v.g. cur DEus hunc hominem horâ primâ, illum horâ ultimâ convertat; cur huic homini det media sufficientia, illi det abundantia; cur p.165 DEus hunc aliàs pium visum flagrãti crimine sinat extingui, alteri sceleratissimo pœnitentiæ spacium concedat; cur huic cœtui verbum suum subtrahat, illi concedat, quæstiones, inquam, tales in hoc articulo sunt minus principales: quæ verò de prædestinationis ordine ac subjectis, in CHRISTUM nimirum finaliter credentibus, de gratia DEI, CHRISTI merito & vocatione cum intentione salvandi universalibus agunt, principales.

§. 2. Principium, ex quo desumenda est hæc doctrina, non sunt humanæ rationis speculationes; non DEUS absconditus, sed in verbo suo revelatus; non doctrina legis, sed Evangelii, viam consequendi salutem nobis ostendens. Quod verò vel ad præsumtionem, vel ad desperationem hæc doctrina ducat, ex hypothesibus Calvinianorum de absoluto decreto electionis & reprobationis fluit. Cùm itaque scriptura omne DEI consilium de salute nostra manifestans *Act. 20. v. 27.* nobis hîc præeat, deque prædestinatione nos informet, cur revelationem hanc,

hanc, præsertim cùm solatio haut exiguo cedat, negligamus.

§. 3. *Usus* aphorismi hujus *in didacticis* est, ne speculationibus cœcæ rationis extra verbi scrutinium fræna laxemus, sed quid, & quantum DEUS de hoc articulo nos scire voluit, ex verbo Evangelii grati quæramus, & ad consolationem nostram usurpemus. Scriptura siquidem inter alios fines πρὸς παράκλησιν i. e. ad consolationem nostram data est, *Rom.* 15. *v.* 4. Qua de re sic loquitur Christianæ Concordiæ Formula, loco undecimo in antithesi: *Credimus & sentimus, quando doctrina de electione DEI ad vitam æternam eo modo proponatur, ut perturbatæ piæ mentes consolationem nullam capere queant: sed potius per eam in animi angustias, aut desperationem conjiciuntur: aut impœnitentes in dissoluta sua vita confirmentur, quòd articulus hic non ad normam verbi & voluntatis DEI, sed juxta humanæ rationis judicium, & quidem impulsu Satanæ malè ac perperam tractetur. Quæcunq; enim scripta sunt, inquit Apostolus, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam & consolationem scripturarum spem habeamus. Rejicimus itaq; omnes, quos jam enumerabimus, errores.*

1. Quòd DEUS nolit, ut omnes homines pœnitentiam agant, & Evangelio credant.

2. Quando DEUS nos ad se vocat, quod hoc non seriò velit, ut omnes homines ad ipsum veniant.

3. Quòd nolit DEUS, ut omnes salventur, sed quòd quidam non ratione peccatorum suorum, verùm solo DEI consilio, p.166 *proposito & voluntate ad exitium destinati sint, ut prorsus salutem consequi non possint.*

4. Quòd non solâ DEI misericordiâ & sanctissimum CHRISTI meritum, sed etiam in nobis ipsis aliqua causa electionis divinæ, cujus causæ ratione DEUS nos ad vitam æternam elegerit.

Hæc dogmata omninò falsa sunt, horrenda & blasphema: iisq; piis mentibus omnis prorsus consolatio eripitur, quam ex Evangelio & Sacramentorum usu capere deberent, & idcirco in Ecclesia DEI nequaquam sunt ferenda.

§. 5. *In polemicis* adversus sic dictos Reformatos & omnes absolutarios usus aphorismi hujus esse potest.

APHORISMUS II.

De prædestinatione nostra potius à posteriori, quàm priori judicium ferendum.

SCHOLIUM.

§. 1.

Sensus. Per judicium, quod à priori fertur, intelligimus, cùm quis extra verbi scrutinium, ab abscondito DEO considerationis hujus facit initium. Germani dicunt, der von eer geheimen Rath-Stube GOttes den Anfang macht. Tales Græcis ἀκροβατοῦντες & μετεωρίζοντες, Germanis Gemsenstelger / Fladergeister vocantur. Per judicium à posteriori, quod ex scripturis de justificatione ac salute nostra, ut in tempore nobis obtingunt, fertur, hîc intelligitur. *Ecquis enim DEI consiliarius fuit? Es.* 40 *v.* 13. *Rom.* 11. *v.* 34. nec aliter DEUS nos justificat & salvat in tempore, quàm ab æterno justificare ac salvare nos constituit, nisi harmoniam inter decretum & executionem turbare velimus. Turbant hanc Calviniani, cùm inter voluntatem signi & beneplaciti

citi distinguunt, DEOq; dolum bonum ut Beza locutus fuit, in causa tam ardua salutem nostram concernente tribuunt. Quantumvis hâc distinctione inter voluntatem signi & beneplaciti etiam Scholastici utantur, à se invicem tamen discrepantes non faciunt ac Calviniani, cùm statuunt, DEUM voluntate signi simulare, ac si omnes homines velit esse salvos, cùm tamẽ maximam eorum partem odio absoluto ab æterna salute rejecerit. Nec enim aliter possunt, salvis suis hypothesibus, præsertim cùm salutis media Sacramenta baptismum & cœnam dispensant.

§. 2. Sed, ut intra oleas revertamur, quòd isti justificentur & salventur, qui p.167 perseveranter credunt in CHRISTUM, scriptura locis propemodum infinitis asserit. E. Tales etiam ab æterno DEUS salvare constituit i.e. ad æternam salutem elegit. Scire vis DEI voluntatem de tua salute, audi CHRISTUM, quem Pater *cœlestis, Matth.17. v.5. audiendum tibi commendavit Joh.6.v.40. Hæc est voluntas ejus, qui misit me, ut omnis qui videt Filium & credit in eum, habeat vitam æternam.* Scholastici pleriqúe harmoniam istam concedunt, sed quia hominem operibus coram DEO justificari contra scripturam Solis radiis clariorem contendunt, homines propter prævisa bona opera prædestinati volunt.

§. 3. *Usus* aphorismi hujus *in didacticis* est, ut solidiorem in theoria & praxi de prædestinatione nostra cognitionem habeamus.

§. 4. *In polemicis* adversus Calvinianos & omnes eos, qui à priori absolutum electionis & reprobationis decretum cudunt, & in tantas difficultates postmodũ, ex quibus non nisi fallaciis & impostutis expedite sese possunt, contra scripturas sese conjiciunt, usus aphorismi hujus esse potest.

APHORISMUS III.

Prædestinatio mediorum antecedit prædestinationẽ hominum.

SCHOLIUM.

§. 1.

Sensus. Quantumvis in DEO non dentur intervalla temporum, ita, ut horum respectu aliquid antecedat, aliquid consequatur, in signo tamen rationis, vel ordine naturæ aliquid esse prius, aliquid posterius, negari nequit. Sic decretum de creandis hominibus decretum de repatandis iisdem antecedit. Quia verò prædestinationis terminus à Patribus & de mediis & de personis adhibetur, nec parum à dissentientibus Reformatis hic ordo turbetur, aphorismum hunc proponere voluimus. Nostra sententia est, quòd DEUS decretum de mittendo Filio & de salutis organis, quibus fides accenditur, fovetur & obsignatur, prius fecerit, quàm de Petro, Johãne, Christophoro ad æternam salutem eligendo. Calviniani verò, qui se Reformatos vocant, hunc ordinem invertunt, & DEUM prius ex communi perditionis massa prius aliquos & quidem pauciſſimos absolutè ad vitam æternam elegisse, postmodum de mediis, quibus ad salutem adducendi sint, tam acquisitionis, quàm applicationis, CHRISTO mediatore, vocatione cũ intentione salvan- p168 di cogitasse, præposterè volunt. Hâc ratione CHRISTUM executioni tantùm substernunt, & proinde nostram doctrinam, quòd CHRISTUS ingrediatur electionis decretũ, πυξ καὶ λαξ impugnãnt.

Digitized by Google

§. 2. Non quidem imus inficiàs decretum de reparando genere humano antecedere prædestinationem mediorum, verùm cùm reparatio & electio differant, nec æquè latè pateant, permutatim hîc accipi non possunt. Omnes homines, quorum non pauci, sed multi sunt, per CHRISTUM sunt redemti, &, ut fruantur hoc beneficio, vocati. *sed pauci electi Matth.22.v.14.* Nostram sententiam inprimis distinctio inter voluntatem antecedentem & consequentem in scripturis fundatissima stabilit. Voluntas antecedens respectum habet mediorum, prout ex parte DEI ordinata sunt & offeruntur: Consequens, prout ex parte hominis accipiuntur, vel rejiciuntur: & secundùm voluntatem factum est electionis decretum. Id quod parabolæ de cœna magna Lucæ 14. & nuptiis regiis Matth.22. magis adhuc statuminant. Antequam enim invirati veniant & dapibus istis fruantur, altilia prius mactantur & omnia parantur. Quod si etiam in CHRISTO sumus eligendi, decretum de CHRISTO Mediatore mittendo præcedat, necessum est. Sed sumus in CHRISTO eligendi *Eph.1.v.4.* Sic fides ex auditu *Rom.10.v.14.* Quomodo verò audient absque prædicatione? quomodo prædicabunt nisi missi fuerint? Præsertim doctrina de universalismo nec non electio facta ἐκ πεποιθότων & ordinem hunc Reformatorum & totam de absoluto decreto doctrinam funditus prosternit. Lutherus cùm in præfatione super epistolam ad Romanos fidem ex prædestinatione fluere dicit, prædestinationem mediorum intelligit.

§. 3. *Usus* aphorismi hujus *in didacticis* est, ut gratiæ & misericordiæ divinæ gloria magis amplificetur, & ad consolationem nostram doctrina de prædestinatione magis vergat.

§. 4. *In polemicis* adversus Calvinianos ordinem hunc turbantes, particularitatem mediorum propugnantes & CHRISTUM fundamentum electionis executioni substernentes usus aphorismi hujus esse potest.

APHORISMUS IV.

Prædestinatio multis est causa surgendi, nemini labendi.

SCHOLIUM. p.169

§. 1.

Ensius. Sententiam eorum, qui prædestinationem instar generis ad electionem & reprobationem se habere statuũt, hic aphorismus prosternit. Cùm enim vox προορίζειν ad finem per media deducere significet, si reprobationi etiam cõmunis esset, DEUM per peccata tanquam media nos ad damnationem perducere, sequeretur. Id quod auditu & horridum est & blasphemum. Unde miris modis se torquent, ex hoc laqueo collum expediturι, ne DEUM peccati causam statuere cogantur. Quare præter ipsam vocis significationem & absurda, quæ fluunt ex hac doctrina, DEUM homines ad damnationem prædestinare, urgemus 1. perpetuum scripturæ usum, quæ de personis verba faciens prædestinationis vocabulo nuspiam utatur, nisi de electis. 2. quòd in aurea salutis catena prædestinati & glorificati, mediantibus licet aliis ansulis, connectantur: *Quos prædestinavit, hos etiam glorificavit, Rom.8.v.20.* 3. consensum Patrum eorum, qui controversiis Pelagianis exercitati, nimis appropinquârunt interdum absoluto decreto, & tamen agnoverunt,

agnoverunt, vocem prædestinationis de reprobatione nusquam sumi, ut Augustinus, Prosper, Fulgentius, & alii. 4. πρὸς ἄνθρωπον quorundam ex Reformatis ὁμοψηφίαν, ut Petri Martyris in locis p. 828. Reprobatos idcircò à prædestinatis separo, quòd scripturæ homines damnandos nusquam, quod ego sciam, appellent prædestinatos. Quam sententiam ego, etsi rationem non viderem, tamen sequendam esse arbitrarer, propter autoritatem DEI. Sic etiam statuit Keckermannus in Systemate Theologico p. 296. & Zanchius Tomo I. Miscellaneorum p. 237. qui videantur. Ut nimirum DEUS omnium salutem vult: ita de mediis salutis hominibus prospicit, & per hæc ipsa, nisi morosè reluctentur, ad salutem eosdem perducit. Ut verò vel interposito juramento testatur, se mortem hominis nolle: ita nec per media eundem ad damnationem perducit.

§. 2. *Usus* aphorismi hujus *in didacticis* esse potest, ut DEI misericordia & sanctitas asseratur.

§. 3. *In polemicis* adversus plerosque Reformatos, qui reprobationem prædestinationis speciem faciunt, usus aphorismi hujus esse potest.

APHORISMUS V.

Electio universalis est σιδηρόξυλον.

p. 170

SCHOLIUM.

§. 1.

Sensus. Electionem universalem adhuc ante conscriptam Formulam Concordiæ quidam etiam orthodoxi Theologi, ut B. Brentius, statuerunt D. Stephano Gerlachio in Disputatione prima de Huberianismo, sed citra scandalum docuerunt, dubio procul electionis vocem pro dilectione καταχρηστικῶς accipientes. Unde Formula Concordiæ art. 11. inquit, dissimiles phrases à Doctoribus Ecclesiarum nostrarum circa hunc articulum usurpatas fuisse, sed absque scandalo. Dubium enim nullum, si B. Brentius, aut alii Theologi de ἀκυρολογίᾳ fuissent admoniti, quin linguam correxissent, mentem retinuissent. Post conscriptam autem Concordiæ Formulam, cùm jam Ecclesia sententiam suam super hoc articulo interposuisset, Samuel Huberus Bernas Helvetius, S.S. Theol. Professor in Academia Wittebergensi controversiam de universali omnium hominum ad æternam salutem electione refricavit, & quidem ita, ut nullam prorsus catachresin agnosceret, sed in significatu propriissimo universum genus humanum ad æternam salutem electum, regeneratum, justificatum assereret. Cùm autem concederet, maximam hominum partem damnari, electionem quoque mutabilem concedere fuit coactus. Unde τοὺς ἐκλεκτοὺς i.e. electos nominaliter, & τοὺς ἐκλελεγμένους i.e. electos participialiter distinxit. Hos omnes ad salutem electos, illos actu salvandos esse statuit. Nullum etiam reprobationis decretum à DEO factum, sed discrimen inter actu salvandos & damnandos ab hominibus fieri, dixit. Distinctionem inter voluntatem DEI antecedentem & consequentem; nec non sententiam nostram de prævisa fide penitus abjecit, & absolutum decretum, sed universale, statuit. Quia verò propter assertam particularitatem Theologus nostros de Calvinianismo suspectos facere voluit, quid inter nostram & Calvinia-

nam particularitatem interſit, paucis monſtrabimus.

§. 2. Calviniani particularitatis cauſam in DEO quærunt, ac ſi abſoluto prorſus odio maximam humani generis partem abjeciſſet, &, ut quidam loquuntur, ad æternam damnationem prædeſtinâſſet: Noſtri particularitatis cauſam in hominibus quærunt ſecundùm iſtud *Oſea cap.13.v.9. Ex te perditio tua, Iſrael, ex me tantum Salus.* Calviniani pauciſſimos homines abſolutè ad vitam æternam electos volunt: noſtri conditionatè, ſi perſeveranter in CHRISTUM credide-
p.171 rint. Secundùm noſtram doctrinam omnes homines fuiſſent eligibiles ad ſalutem propter media univerſalia, quibus ſalvari potuiſſent, ſed quod non omnes actu ſint electi, culpa in homines redundat. Σιδηρόξυλον i.e. lignum ferreum, vel ἀντικείμενον ἐν προσκειμένῳ i.e. contradictionem in adjecto vox ipſa electionis arguit. Quæ ſiquidem ex aliquo cœtu eliguntur, totum & univerſum cœtum non conſtituunt. In Græco particula ἐκ vim ſegregandi habet, ſive nominaliter, ſive participialiter vox accipiatur, id quod etiam, ſi uſum Biblicum ſpectamus, exemplis ſtabilitur, ut *Marci 13.v 20.* cùm Salvator inquit: Διὰ τοὺς ἐκλεκτοὺς, οὓς ἐξελέξατο i.e. *propter electos, quos elegit.* 2. Salvatoris expreſſa vox eſt *Matth. 22. v.14. Multi vocati, pauci electi.* 3. Idem aſſerit Paulus *1. Cor.1.v.26. & ſeqq. Videtis vocationem veſtram, Fratres, quod non multi ſapientes ſecundùm carnem, non multi claro genere nati: verùm quæ ſtulta ſunt ſecundùm mundum, eligit DEUS, ut pudefaceret ſapientes: & quæ ſunt infirma coram mundo, elegit DEUS, ut pudefaceret ea, quæ ſunt robuſta: & quæ contemta ſunt in mundo, DEUS elegit, ne gloriaretur ulla caro coram ipſo.* 4. Salvator *Joh.17.v.9. mundum* i.e. colluviem hominum impiorum (quando enim vox mundi particulariter ſumitur, in malam partem pro impiis ſumitur) *& eos, quos dedit ſibi Pater* i.e. electos opponit. 5. Qui ſunt electi, ſalvantur, *Rom.8.v.20. Quos prædeſtinavit, hos glorificavit.* Sed non omnes homines ſalvantur, ut inprimis ex deſcriptione proceſſus extremi judicii apparet *Matth.25.v.pluribus.*

§. 3. *Uſus* aphoriſmi hujus *in didacticis* eſſe poteſt, ut ſanam & ſcripturis conſonam de prædeſtinatione doctrinam rectiùs teneamus, nec vana ſpe nos ipſos lactemus, ac ſi eſſemus ex electorum numero, quicquid egerimus. Solatium, quod unâ manu porrigi videtur per hanc doctrinam de univerſali electione, alterâ rurſus adimitur. Cui enim ſolatio eſt doctrina, quæ maximam electorum partem damnari, ſtatuit?

§. 4. *In polemicis* adverſus Huberum & omnes ſequaces uſus aphoriſmi hujus eſſe poteſt. Nodos nimirum à Calvinianis nexos non ſolvere, ſed non icta ſcindere voluerunt.

APHORISMUS VI.

Præſcientiam ex electionis decreto tollere, nihil aliud eſt, quàm oculum huic decreto excludere.

SCHOLIUM.

§. 1.

SEnſus. Abſolutarios, ſive ſint univerſales, ut Huberus, ſive particulares, ut Calviniani, præſcientiam ex hoc decreto

p.172 creto tollere, constat: sed contra S. literas. Apostolus enim *Roman. 8. vers. 20.* dicit: *Quos præscivit, hos prædestinavit.* Petrus in *epistola sua priore cap. 1. vers. 2.* vocat electos κατὰ πρόγνωσιν i.e. secundum præscientiam. *Roman. 11. vers. 2. DEUS populum suum, quem præscivit, non abjecisse dicitur. 2. Timoth. 2. vers. 19. Dominus nosse dicitur, qui sint sui. Johan. 6. vers. 65. Christus ab initio nosse dicitur, qui non essent credentes.* Ex falsis autem hypothesibus procedit doctrina, quæ πρόγνωσιν excludit. Hæc nimirum facit, ut ad ipsa individua prædestinatio pertingat. Nuda enim πρόθεσις i.e. propositum divinæ voluntatis, secundum quod tanquam normam facta est electio, DEUM perseveranter in CHRISTUM credituros ad æternam salutem eligere velle, tantum ad speciem pertingit. Quando verò πρόγνωσις accedit, Petrus, Johannes, Heinricus &c. perseveranter crediturus est, vel credit, ad individua electio porrigitur.

§. 2. *Usus* aphorismi hujus *in didacticis* est, ut integram de prædestinatione doctrinam, eamque scripturis consonam teneamus.

§. 3. *In polemicis* adversus dictos absolutarios esse potest.

APHORISMUS VII.

Electi in faciem, reprobi retrorsum cadunt.

SCHOLIUM.

§. 1.

Sensus. Obscuriuscula sunt hæc verba *Gregorii M.* quæ tanquam emphatica in hac doctrina nostris usurpantur. Videtur autem ad lusum Romanorum, in quo jactus pronus felix, supinus infelix habebatur, & electionis immutabilitatem respicere, ita, ut sensus sit, electos infallibiliter & immutabiliter salvari. Electionis mutabilitatem præter absolutarios universales etiam Sociniani, &, qui cum his faciunt, Remonstrantes quidam docent. Electionem enim duplicem, incompletam & completam faciunt. Incompletam τῶν πρόσκαιρων i.e. eorum, qui credunt ad tempus, postmodum autem deficiunt; completam eorum, qui salutem actu consequuntur, esse dicunt. Sed scriptura tales πρόσκαιρους nullibi vocat electos, sed immutabilitatem prædestinationis passim asserit, utpote 1. *Matth. 24. v. 24. ut in errorem inducantur, si fieri posset, electi.* Unde propositio fluit: Impossibile est electos in errorem, finaliter sc. ut salute propterea excidant, induci. 2. *Rom. 8. v. 20. Quos prædestinavit, hos etiam glorificavit.* 3. *Rom. 11. v. 7. electio* (i.e. electi) *assecuta est.* 4. quibus & infallibilis DEI præscientia suffragatur. Deletionem ex libro vitæ quod attinet, non illa est privativa, sed negativa. Per p.173 privativam deletio prius inscriptorum, quasi qui prius electi fuissent, evadere possint reprobi; per negativam eorum, qui locum in libro vitæ i.e. inter electos nunquam invenerunt, intelligitur. In hac posteriori significatione scripturæ deletionem ex libro vitæ exponit *Ps. 69. v. 30. Deleantur* (Judæi persecutores Christi) *ex libro vitæ, & cum justis non scribantur,* i.e. in libro vitæ locum nunquam inveniant. Sunt etiam, qui deletionem illam, de declaratione non electionis exponunt.

nunt. Quod *Paulus 1. Cor. 9. v. 27.* se fieri posse ἀδόκιμον i.e. reprobum, vel rejiculum scribit, id, facem prælucente contextu, de functionibus officii non incommodè intelligitur. Si quis tamen ad præsens negocium extendere velit, inter Paulum, ut hominem, &, ut electum distinguere posset. Ut homo quidem, cùm ante finem vitæ, conditione nondum in actu positâ, non absolutè, sed conditionatè certus quis sit de sua electione (de communibus probandi mediis loquor, non revelatione singulari) non autem ut electus ἀδόκιμος fieri potest. Cùm Christus *Johan. 17. v. 12.* inquit: *Quos dedisti mihi, ego custodivi, & nemo ex eis periit, nisi Filius illè perditus*, electionem ad gloriam cum electione ad Apostolatum conjungit. De hac *Joh. 6. v. 70.* inquit: *Nonne ego vos duodecim elegi, & unus ex vobis Diabolus est.*

§. 2. *Usus* aphorismi hujus *in didacticis* esse potest, ut de prædestinatione nostrâ certi simus.

§. 3. *In polemicis* adversus absolutarios universales, Socinianos, &, qui tibias easdem cum his sociis inflant, Remonstrantes, usus ejusdem esse potest.

APHORISMUS VIII.

Sobria de prædestinatione meditatio incipit à vulneribus CHRISTI.

SCHOLIUM.

§. 1.

Ensius. Hoc dicto *Staupitius* Augustinianorum Generalis Luthetum de prædestinatione tentatum erexit. Sensus est, si quis de prædestinatione cogitare velit, quòd non à Prytanéo cœlesti, vel à DEO abscondito, sed à CHRISTI vulneribus incipiendum sit. Ex his enim σπλάγχνα ἐλέους i. e. *viscera misericordiæ divinæ Luc. 1. v. 78.* tanquam per fenestram transparent, secundum versiculum:

Viscera conspicimus Patris per vulnera Nati.

Non autem hæc vulnera, ut salutem nobis acquisiverunt, sed, ut per fidem applicantur, consideranda sunt in hoc aphorismo. Priore modo Huberius consideravit, dicto ad *Ephes. 1. v. 4. elegit nos in CHRISTO*, Redemtore universali, velut ἀκρογωνιαίῳ abusus: nos posteriore. Calviniani & CHRISTUM universalem Redemtorem, si volunt θέσιν ἀφορισμοῦ, & electionis decretum ingredi negant. Nos, misso jam errore priore, CHRISTUM hoc decretum ingredi, quin & electionis fundamentum esse probamus 1. ex classico dicto jam allegato ex *Ephes. 1. vers. 4. Elegit nos in CHRISTO* sc. ὄντας i.e. existentes per fidem. Est enim CHRISTI meritum extra nos positum, quando autem manu fidei apprehenditur, fit nostrum. Ut enim medicamentum, licet aliàs pretiosissimum, nisi ægrotis applicetur, nihil operatur: ità CHRISTI meritum τιμιώτατον, nisi per fidem fiat nostrum, nihil nobis prodest. 2. ex harmonia inter decretum & executionem, quia scil. propter CHRISTUM justificamur & salvamur in tempore. Non aliter autem ab æterno DEUS nos salvare constituit, aliter exequitur in tempore. 3. ex benedictione, quam per CHRISTUM consequimur, *Ephes. 1. v. 2.* 4. quia DEUS, ut placatus p. 174

nos

nos elegit ad vitam æternam. Sed per CHRISTUM, qui dedit semetipsum ἀντίλυτρον pro nobis 1.*Timoth.2.vers.6.* placatus fuit E. 5. quia fides decretum hoc electionis ingreditur, ut suo loco probabimus. Sed fides nihil aliud est, quàm fiducia in Christi meritum, imò cum CHRISTI merito concrescit.

§. 2. *Vsus* aphorismi hujus *in didacticis* esse potest, ut solidam de prædestinatione nostri doctrinam nobis comparemus & CHRISTO fundamento nixi adversus ignita Satanæ tela consistere valeamus, non declinantes neq; ad dextram præsumtionis, neque ad sinistram desperationis.

§. 3. *In polemicis* advetsus Calvinianos Christum ex hoc decreto excludentes usus esse potest.

APHORISMUS IX.

Non plus potuit Catholicus destructor, quàm Catholicus reparator.

SCHOLIUM.

§. 1.

Ensius. Cum Reformati sic dicti non parùm torquentur oppositione Ada-
p.175 mi primi & secundi, quòd hic per illum amissa recuperaverit, & per illum perditos restituerit, eò confugiunt, ut particularitatem suam asserturi plus esse dicant adstruere, quàm destruere; recuperare, quàm perdere. Licet enim CHRISTUS aliquos duntaxat redemerit, Adamus omnes perdiderit, CHRISTUM tamen Adamo posse opponi, contendunt. In *oratione Heidelbergæ habita* & inter miscellanea catechetica Paræi extante *p.91.* sic respondetur ad argumentum, quod desumtum ex *1.Cor.15. v.22. Ex Apostolo deniq; objiciunt, scil. Lutherani, Omnes in CHRISTO vivificari, quemadmodum omnes in Adamo moriuntur. Atqui, si absolutè omnes in CHRISTO vivificari dicunt, scriptura & experientia eos refutabit. Hoc ergò dicit Apostolus, CHRISTUM omnibus suis conferre vitam, sicut Adam omnibus suis contulit mortem. Et ille quidem per gratiam, quod majus est, hic per naturalem propagationem, quod facilius.* Hactenus responsio. Sed objecta æquè latè patentia, scriptura contendit invicem non hoc tantùm in loco Solis radio scripto, verùm etiam aliis, ut *Matth.18.v.11. Venit Filius hominis salvare quod perierat.* Et *Rom.5.vers.18.& 19. Sicut per unius delictum malum in omnes homines ad condemnationem: ita per unius satisfactionem bonum in omnes homines ad justificationem vitæ sc. venit. Sicut enim per unius inobedientiam peccatores constituti fuimus multi: ita per obedientiam unius justi constituuntur multi.* Ubi non in modo destructionis, vel reparationis dissimilitudo, sed objectis æquè latè patentibus comparatio instituitur. Nec vocabulum multus ipsis patrocinatur, cùm statim in vers. antecedente per omnes, non paucos, exponatur. Non autem multi, sed pauci electi sunt, *Matth.22.v.14.*

§. 2. Universalitatem electorum tantùm à CHRISTO reparatam esse destruunt 1. illa scripturæ loca, quæ CHRISTUM pro omnibus simpliciter hominibus mortuum dicunt, ita, ut etiam quædam illorum objectum ad æquatum & principale conjungant. V. G. *Esa.53.vers.6. DEVS conjecit in ipsum*

(servum

(servum scil. justum) *omnium nostrûm peccata. Rom.* 8. *vers.* 32. *DEVS ne quidem proprio Filio pepercit, sed illum pro nobis omnibus tradidit. Hebr.* 2. *v* 9. *mortem gustavit pro omnibus.* 1. *Tim.* 4. *vers.*10. *Est Salvator omnium hominum, maximè fidelium.* 2. illa loca, in quibus pro toto mundo passus & peccata mundi portâsse dicitur, ut 1. *Johan.* 2 *v.* 2. *Christus est, ἱλασμὸς non pro nostris tantùm, sed pro totius mundi peccatis. Joh.* 1. *v.* 29. *est agnus DEI, qui portat peccata mundi.* 2. *Cor.* 5. *v.*19. *DEVS reconciliavit sibi mundum.* Jam vox mundi nunquam pro electis in scriptura sumitur, ut Pastor accipi vult vocabulum *κόσμε Joh.* 3. *v* 16. & hâc mendâ commaculavit suum Lexicon, sed quando particulariter sumitur, electis potius opponitur, & impiorum colluviem denotat, ut inprimis videre licet *Joh.* 17. *v. pluribus.* 3. illa loca, in quibus pro pereuntibus dicitur passus, ut *Roman.* 14. *v.*15. *Nec cibo tuo perdas illum, pro quo CHRISTVS mortuus est.* 1. *Cor* 8 *vers.*11. *Peribit frater infirmus in scientia tua, propter quem CHRISTVS mortuus est.* 2. *Petri* 2. *v.*1. *Pseudo-doctores clam inducent sectas pernitiosas, etiam Dominum, qui mercatus est eos, abnegantes, celerem sibimet ipsis interitum accersentes. Hebr.* 6. *v.*6. *A veritate salvificâ prolapsi, quos per pœnitentiam renovari ἀδύνατον, de novo sibi crucifigent Filium. Hebr.* 10. *v.* 29. dicitur de apostatis ejusmodi, *quòd Filium DEI proculcent & sanguinem Testamenti, per quem fuerant sanctificati, ceu rem profanam habeant, & Spiritum gratiæ contumeliis afficiant.* 4. illa loca, in quibus propter incredulitatem homines damnari dicuntur, ut *Johan.* 3. *v.*18. *Qui credit in eum, non condemnatur: qui verò non credat, jam condemnatus est, quia non credit in nomen unigeniti Filii DEI. Marci* 16. *v.*16. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur.* Jam verò si Christi meritum nihil ad reprobos (qui sunt tales, non quatenus sunt tales) pertineret, quomodo propter incredulitatem damnari possent.

p.176

§. 2. *Usus* aphorismi hujus *in didacticis* esse potest, ut fides nostra per hanc doctrinam stabiliatur, nec propter particularitatem subsumtio & applicatio impediatur. Ut enim ex Logicis notum est: A non distributo ad distributum non valet consequentia: CHRISTUS pro paucissimis quibusdam hominibus absolutè ad vitam æternam electis mortuus est. Ego sum homo. E. pro me quoq; mortuus est. Hoc nihil aliud esset, quàm manum in ollam sortilegam immittere. Imò verendum, ne sacrilegium committatur & judicium aggravetur, si quis ad se pertrahere velit, quod non sibi, sed aliis destinatum est.

§. 4. *In polemicis* adversus absolutarios particulares, Calvinianos usus aphorismi hujus esse potest.

APHORISMUS X.

Gratia DEI vocantis per tempora & populos est variata, nemini absoluto decreto denegata.

SCHOLIUM.

§. 1.

Sensus. Cum dicta scripturæ de gratia DEI & vocatione universali cum intentione salvandi magnam cognationem habeant, & unum per alterum stabiliatur, de utris-

p.177

Digitized by Google

de utrisque junctim hîc agemus. Gratiam universalem probant scripturæ loca *Ezech.33. v.11. Vivo ego : Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat.* Ubi DEUS per semetipsum (cùm superiorem non habeat *Hebr.6.v.16.*) jurat, se nolle mortem (non temporalem tamẽ, sed inprimis spiritualem, quæ pœnitentiâ potest interverti) peccatoris. *Johan.3. vers. 16. Sic DEUS dilexit mundum* (quem in pios & impios, lucem amantes & odio habentes dividit) *ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Rom.11. v.32. Conclusit DEUS omnes sub incredulitatem*, naturalem, non ascititiam, *ut omnium misereretur. 1.Timot.2.v.4. DEUS vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis pervenire. 2.Petri 3.v.9. DEUS non vult τινας* i.e. *aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam se recipere.* Ubi notetur, quòd singula generum hîc satis apertè ponantur, & ipsum medium ad salutem perveniendi ostendatur. De vocatione universali agitur *Matth.28.v 19. Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, Filii & Spiritus S. Marci 16.v 15. Ite in mundum universum, & prædicate Evangelium omni creaturæ.* Ubi rursus epitheton ἅπας mundo additum contra particularitatem observetur. *Act.17.v.30. DEUS præcipit omnibus omninò hominibus, ut pœnitentiam agant, eò quòd statuit diem, in quo judicaturus est orbem terrarum per virum, per quem decrevit.* Ubi adverbium παντα χῦ τοῖς πᾶσιν additum particularitatem fortiùs excludit, & pœnitentia omnibus, qui sistendi sunt coram tribunali CHRISTI judicis præcipitur, annexâ promissione, quòd DEUS fidem oblaturus sit omnibus. *Coloss.1.v.28.* dicit Apostolus, *quòd missus sit, ut omnem hominem perfectum sistat in CHRISTO JESV, prout Evangelium prædicatum asserit omni creaturæ, quæ sub cœlo est vers.23.*

§.2. Cùm autem gratia DEI vocantis per tempora & populos variata dicitur, ad illustres vocationes & populum Judaicum, quem DEUS peculium sibi legerat ante Messiam exhibitum, ut & illos populos, qui tabulas matrimoniales Novi Testamenti temporibus obtinuerunt, habetur respectus. Vocavit DEUS omnes homines in Adamo, fonte ac radice totius humani generis, quem etiam, ut successores ejus, Patres antediluvianos, tantâ longævitate donavit, ut in multas generationes posteros viderent & ita πρωτευαγγέλιον commodius propagare possent. Vocavit omnes post cataclysmum universalem in Noacho, instauratore generis humani, qui vixit ad Abrahami usque tempora, & hominum ex lumbis suis egressorum multa millia vidit. Vocavit omnes per Filium à mortuis resuscitatum, cùm Apostolos in festo Pentecostes variarum linguarum cognitione instructos per totum terrarum orbem e- p.178
misit, ut prædicarent Evangelium omni creaturæ. Ad Ecclesiam etiam gentes alias per sui cognitionem ex libro naturæ, quæ manuductio esse debebat ad ulteriorem DEI cognitionem; per præconium Ecclesiæ, quam in umbilico τῆς οἰκουμένης posuerat; per famam ingentium miraculorum invitaverat. Quando verò tempus ignorantiæ DEUS dissimulasse *Actor.17. v.31.* aut gentes vias suas ambulare siviſſe, dicitur, *Act.14. v.16.* illustriori tantum

vocationi opponitur. Quia ſtatim citato loco ſubjicitur, quòd DEUS ſe non reliquit ἀμάρτυρον. Utut etiam DEUS poſteritatem Jacobi elegerat, ut eſſet λαὸς περιούσιος i.e. populus ipſius peculiaris, alias tamen gentes ab hujus conſortio non excluſit, ſed potius certis legibus de iisdem recipiendis & benè tractandis cavit. Unde proſelyti duplices vel portæ, vel juſtitiæ dabantur. Hi legibus Judæorum ceremonialibus & forenſibus obtemperabant, inter Judæos habitabant, circumcidebantur, matrimonia cum Judæis contrahebant, ad eſum agni paſchalis admittebantur. Illi tantum DEUM Iſraëlis colebant, & interdum, feſtis præſertim ſolenniorib⁹ Hieroſolymam accedebant, exemplo *Eunuchi Reginæ Candaces Act.* 8. *v.*27. & alio nomine Viri δ' λαβεῖς i.e. *religioſi* Gottsfürchtige Männer dicebantur, *Act.*2.*v.*5.

§. 3. *Vſus* aphoriſmi hujus *in didacticis* eſſe poteſt, ut de gratia DEI & intentione ſalutis noſtræ certiores ſimus, nec in applicatione facilè turbemur.

§ 4. *In polemicis* adverſus Calvinianos particularem gratiam & vocationem absque intentione ſalvandi fingentes uſus aphoriſmi hujus eſſe poteſt.

APHORISMUS XI.

Dolus bonus in DEUM non cadit.

SCHOLIUM.

§. 1.

Enſus. Hunc *Beza* DEO tribuit, reſponſione 2. ad colloquium Montisbelgardenſe p.174. Nec aliter cum ſuis complicibus poteſt, quamdiu decretum prædeſtinationis abſolutum & particulare tuetur. Cùm enim integris Eccleſiis ſalutis media, verbum & Sacramenta, offeruntur & tamen pauciſſimis abſolutâ quâdam gratiâ deſtinantur, infantes omnium Eccleſiæ civium baptizantur, panis euchariſticus & vinum euchariſticum omnibus indifferenter hoſpitibus porriguntur, verbum gratiæ, quotquot loca ſacra frequentant, auditoribus omnibus annunciatur, & tamen pauciſſimis cum intentione ſalvandi, quî fieri aliter poteſt, quàm ut hypocriſin DEO ſanctiſſimo p. 179 tribuant. Quæ ratio eſt, quòd abſolutionem privatam & individualem gratiæ ac meriti CHRISTI applicationem, per Eccleſiæ miniſtrum factam, cujusmodi fieri ſolet in Euchariſtiæ diſpenſatione, ſuis ex Eccleſiis eliminent, deq; ſalute infantum baptizatorum, ſi forſan ſint ex numero abſolutè rejectorum, dubitent. Ex hoc quoque fonte diſtinctio inter voluntatem ſigni & beneplaciti diſcrepantem invicem, cum nimirum DEUS aliud præ ſe fert, aliud intra ſe fert, foris omnũ ſalutem ſimulat, intus abſoluto prorſus odio maximam hominum partẽ abjecit, fluit. Hanc autem blaſphemam diſtinctionem, ut à Calvinianis proponitur, deſtruunt 1. locus, qui habetur 1. *Sam.* 15. *v.*29. *Triumphator in Iſraël non fallit.* 2. locus *Pſ.*5.*v.*7. *DEVS odio habet labia doloſa: interficit mendaces.* 3. *Pſ.*115. *v.*11. *Solus DEVS verax, omnis homo mendax.* 4. epiſtolæ *Tit.*c.1.*v.*2. ubi *DEVS* ἀψευδὴς i.e. *verax* neminem fallens, dicitur, & alia loca ſcripturæ plura, quæ de veracitate DEI nos inſtruunt. Nec dolus bonus eſſet, ſi quis alium circumveniẽs optima quævis promittat, nihilominus exitium ipſius æternum quærat.

§. 2. *Vſus*

§. 2. *Vſus* aphoriſmi hujus *in didacticis* eſſe poteſt, ut DEI veracitate doctrinam de ſalute noſtra magis ſtabiliamus.

§. 3. *In polemicis* adverſus Calvinianos, DEUM ex ingenio ſuo in re tam ardua, ſalutem noſtram concernente, bilinguem & fallacem ſtatuētes, uſus aphoriſmi hujus eſſe poteſt.

APHORISMUS XII.

Non propter fidem, ſed per fidem ad æternam ſalutem eligimur.

SCHOLIUM.

§. 1.

Senſus. Non abſolutè, ſed intuitu fidei perſeverantis, aut finalis electionē factam fuiſſe, probatur 1. ex *2. Theſſ. 2. v. 13. Elegit vos DEVS ab initio ad ſalutem per fidem veritatis.* 2. ex *Iacobi 2. v. 15. DEVS elegit pauperes hujus mundi, divites fide, ut regni ſint heredes.* 3. ex *c. 1. epiſtolæ* ad *Tit. v. 1.* ubi Paulus *Apoſtolum* ſe vocat *electorum ſecundum fidem.* 4. quòd *electio facta fuerit ſecundum propoſitum & beneplacitum divinæ voluntatis, Eph. 1. v. 5.* Sed propoſitum & beneplacitum illud divinæ voluntatis includit fidem. *Hæc enim eſt voluntas DEI Patris,* inquit Salvator *Ioh. 6. v. 40. ut omnis, qui videt Filium & credit in eum, habeat vitam æternam.* 5. ex harmonia decreti & executionis. Non aliter enim DEUS in tempore ſalvat, quàm ab æterno ſalvare conſtituit. Unde juſtificatio in tempore ſpeculum prædeſtinationis vocatur.

p. 180

§. 2. Verùm enimverò juſtificationem & ſalutem noſtram fidei eſſe adſcribendam, vel ex infinitis ſcripturæ locis probari poſſet. Non autem requiritur fides πρόσκαιρος, ad tempus duntaxat durans, ſed finalis vel perſeverans uſque ad finem vitæ. Id quod Salvator nos docet *Matth. 24. v. 13. Qui perſeveraverit uſq; ad finem, ſalvus erit.* Et *c. 2. Apoc. v. 10. Eſto fidelis uſq; ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.* Succinit autor *epiſtolæ ad Hebr. c. 10. v. 36. Perſeverantiâ vobis opus eſt.* Ubi notetur, vocabulum ὑπομονῆς ab ὑπομένειν ductum vel generaliter, vel ſpecialiter ſumi. Si generaliter, denotat perſeverantiam, ſi ſpecialiter patientiam, vel perſeverantiam in cruce. Quod h. l. generaliter ſumatur, τὰ ἐν κύκλῳ i. e. antecedentia & conſequentia textus manifeſtant. Antecedentia, quia v. 35. abjectioni fiduciæ, v. 38. τῇ ὑποστολῇ i. e. ſubductioni opponitur. Propter hanc perſeverantiam Chriſtianos ab initio, ſed à fine deſcribi, vulgò dicitur.

§. 3. Sed ut accedamus ad id, quod in aphoriſmo præcipuum eſt, etiamſi fides decretum electionis ingrediatur, non tamen fides conſideratur, ac ſi tam digna eſſet in ſe, cujus gratiâ DEUS ad vitam æternam nos eligeret) cùm ſæpiùs admodum languida deprehendatur, nec nos DEUM eligamus, ſed DEUS nos, *Ioh. 15. v. 16.*) ſed ut manus tantùm eſt & ὄργανον ἀντιληπτικὸν CHRISTI meritum apprehendens. Sicut enim conſideratur in articulo de juſtificatione; ſic etiam in articulo de prædeſtinatione. Sed in illo non conſideratur ut meritum (cùm extra Chriſti meritum τιμιώτατον coram tribunali divino nullum aliud valeat) verùm ut medium ſaltem juſtitiam Chriſti apprehendens. E. etiam in hoc. Hinc in ſcripturis nuſpiam dicitur, quòd διὰ πίστιν i. e. propter fidem, ſed vel διὰ πίστεως i. e. per fidem, vel ἐκ πίστεως i. e. ex fide, vel ἐν τῇ πίστει i. e. in fide, vel τῇ πίστει i. e. fide juſti-

ficemur ac ſalvemur. Si qui ex noſtratibus hâc phraſi, quod ob fidem DEUS ad vitam æternam nos elegerit (cujus meminit B. Ægidius Hunnius in præfat. ſuper locum de prædeſtinatione) fuerunt uſi, particulam ob in lata ſignificatione acceperunt.

§. 4. *Vſus* aphotiſmi hujus *in didacticis* eſſe poteſt, ut de fide unâ copulativâ, h.l. harmonia inter decretum & executionem ſimus certiores, & ita doctrinam noſtram magis ſtabilianus.

p.181 §. 5. *In polemicis*, ut abjectionibus Calvinianorum & Huberianorum fortiùs occurrete, nec non ab objecto Pelagianiſmo nos magis purgare queamus.

APHORISMUS XIII.

Prædeſtinatio non eſt prævisorum operum meritum, ſed DEI eligentis gratuitum donum.

SCHOLIUM.

§. 1.

Senſus. Pontificios circa doctrinam de prædeſtinatione ſcindi, & quosdam Scholaſticorum veterem crambem recoquere, quòd ſcil. propter prævisa bona opera prædeſtinati ſimus ad ſalutem, quosdam abſolutum decretum amplecti, & ex illo gratiam congruam derivare, notius eſt, quàm ut filo prolixiore diducendum ſit impræſentiarum. Priores in hoc nobiſcum conveniunt, quòd harmoniam inter decretum & executionem unâ nobiſcum agnoſcant, & quia propter bona opera nos juſtificari & ſalvari docent, propter hæc ipſa prævisa nos etiam ab æterno ad ſalutem prædeſtinari volunt. Sed his occinendum tritum iſtud: Subrue ſultutam, patitur ſtructura ruinam. Si fuerit evictum, quòd propter bona opera nõ juſtificemur & ſalvemur, corruit etiam, quòd propter eadem prævisa ſimus ad æternam ſalutem prædeſtinati. Sed Solſtitiali Solis radio clariùs in ſactis literis ſcriptum extat, quòd propter bona opera nemo ſalvetur. Proptiam ſedem hujus doctrinæ quod concernit, caput nimirum 1. *ad Epheſios v.* 6. in laudem glorioſæ gratiæ DEI prædeſtinatio facta dicitur. *verſ.* 7. *nos redemtionem habere per ſanguinem ipſius, remiſſionem peccatorum juxta divitias gratiæ ſuæ*, dicitur. Imò ipſa fides, ut jam in evolutione aphoriſmi proximi audivimus, non venit in cenſum bonorum operum, ſive meritorum. Quam ob cauſam etiam paſſim operibus opponitur, ut *Rom. 3. verſ.* 28. *Concludimus igitur fide juſtificari hominem abſq; operibus legis.* Et ad *Gal. 2. v.* 16. *Scimus non juſtificari hominem ex operibus legis, niſi per fidem JESU CHRISTI & nos in Chriſtum credidimus, ut juſtificaremur ex fide CHRISTI & non ex operibus legis, propterea quòd non juſtificabitur ex operibus legis omnis caro.*

§. 2. *Vſus* aphotiſmi hujus *in didacticis* eſt, ut doctrinam noſtram de prædeſtinatione ſimul ac juſtificatione certiùs teneamus, gratiam DEI nobis hîc p.182 exhibitam magis agnoſcamus & deprædicemus, nec non utriq; rectius ſtudeam⁹.

§. 3. *In polemicis* adverſus Pontificios hujus ſententiæ de prævisis bonis operib. tenaces uſus aphotiſmi eſſe poteſt.

APHORISMUS XIV.

Dat Genitor, meruit Natus, firmatq; ſalutem
Spiritus, una fides hæc capit, acta probant.

SCHO-

SCHOLIUM.

§. 1.

Enſius. Cum prædeſtinatio noſtra divinæ gratiæ in ſolidum ſit adſcribenda, τάξιν cauſarum & ſignorum ſalutis ſparſim in ſuperioribus traditam hic uno faſce comprehendere voluimus. Ita enim voluntatem DEI antecedentem & conſequentem de ſalutis mediis agentes & hûc maximè pertinentes plenius agnoſcemus. Fons ſalutis noſtræ eſt gratia divinæ commiſerationis, quâ, lapſo genere humano ſalutem amiſſam fieri voluit recuperabilem. Eſt autem miſeria noſtra non cauſa, ſed occaſio tantùm ſalutis, & hæc quidem non à nobis præbita, ſed à DEO ſumta. Vocatur aliàs gratia generalis, quæ λύτρον procurat, & ſpecialis, vel complacentiæ, quæ CHRISTI merito nititur, contradiſtinguitur. Convenientiſſimum autem medium redimendi genus humanum fuit, ut innocens pro nocentibus, & quidem infinita perſona pro tot hominibus peccatoribus moreretur, & ſic juſtitiæ divinæ peccatis hominum læſæ ſatisfieret. Ubi temperamentum juſtitiæ & miſericordiæ divinæ conſpicitur: juſtitiæ, quod citra ſatisfactionem non remittat peccatum: miſericordiæ, quòd illam procuret & ab alieno accipiat, ac ſi à nobis fuiſſet perſoluta.

§. 2. Cur autem Filius, non Pater, non Spir. S. λύτρον iſtud ἰσόρροπον perſolvetit, à priori quidem rationes ſcimus nullas, ſed voluntatem facientis totam facti rationem putamus: à poſteriori tamen afferuntur nonnullæ, quòd media S. S. Trinitatis perſona Mediatoris officio fungi, quòd Filius unigenitus jus adoptionis in filios nobis acquirere, quòd eſſentialis imago DEI deperditam in nobis imaginem DEI reparare debuerit. Quia verò nudus DEUS eſt ἀπαθὴς καὶ ἀθάνατος, perſona mediatrix requirebatur divina humanitas & humana divinitas, id eſt, DEUS hominem in infinitam ſuam hypoſtaſin aſſumere, nec non in aſſumta humana natura redemtionis opus peragere debebat. Juſtitia per obedientiam activam & paſſivam Redemtoris parta, p. 183 cùm extra nos ſit poſita, ὄργανα certa tum δοτικὰ tum λητλικὰ requirit. Organa δοτικὰ ſunt quaſi manus DEI porrigens, quâ theſaurus ingens, Chriſti meritum, nobis offertur: Ὄργανον ἀντιληπτικὸν eſt manus ex noſtra parte oblatum iſtum theſaurum apprehendens. Illa ſunt verbum & Sacramenta, quibus Spiritus S. fidem in nobis accendit & alit. Hoc unicum ex parte noſtra fides eſt à Spiritu S. accenſa. Non autem fides mortua labris duntaxat ſupremis innatans, ſed per charitatem efficax requiritur. Unde per opera tanquam ſigna fidem adeſſe colligimus. Gratia DEI, CHRISTI meritum & organa ſalutis, ut in ſuperioribus probavimus, ſunt univerſalia, vi quorum omnes homines ad ſalutem fuiſſent eligibiles: verùm quia noſtra ex parte fides requiritur, & plures hominum Spiritus S. operationes in cordibus ſuis impediunt, vel ſemel conceptam fidem per peccata contra conſcientiam iterum amittunt, nec recuperant, inde fit, ut eorum propriâ culpâ pauci ſint electi. His poſitis, fieri aliter nequit, quam ut Chriſti meritum & fides noſtra decretum electionis ingrediantur. Nec, ſtante hâc τάξει, decretum prædeſtinationis abſolutum locum invenire poteſt.

§. 3. *Uſus* aphotiſmi hujus *in didacticis*

Electis esse potest, ut ordinem salutis agnoscamus, & gratiæ divinæ totũ redemtionis & salutis nostræ opus acceptum feramus.

§. 4. *In polemicis* adversus justitiarios & absolutarios usus esse potest.

APHORISMUS XV.

Si dubitas, te esse prædestinatum, fac, ut prædestineris.

SCHOLIUM.

§. 1.

Ensius. Addit hanc sententiam ex Augustino Facultas Theologica in Academia Wittebergensi in scripto quodam Germanico contra Huberum p. 140. Ne tamen Pelagianissimum quis eidem objiciat, imperativum Fac de usu mediorum, qui est ἐφ' ἡμῖν, exponit, audiendum nimirum esse verbum, per quod Spiritus S. in cordibus nostris esse vult efficax & fidem accendere. Quod ut rectius capiatur, actiones Ecclesiasticæ à spiritualibus sunt distinguendæ. Actiones Ecclesiasticæ sunt adhuc in potestate nostra post lapsũ, ut adire templum, audire concionem, legere verbum. Potest enim hoc fieri vel pruritu novitatis, vel ut gustum aliquis faciat alterius facundiæ, vel calumniandi studio, vel alias ob causas. Ubi tamen Spi-
p. 184 ritus S. interdum per id, quod suum est, operatur, prout in Augustino, cùm adhuc Manichæus propter facundiam Ambrosium, Episcopum Mediolanensem, audiret, operatus fuit, ut Catholicus evaderet. Dico interdum, quia dantur gradus renisũs, quorum quidam sic extenduntur, ut etiam gentiles ab iisdem abstinere potuissent. Sic Herodes irregenitus ἡδέως i.e. *cum delectatione audivit Johannem Baptistam* vel propter dona, vel alias ob causas, *Marc. c. 6. v. 20.* Sic *Sergius Proconsul* ἐπεζήτησε i.e. *desideravit audire Barnabam & Saulum, dubio procul propter studium novitatis, Act. 13. v. 7.* Sed actiones merè spirituales non sunt in potestate nostra, ut est credere, & sic verbo DEI assensum præbere, Christi meritum amplecti, DEUM colere. Unde desiderium audiendi & desiderium credendi limitibus accuratis invicem distingui debent. Illud enim in irregenitos cadit, hoc est opus Spiritus S. & initium fidei, cujus incrementa petere debemus.

§. 2. Quod si tamen aliquis imperativum istum Fac in aphorismo contenrum etiam ad præventos gratia & renatos, quòd vires supernaturales à Spir. S. collatas non excutere, nec fidei collatæ naufragium facere debeant, extendere velit, nos minus adversantes habebit. Certitudinem ipsam de prædestinatione quod attinet, cùm sub conditione fidei finalis facta sit, tempus ante vinum vitæ & ipse finis vitæ h. l. sunt distinguenda. Certitudo ante finem vitæ est hypothetica, si nimirum perseveremus in fide usque ad finem viræ, sed in ipso fine vitæ est absoluta, quia conditio jam in actu ponitur. Quantumvis autem ex DEI parte certi esse queamus absolutè, quòd nihil intermissurus sit eorum, quibus salutem obtinere possimus, *quòd qui bonum opus cœperit in nobis, etiam sit perfecturus, Phil. 1. v. 6.* quod sit *autor & consummator fidei nostræ, Hebr. 12. v. 2.* quia tamen fides ex nostra parte potest amitti, qui stat post cadere *1. Cor. 10. v. 12.* & ex arbore vitæ exscindi *Rom. 11. v. 2.* futuri contingentis hujus certitudo ex nostra parte non nisi hypothetica esse potest ante finem vitæ. Sive autem

autem ante finem vitæ, ſive in ipſo agone ſpectetur hæc certitudo, non eſt conjecturalis (reverâ σιδηρόξυλον) cujusmodi Pontificii & Calviniani docent, ſed infallibilis. Pontificios quod attinet, licet in hoc nobiſcum conſentiant, quòd homo ante finem vitæ de prædeſtinatione ſuâ certus ſit hypotheticè, ſi nimirum in bono perſeveret, conditione tamen in actu poſitâ, non niſi conjecturalem certitudinem admittunt. Nec vi ſuarum hypotheſεων aliter poſſunt, cùm bonis operibus hominem juſtificari & ſalvari doceant, cui tamen ſemper, an ſatis bonorum
p.185 operum præſtiterit, hærendum. Quia enim cùm de gratia præſente controverſia movetur, non niſi conjecturalem propugnant, nec aliam in vitæ fine ſtatuere poſſunt. Calviniani licet abſolutam certitudinem prædeſtinationis etiam ante finem vitæ ſtatuant, quia tamen lubrico nititur fundamento, ſenſu nimirum aliquo gratiæ divinæ (cujusmodi etiam in reprobos, & evidentiorem interdum cadere dicunt) non niſi conjecturalem, etiam in ipſo morris agone, ſtatuere coguntur.

§. 3. *Uſus* aphoriſmi hujus *in didacticis* eſt, ut de prædeſtinatione noſtri certi ſimus. In polemicis adverſus Pontificios & Calvinianos uſus eſſe poteſt.

APHORISMUS XVI.

Trahit DEUS, ſed per rete verbi.

SCHOLIUM.

§. 1.

Senſus. Abſoluti decreti Patroni gratiam converſionis vel congruam, ut rigidiores ex Pontificiis, vel irreſiſtibilē, ut Calviniani ex hoc decreto, derivant. Cōgruam vocant, quòd tempori, loco, ingenio, moribus convertendi congruat: irreſiſtibilem, quod homo reluctando eandem impedire nequeat. Quantumvis autem reſpectu ſubjectorum utrique manus amicas jungant, in hoc tamen invicem abſunt, quòd Pontificii gratiam illam cōgruam cum viribus liberi arbitrii concurrere dicant, Calviniani liberum arbitrium penitus negent. Fanatici ſuos enthuſiaſmos hîc urgent. Omnes loco Salvatoris *Joh. 6. v. 44. nemo venit ad me, niſi Pater traxerit eum*, abutuntur. Sed h.l. tenendum, quòd tractus non violentus, ac ſi DEUS abſolutè ad vitam æternam electos obtorto collo ad ſalutem trahat, aut reluctantes debellet, ſed lenis, ut cum frondibus ovis trahitur, h.l. intelligatur. Opponitur ductui & concomitantiæ, ut omnis συνέργια gratiæ & virium liberi arbitrii excludatur. Nec tractus iſte ἀμέσως, ſed mediante verbo, quod eſt vehiculum Spiritus; non ἐνθουσιαστικῶς, ſed ἀκουστικῶς peragitur. Quanquam autem ſalutaris converſionis gratia ex natura ſua minus congrua ſit intellectui humano, ſecundum iſtud Apoſtoli 1. *Cor. 2. verſ. 14. Animalis homo non percipit ea, quæ ſunt Spiritus DEI: ſunt enim ipſi ſtultitia*, ex inſtituto tamen non eſſe incongruam ad producendum effectum, probatur, 1. ex 2. *Petric. 3. v. 9. quòd DEUS nolit ullos perire, ſed pœnitentiam agere.* 2. ex *Jeremiæ c. 7. v. 13. Manè conſurgens* (ut in fontibus habetur, Luth. Stets) *ad vos locutus ſum, & cùm loquerer, non audiviſtis, nec reſpondiſtis, cùm clamâſſem ad vos.* E. Reprobi quoq; tempore congruo vocan-
p.186 tur. 3. ex loco *Eſ. 5. v. 4. & 5. Quid amplius*

plius faciam vineæ meæ, quod non fecerim? Et tamen collecturus uvas, invenio labruscas. E. etiam reprobi modo congruo vocantur.

§. 2. Gratiam autem conversionis non esse irresistibilem probamus 1. ex dicto Stephani Protomartyris ad suos Antagonistas *Act. 7. v. 51. Vos semper resistitis Spiritui S. quos etiam duræ cervicis & incircumcisi cordis* ibidem vocat. E. Spiritus S. sibi patitur resisti. 2. ex dicto Salvatoris *Matth. 23. v. 37. Ego volui te congregare: Tu autem noluisti.* 3. ex dicto Salvatoris *Luc. 7. v. 30. Pharisæi consilium DEI faciebant irritum adversus se non baptizati à Johanne.* Consilium DEI erat, ut baptizarentur & salvi fierent. Sed hoc dicitur ἀθετῆσαι i.e. *irritum fecisse.* Unde sequitur, intentionem DEI (specialem) ab hominibus sæpiùs interverti. 4. ex *Es. c. 65. v. 2, 3. Totâ die manus meas expandi ad populum rebellem, qui gradiuntur per viam non bonam post cogitationes suas, ad populum, qui faciunt me irasci.* Cui gemellus est locus *Proverb. 1. v 24. Ego voco, & vos renuitis: extendo manum meam, & nemo curat, & derelinquitis omne consilium meum.* 5. ex *Joh. 5. v. 40. Vos non vultis venire ad me, ut vitam habeatis.* Omnis itaque DEI voluntas in opere conversionis efficax est actu primo, sed actus secundus sæpiùs hominum malitiâ impeditur. Sic semen in se actu primo vim fructificandi habet, sed actus secundus multoties, cùm in terram petrosam, contritam, spinosam cadit, intervertitur.

§. 3. DEUM non trahere vel ἀμέσως, vel ἐνθουσιαστικῶς, sed ἀκουστικῶς per verbum probatur 1. ex epistola ad *Rom. 10. v. 17. Fides ex auditu est: auditus autem per verbum DEI.* Plus lucis ex *v. 14. capitis* hujus præsens locus accipit: *Quomodo invocabunt eum, in quem non crediderunt? quomodo autem credent ei, de quo non audiverunt? quomodo autem audient sine prædicatione? quomodo autem prædicabunt, nisi missi fuerint?* Ubi notandum, auditum vel esse internum, vel externum. Internus jam est συγκεκραμένον τῇ πίστει i. e. *commixtus fidei, Hebr. 4. v. 2.* externus ad actiones Ecclesiasticas pertinet & in non renatos & adhuc convertendos cadit, qui loco citato ad *Rom. 10.* intelligitur. 2. quoque probatur ex epistola ad *Rom. 1. v. 16.* ubi *verbum DEI vocatur potentia DEI* i. e. potens ὄργανον *ad salutem omni credenti.* 3. ex 1. *Petric. 1. v. 23. Renati estis non ex semine mortali, sed ex immortali, per sermonem DEI viventis & manentis in æternum.* 4. ex 1. *Cor. 1. v. 21. Placuit DEO per stultitiam prædicationis* (i. e. stultam prædicationem coram mundo) *servare credentes.* Per stultam autem istam prædicationem verbi Evangelium intelligi, ex *v. 18.* apparet, cùm Apostolus inquit: *Sermo de cruce, iis quidem, qui pereunt, stultitia est: iis autem qui servantur,* scil. nobis, *potentia DEI est.* 5. ex loco 1. *Cor. 4. v. 15.* ubi Paulus Corinthios per Evangelium genuisse dicitur. p. 187

§. 4. *Usus* aphorismi hujus *in didacticis* esse potest, ut de conversionis modo & medio certiores simus.

§. 5. *In polemicis* adversus Pontificios quosdam in articulo de prædestinatione gratiam congruam & efficacem ex absoluto decreto derivantes; adversus Calvinianos & ex Pontificiis Jansenistas irresistibilem conversionis gratiam propter idem decretum absolutum statuentes; & adversus Fanaticos, Swenckfeldianos,

dianos, Weigelianos, Stifelianos, Rathmannianos & ejusdem farinæ plures verbum conversionis medium negligentes & raptus extra verbum expectantes, aut soli gratiæ absque verbo conversionem adscribentes.

APHORISMUS XVII.

Multa in lumine gratiæ sunt obscura, quæ in lumine gloriæ erunt manifesta.

SCHOLIUM.

§. 1.

Sensus. Ut ipse salvando ordo nobis in scripturis satis superque revelatus est secundum istud Salvatoris *Joh.15.v.15. Omnia, quæ audivi à Patre meo, nota vobis feci,* & Apostoli *Act.20.v.27. Non subterfugi, quò minus annunciarem vobis omne DEI consilium* sc. salutem nostram concernens; de salvandorum tamen circumstantiis multa nobis in hac vita sunt obscura secundum istud Apostoli *Rom.11. v.33. & seqq. O profunditatem divitiarum & sapientiæ & cognitionis DEI! quàm inscrutabilia sunt judicia ejus, & imperveſtigabiles ejus viæ! Quis enim cognovit mentem Domini? aut quis ei fuit Consiliarius? aut quis prior dedit ei, & reddetur ei?* Quòd DEUS non nisi perseveranter, aut finaliter in CHRISTUM credituros salvos facere velit, quòd verbum, conversionis medium, in toto terrarum orbe prædicare jusserit, quòd fidem offerat omnibus, & per verbum eandem in nobis operari velit, in scripturis nobis satis superq; manifestatū est. Cur autem sic, vel sic dispensetsalutis media; cur huic sufficientia tantùm, alteri abundantia concedat; cur hunc horâ primâ vocet, alium secundâ; cur in ingratitudinem populi unius gravius, aut citiùs animadvertat, quàm alterius, nobis in hac vita manet absconditum.

§. 2. Differunt autem voluntas absoluta & absondita. p.188 Illa conditionatæ, hæc manifestatæ opponitur. Quare, licet absconditam, quantum ad circumstantias salvandorum, aut damnãdorum, concedamus; absolutam tamen ipsum salutis ordinem concernentem negamus. Quando verò ex hac schola imperfectionis, ubi ἐκ μέρους i.e. ex parte tantùm cognoscimus, translati fuerimus in Academiam cœlestem, ad notitiam intuitivam, ubi πρόσωπον πρὸς πρόσωπον videbimus, ibi hæc abdita nobis erunt manifesta.

§. 3. *Usus* aphorismi hujus *in didacticis* est, μὴ φρονεῖν ὑπὲρ ὃ γέγραπται i.e. non sapere supra id, quod scriptum est, ut Paulus jubet 1.*Cor.4.v.6.* & viatorum cognitione, donec in patriam veniamus, hîc simus contenti.

§. 4. *Usus in polemicis* adversus ἀκροβατοῦντας & scrutatores Majestatis, DEUM absconditum quærentes & occulta ejus judicia perveſtigantes esse potest.

APHORISMUS XVIII.

Electorum numerus certus quidem est, sed tamen non fatalis.

SCHOLIUM.

§. 1.

Sensus. Ut divinæ προγνώσει omnia infallibiliter cognita sunt & perspecta: ita & numerus electorum, ita, ut ne quidem circa unicum objectum falli queat: Sed quod absoluto DEI decreto numerus certus, qui nec augeri, nec minui potuisset, determinatus fuerit, hoc est, quod aphorismus negat. Qua de re Concordiæ

formula artic. 11. sic loquitur: *Haud dubiè DEUS exactissimè & certissimè ante tempora mundi prævidit, & hodie etiam scit, quinam ex conversis in fide sint perseveraturi, qui non: quinam in peccata gravia prolapsi sint reversuri, qui non: & qui perituri sint in sceleribus, ita, ut eorum numerus, qui salvantur & damnantur, DEO probè sit notus.* Interim liber iste symbolicus absolutum decretum, ex quo fatalis numerus derivatur, modis omnibus destruit. Destruitur fatalis hic numerus omnibus istis locis scripturæ, quibus DEUS omnes homines salvos velle dicitur. Unde collectio facilis: Qui non vult, ut ullus perear, ille numerum electorum fatalem, qui nec augeri, nec minui queat, non definivit. Exinde siquidem sequitur, plures eligibiles fuisse. Verum est prius 2. *Petri* 3. *v.* 9. E. & posterius. 2. Si reprobi semetipsos indignos reddunt vitâ
p. 189 æternâ, quos tamen DEUS seriò & cum intentione salvandi vocat, sequitur, quòd fuerint ad æternam salutem eligibiles, consequenter, quòd numerus electorum augeri potuisset. Sed verum est prius *Actor.* 13. *v.* 46. E. 3. Si Tyri & Sidonis incolæ pœnitentiam agere potuissent, & ita salvari, sequitur, quòd & ipsi numerum electorum augere potuissent. Sed verum est prius E. Antecedens probatur ex *Matth.* 11. *v.* 21.

§. 2. *Usus* aphorismi hujus *in didacticis* esse potest, ut tentatis circa numerum electorum scrupulum omnem eximat & ad pœnitentiam stimulum peccatoribus addat.

§. 4. *In polemicis* adversus Absolutarios particulares, qui numerum electorum fatalem, ut nec augeri, nec minui queat, tabulis adamantinis absoluti sui decreti volunt inscriptum,

APHORISMUS XIX.

Non Angeli, sed homines sunt electionis objectum.

SCHOLIUM.

§. 1.

Sensus. Mentionem quidem facit Apostolus τῶν ἐκλεκτῶν Ἀγγέλων i. e. electorum Angelorum, quando in 1. *Tim.* 5. *v.* 21. dicit: *Obtestor in conspectu DEI & DOMINI JESU CHRISTI, & electorum Angelorum, ut hæc serves.* Sed non intelligit aliter electos, ut sunt illi, de quibus hactenus egimus, sed Angelos bonos, qui domicilium suum retinuerunt, & in bono sunt confirmati. Nostri autem *Rom.* 8. *v.* 30. describuntur, quòd sint præsciti, vocati, justificati & glorificati. Et ad *Ephes.* 1. *v.* 4. quòd electi sint in CHRISTO, 2. *Thess.* 2, *v.* 13. quòd electi sint per fidem veritatis. Nec etiam electi homines in oppositionibus cum Angelis sunt confundendi: quod facit Huberus, quando pressus electionis vocabulo, segregandi vim obtinente, reprobatis, aut rejectis Angelis idem opponi dixit. Electos homines Salvator vocatis *Matth.* 22. *v.* 14. opponit, cùm inquit: *Multi vocati, pauci electi:* alibi τοῖς ἀδοκίμοις i. e. reprobis hominibus opponuntur. Apostolus verò citato loco 1. *Tim.* 5. *v.* 21. τοὺς ἐκλεκτοὺς Ἀγγέλους cum Angelis rejectis tacitè contendit. Non etiam intactos hîc relinquere possumus, qui CHRISTUM ipsum in censum electorum referunt. Præterquam autem quòd in loco, quem pro fundamento adducunt, ex 1. *Petri* 1. *v.* 20. CHRISTUS non dicatur προωρισμένος i. e. *prædestinatus*, sed προεγνωσμένος i. e. *præcognitus*, inter electionem, vel destinationem

p.190 tionem ad opus redemtionis & ad salutem per fidem in Mediatorem accuratis limitibus est disterminandum.

§. 2. *Usus* aphorismi hujus *in didacticis* esse potest, ut de objecto prædestinationis, prout hujus tractationis est, certi simi.

§. 3. *In polemicis* adversus Calvinianos, non tantùm Angelos, sed & CHRISTUM ipsum electionis objectum statuentes usus esse potest.

Locus VII.

De

IMAGINE DEI.

§. 1.

CUm homo justificandus & beandus, secundum Lutherum, sit Theologiæ subjectum, & disciplinæ practicæ, cujusmodi est Theologia, subjectum suum, quantum ad institutum & introductionem finis requiritur, præcognoscant, homo secundum diversos status jam nobis erit cõsiderandus. *Sunt autem status isti quatuor*, integritatis, transgressionis, reparationis & glorificationis, qui, ut facilius memoriâ teneri queant, terminis similiter desinentibus, status confectionis, defectionis, refectionis & perfectionis; vel naturæ institutæ, destitutæ & restitutæ, sive μερικῶς in hac, sive ὁλικῶς in futura vita, dicuntur. In statu integritatis homo fuit אָדָם in secundo, transgressionis, אֱנוֹשׁ i.e. miser homo, in tertio & quarto restitutionis אִישׁ i.e. Vir, vel heros. Imago Latinis velut imitago dicitur, & in solo reperitur homine, si ad prototypon, conditorem suum, refertur. In cæteris creaturis vestigium duntaxat conditoris occurrit. Imago Græcis εἰκών, Hebræis צֶלֶם forsan à nomine צֵל i.e. umbra nuncupatur. Imago DEI, quæ fuit in Protoplastis, non fuit ipsa hominis essentia, ut Socinianos distinctos hominis status tollentes, & Pontificii, dona sua supernaturalia propugnantes & Flacius imaginem DEI hominis substantiam fingens volunt, sed similitudo qualitatum, quibus conditorem suum referebat. Ideo scriptura vocabulum צֶלֶם imaginem per vocem דְּמוּת i.e. similitudinem exponit *Genes.* 1. *v.* 26. quando dicit, *DEUM ad imaginem & similitudinem suam hominem creâsse*, *Genes. verò c.* 5. *v.* 1. quòd DEUS hominem simpliciter בִּדְמוּת i.e. *ad similitudinem* p.191 *suam* fecerit. Addimus, quòd salva hominis essentiâ imago DEI amitti & reparari potuerit. Sic enim inquit Apostolus *Ephes.* 4. *v.* 22. *Deponite juxta priorem conversationem veterem hominem, qui corrumpitur juxta concupiscentias erroris. Renovati verò Spiritu mentis vestræ, induite novum hominem, qui juxta DEUM conditus est in justitia & sanctitate veritatis.* Et ad *Coloss.* 3. *v.* 9. 10. *Ne mentiamini alius adversus alium, posteaquam exuistis veterem hominem cum factis suis, & induistis novum, qui renovatur ad agnitionem, & imaginem ejus, qui condidit illum.*

§. 2. Est autem imago DEI vel essentialis, vel accidentalis. Essentialis est ipse DEI Filius, qui χ γράμμα sic vocatur *Coloss. 1. v. 15.* Ὅς ἐστιν εἰκὼν τοῦ Θεοῦ τοῦ ἀοράτου i.e. *qui est imago DEI inconspicui. Joh.* verò *c. 1. v. 1.* λόγος i.e. verbum Dei, *Hebr. 1. v. 3.* ἀπαύγασμα τῆς δόξης Θεοῦ καὶ χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ i.e. *Splendor gloriæ DEI & expressa imago substantiæ illius* appellatur. Accidentalis est homo qualitatibus suis sibi concreatis DEI sapientiam, justitiam, bonitatem, vitam & potentiam, ceu speculum quoddam referēs. Differunt itaque phrases, homo est imago DEI & homo conditus est ad imaginem DEI. Priore imago accidentalis, vel similitudo qualitatum in homine; posteriore verò ipsum prototypon: ad quod ceu normam homo factus est, essentialis nimirum intelligitur.

§. 3. Definitio imaginis divinæ realis est, quòd fuerit integritas, justitia & sanctitas originalis, primo homini concreata, quâ DEUM conditorem pulchetrima similitudine referebat. Per integritatem h.l. non partes quantitativæ, vel integrales (quasi plures ejusmodi partes homo ante lapsum habuisset, quàm post eundem) sed qualitates integrantes & perficientes intelliguntur. Harum tantùm aliquot & præcipuæ in definitione ponuntur, pluribus verò jamjam & reliquæ declarabuntur. Quod autem integritas accidentalis fuerit, non ex similitudinis duntaxat vocabulo, sed & quod concreata dicatur, apparet. Ut enim accidentium esse nihil aliud est, quàm inesse: Sic etiam non creari, sed concreari dicuntur.

§. 4. Axiomata divinæ imaginis, quibus Protoplasti DEUM conditorem referebant, præcipua fuêre quinque 1. conformitas intellectus cum DEI sapientia, 2. conformitas voluntatis cum DEI justitia & sanctitate. 3. conformitas appetitûs cum DEI castitate ac puritate. 4. Conformitas corporis cum impassibilitate ac immortalitate DEI, 5. Conformitas dominii cum DEI potestate.

§. 5. Axioma primum, lux sc. intellectus ex eo conspicitur, quòd primus homo adductis ad se animalibus omnibus, nunquam prius visis convenientia imposuerit nomina, *Gen. 2. v. 19.* Volebat enim DEUS eo ipso sapientiam ipsius explorare. Nec non quod uxorem ex costa dormientis desumtam statim agnoverit, & Viraginem, quòd ex Viro desumta sit, appellaverit, *Genes. 2. v. 24.* Axioma secundum, justitia & sanctitas in voluntate & primi hominis ex eo, quòd renovari jubeamur Spiritu mentis nostræ, & induere novum hominem, qui juxta DEUM conditus est in justitia & sanctitate veritatis, *Ephes. 4. v. 24.* elucet. Idem ex eo, quòd valdè bonus condit⁹ fuerit primus homo & ita congruens voluntati creatoris *Genes. 1. vers. 31.* perspicuum est. Axioma tertium, conformitas appetitus cum DEI puritate, vel pulcherrima inter vires superiores & inferiores harmonia, vel ex eo, quod primi parentes nuditatem sibi dedecori non duxerint *Genes. 2. v. 25.* liquet. Nullos enim inordinatos motus senserunt, ut post lapsum nuditatem suā agnoverunt & foliis eam tegere ficulneis studuerunt *Genes. 3. v. 7.* Weigelius quidem cum Paracelso primum hominem ante comestionem fructus vetiti genitalibus destitutum fuisse somniat, quæ deinceps acceperit, postquam de fructu isto degustavit: sed vel ex eo, quòd ante lapsum P. 192

generis

generis humani propagatio primis noſtris Parentibus demandata fuerit *Gen. 1. verſ. 27.* refutatur. Quin potius cum Auguſtino genitalia concreata poſt lapſum pudenda facta fuiſſe, cùm prius in eundem cenſum cum fronte, oculis & ore venerint, ſtatuimus. De Paracelſi phantaſia videantur conſilia Facultatum quorundam Theologicarum Dn. D. Sennerto ſuper controverſiis quibusdam cum Freitagio communicata, nominatim Argentinenſis. Axioma quartum impaſſibilitas & immortalitas ex communicatione divina: *Gen. 2. v. 17. Quacunque die comederis de arbore* (ut ab eventu dicta fuit) *cognitionis boni & mali, morte morieris*, obſcurum eſſe nequit. Cui infragatur dictum Apoſtoli *Roman. 5. verſ. 12. Per unum hominem peccatum intravit in mundum & per peccatum mors : & ſic mors in omnes homines pertranſiit, quatenus omnes peccaverunt.* Et ad *Rom. 6. v. ult. Stipendium peccati mors eſt.* Axioma quintum dominium in creaturas reliquas quod ſolum agnoſcunt Photiniani ex *Gen. 1. v. 27.* ubi ſuper greſſilia, reptilia, volatilia, natatilia poteſtas ipſi conceditur, luce meridianâ clariùs effulgeſcit.

§. 6. Quomodo perdiderit hæc axiomata, propria ſedes hujus doctrinæ, *caput ſe. Gen. 3.* oſtendit. Dicitur ibidem, quòd aperti fuerint ipſorum oculi, ut bonum & malum cognoverint, non notitiâ ſimpli-
p. 193 ci, quam etiam ante lapſum habuerunt (nec enim propterea malum neceſſarium fuit, ut ab homine cognoſci poſſet, ſicuti Patrum temporibus Eilhardus Lubinus Prof. Theol. in Academia Roſtochienſi dilirávit) ſed experimentali, quod in ſemetipſis malum cognoverunt, prout aliquis notitiam ſimplicem habere poteſt venenorum, quòd inſidias ſtruant vitæ, verùm, quando ipſe venena bibit, tunc notitiam habet experimentalem, in corpore ſuo vim eorundem perſentiſcens. Dicitur ibidem, quòd trepidantes conſpectum creatoris ſui fugerint, & latibula quæſiverint, quo ipſo concreatam ſibi juſtitiam amiſſam eſſe, ſatis prodiderunt. Dicitur ibidem, quòd nudos ſe videntes foliis ficulneis nuditatem ſuam tegere voluerint, quo ipſo ſolutam harmoniam virium ſuperiorum & inferiorum & motus inordinatos ſignificare voluerunt. Stipendium etiam peccati ſibi deberi, ex ſententia Creatoris cognoſcere potuit : *Pulvis es, & in pulverem redigeris, Gen. 3. verſ. 19.* Quomodo in beſtias dominium poſt lapſum ſit fractum & imminutum, vel manſuetarii docere poſſunt. Cùm primus homo veluti cum catello luſitare poterat cum leone, pardo, tigride, jam conſpectum eorum fugit. Ex dictis patet, imaginem DEI, ſi formaliter conſideretur, totam amiſſam eſſe: Si materialiter, ſupereſſe adhuc parva quædam rudera, priſtinæ felicitatis indicia. In naturalibus homo vulneratus, in ſpiritualibus planè mortuus dicitur.

§. 7. Priusquam autem hinc abeamus, ad locum Apoſtoli, qui habetur *Epheſ. 5. v. 22. 23. Uxores propriis viris ſubdita ſint, velut Domino quoniam Vir eſt caput uxoris, quemadmodum & Chriſtus eſt caput Eccleſiæ &c.* ut & locum *1. Cor. 11. verſ. 7. Vir eſt imago & gloria DEI, ſed mulier gloria Viri &c.* reſpondemus, imaginem DEI eſſe vocem ἀφ' ἑνὸς πρὸς ἓν & πρώτως viro propter dominium in uxorem, δευτέρως mulieri tribui. Rationem hujus diſcriminis & ſubjectionis adducit Apoſtolus *1. Timot.*

cap.2.verſ.13.& 14. quæ locum etiam ante lapſum invenerunt, *quòd Adam prior formatus ſit poſterior Eva.* Quibus nos etiam addimus, quòd mulier ex Viro & propter Virum condita fuerit.

APHORISMUS I.

Juſtitia originalis in Protoplaſtis non fuit donum aliquod ſupernaturale, ſed connaturale. Item: Naturalia poſt lapſum non manſerunt integra.

P.194

SCHOLIUM.

§. 1.

Enſius. Nota eſt ſententia Scholaſticorum & Pontificiorum, quâ meritis de congruo & condigno fundamenta ſubſternunt, juſtitiam originalem in Protoplaſtis fuiſſe donum aliquod extrinſecum & ſupernaturale, quod, ſalvis naturalibus, tolli potuit, ut ſertum ſponſæ detrahitur, virginitate illæsâ. Sunt, qui cum capillis Samſonis cõparant, externis quidem, ſed tamen quibus abſciſſis, languorem aliquem ſenſit. Huic ſententiæ, quòd juſtitia originalis donum aliquod ſupernaturale fuerit in primis parentibus noſtris, etiam pollicem premunt Juliani quidam Profeſſores, ut præprimis ex apologia Buſchero ante annos 20. plus minus oppoſita videre licet. Nos etiamſi dona quædam extrinſeca, v.g. Sacro-ſanctæ Trinitatis inhabitationem, Protoplaſtis non denegemus, juſtitiam tamen originalem donum extrinſecum & ſupernaturale (ſed potius connaturale) fuiſſe, probamus 1. quòd ipſius abſentia, vel remotio cum deformitate ac deſtructione horribili ſit conjuncta. *Omnes declinavimus, omnes inutiles facti ſumus, non eſt, qui faciat bonum, ne unus quidem, Pſal. 14.v.3.* Unde homo non amplius integer, ſed corruptus dicitur, 2. quòd pertinuerit ad bonitatem, in qua primus homo fuit conditus. Jam verò poſt peccatum homo corruptus eſt abominatio coram DEO. 3. quòd partes homogeneæ juſtitiæ originalis, divinæ imaginis reliquiæ, principia nobiscum nata, ſint connaturales. 4. quòd ſi perſtitiſſet homo in integritate, juſtitia originalis per generationem fuiſſet propagata.

§. 2. Nec quicquam hîc juvat Pontificios, quòd *Pſal.8.verſ.6.* cum corona comparetur, quando ſcilicet Pſalmographus regius Spiritu DEI afflatus dicit, *gloriâ & honore coronâſti eum.* Prætereà enim quòd Pſalmus iſte de CHRISTO agat, ut *caput ſecundũ epiſtolæ ad Hebræos v.6.* eundem recludit, voce coronæ ornamentum (quod etiã intrinſecum eſſe poteſt) non modº inhærendi, an extrinſecus, an intrinſecus ſit, ſignificatur. Idem etiam ad indumenti vocem ſit reſponſum, quandoquidem DEUS carne ac pellibus nos etiam veſtiviſſe dicatur, *Jobi c.10.v.11.* Sic non movemur argumenta Julianorum, v.g. quòd hominis eſſentia & quæ conſequuntur eſſentiam, quòd homo ſit animal rationale, viſibile, docile &c. poſt lapſum manſerint adhuc integra. Vocabulo ſiquidem integritatis imponitur lectori. Si hoc vult, quòd eſſentia hominis poſt lapſum non fuerit abolita, ſed adhuc manſerit, (à quâ locutione tamen propter controverſias Theologicas in hoc loco de ſtatu integritatis meritò abſtinemus) non negamus, ſi verò hoc vult, P.195 hominis eſſentiam in eo ſtatu manſiſſe, in quo conditus fuit, bonus ſc. voluntati ſui conditoris

conditoris conformis, qualitatibus integrantibus perfectus, negamus hominis essentiam adhuc esse integram. Cùm vires supernaturales ad reparationem divinæ imaginis conferri dicuntur, respectu naturæ per peccatum corruptæ sic dicuntur.

§. 3. *Vsus* aphorismi hujus *in didacticis* est, ut ex privatione cognoscamus habitum, nec naturam extollentes gratiam deprimamus.

§. 4. *In polemicis* adversus Pontificios πελαγιανίζοντας, gratiæ hostes, & qui tibias easdem cum iis inflant, usus esse potest.

APHORISMUS II.

Justitia originalis non fuit latentis mali cura palliativa.

SCHOLIUM.

§. 1.

S*Ensus.* In DEI conditoris sapientiam & bonitatem non parùm injurii sunt Pontificii, qui primum hominem cum lucta rationis & appetitus, spiritus & carnis ex conditione materiæ resultante, cui tamen justitia originalis tanquam frænum, aut antidotum aliquod superimpositum fuerit, conditum volunt. Verùm præterquàm quòd hæc opinio aliquam insipientiam, aut inadvertentiam sapientissimo Conditori, quasi hominem, creaturam aliàs nobilissimam producere non potuerit, nisi tale subesset ὕπνλον, tribuat, etiam DEUM Opt. peccati causam facit. Scriptura verò *valdè bonum Gen. 1. v. ult.* & *rectum Eccles. 7. v. 30. hominem conditum fuisse, invidiâ verò Diaboli peccatum in mundum intrâsse, Sap. 2. v. 24.* dicit. Quibus succenturiantur omnia ea scripturæ loca, quæ DEUM Opt. Max. à suspicione mali hujus moralis liberant. Ubi nihil fuit refrænandum, ibi nec fræno fuit opus. Vide locum de providentia.

§. 2. *Vsus* aphorismi hujus *in didacticis* est, ut bonitatem & sapientiam DEI conditoris magni potius æstimemus, quàm deprimamus, aut annihilemus.

§. 3. *In polemicis* adversus dictos Pontificios & sequaces usus ejusdem esse potest.

APHORISMUS III.

Homo in puris naturalibus non datur, nisi fictione mentis.

SCHOLIUM. p. 196

§. 1.

S*Ensus.* Homo in putis naturalibus hîc est, qui nec bonus est, nec malus. Quia verò bonum & malum στερητικῶς sibi opponuntur, ne momentum quidem temporis interfuit, quo nec bonus, nec malus fuit primus homo, sed ipsa divinæ imaginis remotio corruptionem ejusdem primi Parentis statim secum traxit. Pontificii multum de homine in puris naturalibus condito deblaterant, & vocabulum purus impedimento forinsecus superadditio tacitè opponunt. Homini quoque in puris naturalibus condito ex materiæ conditione, sed citra intentionem DEI, concupiscentiam, quæ tamen ne in actum secundum erumperet, justitiâ originali, ceu frenô quodam, inhibita fuerit, adscribunt. Sed in his, ut ex jam dictis liquescere potest, confluges errorum, quòd pura naturalia & frænum superadditum, ceu distinctim creata, separent, â naturalibus justitiam originalem primis Parentib⁹ tam cõnaturalem, quam lux est oculis implantata, disjungant, DEO sapientissimô non leve παράδοξμα tribuant, concupiscentiam

pravam

pravam extenuent, naturalia post lapsum mansisse integra statuant, & alia plura, continetur. Quæ cùm partim ex dictis, aphorismo nimirum primo & secundo, partim dicendis in loco de peccato, de carentia divinæ imaginis, de prava concupiscentia, pateant & amplius patebunt, ulterius hîc discutere nolumus.

§. 2. *Vsus* aphorismi hujus *in didacticis*, quàm *polemicis* idem, qui priorum esse potest.

APHORISMUS IV.

Homo flexilis fuit conditus, ut posset peccare & non peccare: stare & cadere. Item: Immutabilitas est attributum solius DEI.

SCHOLIUM.

§. 1.

S*Ensus.* Sæpius in scholis Theologicis occurrit controversia, num labilis cõditus fuerit primus homo: ubi temperamentum distinctionis inter potentiã proximam & remotam nodum solvit. Quòd potentiâ proximâ labilis fuetit conditus, negamus & pernegamus, quin potius adversus lapsum viribus sufficientibus instructum fuisse, asserimus: quod autem potentiâ remotâ labilis fuerit, eventus (proh dolor!) edocuit. Nec tamen Con-
p.197 ditori ter Optimo culpa impingi potest ulla, quòd talem hominem creaverit, cùm & immutabilitas solius DEI sit attributũ & præmium obedientiæ locum habere debuerit. *DEVS ego, & non mutor*, ipse de se dicit, *Mal. 3. v. 6.* & per hoc, quòd ne quidem *ἀποσκίασμα τῆς τροπῆς* i. e. ne umbra mutationis apud ipsum reperiatur, à creaturis omnibus distinguitur *Jacobi c. 1. v. 17.* Unde *πᾶν κτίσμα τρεπτὸν* i. e. omne creatum mutabile dicitur. Quia libertatem contrarietatis habuit, in manu consilii sui DEUS eundem reliquit, ut vel vitam, vel mortem apprehenderet. Ubi diversitas inter phrases, posse non peccare, & non posse peccare, venit observanda. Prior in statu integritatis obtinuit, posterior in statu glorificationis obtinebit. Primus homo poterat vi liberi arbitrii (quod pars erat divinæ imaginis) peccare & non peccare, beati verò non poterunt peccare. Ut in Angelis, qui sunt in bono confirmati, potentia peccandi remota nunquam in actum traducitur: ita nec in hominibus glorificatis.

§. 2. *Vsus* aphorismi hujus *in didacticis* esse potest, ut inter creatorem & creaturas, nec non diversos hominis status distinguamus.

§. 3. *In polemicis* adversus Calvinianos, qui argumentum ex labilitate hominis pro adstruenda sua sententia, quòd DEUS lapsum primorum parentum voluerit, desumunt, usus ipsius esse potest.

APHORISMUS V.

Alia ratione *ψυχικὸς* i. e. animalis dicitur homo in statu integritatis, aliâ in statu transgressionis.

SCHOLIUM.

§. 1.

S*Ensus.* Ut concilientur scripturæ loca, quorum unus *1. Cor. 15. v. 44, 45, 46,* alter in eadem *epistola c. 2. v. 14.* legitur, nec hunc aphorismum sicco pede præterire voluimus. Prior ita se habet: *Seminatur corpus ψυχικὸν* i. e. *animale: resurget corpus spirituale. Est corpus animale, & est corpus spirituale, quẽadmodum & scriptum est: Factus est primus homo Adam in ani-*

Digitized by Google

mam viventem: extremus Adam in ſpiritum vivificantem. At non primum quod ſpirituale, ſed quod animale: deinde quod ſpirituale. Poſterior locus ita ſonat: *Animalis homo non percipit ea, quæ ſunt Spiritus DEI. Stultitia ſiquidem illi ſunt, nec poteſt cognoſcere.* Tenendum autem vocabulum ψυχικὸς vel ſumi pro eo, qui functiones animales exercet, vel
p.198 pro eo, qui peccatis eſt corruptus & obtenebratum habet intellectum, ut ea, quæ Spiritus DEI ſunt, capere nequeat. In priore, non poſteriore ſignificatu, vel ipſo docente contextu, primi parentes in ſtatu integritatis conſtituti ψυχικοὶ vocari poſſunt. Sunt autem functiones animales edere, bibere, dormire, generare, cujusmodi locum habuiſſe in ſtatu integritatis patet 1. ex eo, quòd eſus & uſus omnium arborum Paradiſi, exceptâ tantum arbore cognitionis boni & mali, primis Parentibus fuerit permiſſus, *Geneſ. 2. verſ. 16.* 2. quòd ex dormientis Adami coſta vitæ adjutorium ipſi fuerit à DEO extructum, *Geneſ. 2. v. 21.* 3. quòd ipſi dictum fuerit, ut creſceret & multiplicaretur, *Geneſ. 1. v. 28.* Hæ functiones in ſtatu glorificationis ceſſabunt, ubi cœlites non amplius eſurient, neque ſitient, *Apoc. 7. verſ. 16.* nec amplius generabunt, ſed erunt ἰσάγγελοι, *Matth. 22. v. 30.* Ex quibus inter utrumq; ſtatum differentia ſatis evidens conſpicitur. Quorſum & indicem digitum extendit Apoſtolus *c. ſuperiùs citato epiſtola prioris* ad Corinthios *v. 47. 48. 49. Primus homo de terra terrenus: ſecundus homo ipſe Dominus de cœlo. Qualis terrenus ille, tales & hi, qui terreni ſunt: qualis ille cœleſtis, tales & hi, qui cœleſtes ſunt. Et quemadmodum geſtavimus imaginem terreni, geſtabimus etiam imaginem cœleſtis.* Ex quibus etiam, quòd corporis glorificati proprietates, ut ſubtilitas, vi cujus potuiſſent penetrare fores clauſas; ſpirituales, ut fieri potuiſſent ἀόφαντοι & imperceptibiliter moveri &c. primis Parentibus in ſtatu integritatis nõ competierint, colligimus. Electorum verò corporibus δεξασοῖς καὶ πνευματικαῖς, quæ *Filius DEI conformabit glorioſo ſuo corpori* (non Majeſtatico, quod habet ex unione perſonali) *ſecundùm efficaciam, quâ ſibi ſubjicere poteſt omnia, Philip. 3. v. ult.* dictæ proprietates denegari non poſſunt. In poſteriori ſignificatu, pro corrupto ſcil. homine, qui capere non poteſt ea, quæ ſunt Spiritus DEI, ſumatur in ſtatu transgreſſionis & loco citato *1. Cor. 2. v. 12.*

§. 2. *Vſus* aphoriſmi hujus *in didacticis* eſſe poteſt, ut integritatis, corruptionis & glorificationis ſtatum accuratiùs diſcernamus.

§. 3. *In polemicis* adverſus Calvinianos, Socinianos & Remonſtrantes intellectûs noſtri capacitatem in rebus fidei miris modis extollentes uſus eſſe poteſt.

APHORISMUS VI.

Homo non intellectu ſed intellectus luce; non voluntate, ſed voluntatis ſanitate poſt lapſum privatus eſt.

SCHOLIUM. p.199

§. 1.

Senſus. Imaginis DEI voce ipſam hominis eſſentiam Pontificii, Sociniani (& cum his Remonſtrantes) nec non Flacius cum ſuis intelligunt, hoc tamen diſcrimine, quod illi juſtitiam originalem tanquam donum aliquod ſupernaturale

vel frænum aliquod ſuperadditum fuiſſe dicant, iſti præter dominium in beſtias ἐξοχὴν nullam in Parentibus primis præ poſteris eorum agnoſcant; utrique ſuperſtitem poſt lapſum remanſiſſe divinam imaginem garriant; hic mutationem, ſive converſionem ſubſtantialem poſt lapſum factam fuiſſe modis omnibus propugnet. Verùm, cùm in evolutione definitionis utriusque & axiomatum divinæ imaginis non in eſſentiæ, ſed qualitatum ſimilitudine hanc ipſam conſtitiſſe probaverim, tanquam ἀχρεῖα καὶ ἀντίχρεια iſtorum dogmata miſſa facimus. Imaginem divinam amiſſam, partes verò eſſentiales, & quæ fluunt ex iis ἀμέσως, poſt lapſum remanſiſſe, ſtatuimus. Sic etiam facultates animæ rationalis, intellectus & voluntas, poſt lapſum remanſerunt, vetùm qualitatibus integrantibus & perficientibus deſtitutæ. In locum enim pulcherrimæ lucis, quæ fulſit in intellectu, tenebræ ſucceſſerunt: voluntas verò ad bonum & malum prius libera, jam ad malum, præſertim in ſpiritualibus propendet. Sic Apoſtolus ad *Epheſ. 5. v. 8.* dicit: *Eratis quondam tenebræ, nunc autem lux in Domino. Johan. 1. v. 5. Lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non apprehenderunt.* Reparatio verò divinæ imaginis per illuminationem deſcribitur, ut *Luc. 1. v. 78. Viſitavit nos oriens ex alto, ut illuceſceret iis, qui ſedent in tenebris & umbra mortis.* Et *2. Cor. 4. v. 6. DEUS, qui juſſit è tenebris ſplendeſcere lucem, in cordibus noſtris luxit, ad illuminationem cognitionis gloriæ CHRISTI.* De voluntate ſcriptura dicit *Pſal. 14. v. 3. Rom. 3. v. 22. quòd omnes declinaverimus & inutiles facti fuerimus, quòd ne unus quidem ſit, qui faciat bonum.* Item. *Quòd arbitrium ſervum ad malum habeamus.* Sic *Joh. 8. v. 34.* Salvator inquit: *Qui facit peccatum, is ſervus eſt peccati. Si Filius verò liberos vos reddiderit, verè liberi eſtis.* Ad *Rom. 7. v. 14.* conqueritur Apoſtolus, quòd *venundatus ſit ſub peccatum*, inſtar alicujus mancipii de lapide, quod dicitur, emti; *v. 21. quòd ſibi volenti facere bonum, adhæreat malum.* *Petrus 2. c. 2. v. 19.* dicit, quòd *Pſeudoprophetæ libertatem aliis pollicentes ipſi corruptionis ſint ſervi*, additâ generali ratione: *Siquidem à quo quis ſuperatus eſt, huic etiam in ſervitutem eſt addictus.* Aliàs facultates has animæ rationalis, intellectum & voluntatem, poſt lapſum remanſiſſe, vel inde patet, quòd homo ζῶον λογικὸν i. e. animal rationale adhuc ſit, diſcrimen honeſtorum & turpium nō prorſus amiſerit, voluntas etiam libertatem à coactione retinuerit. p. 200

§. 2. *Uſus* aphoriſmi hujus *in didacticis* eſſe poteſt, ut quid per lapſum amiſſum, quid retentum ſit, probè teneamus.

§. 3. *In polemicis* adverſus Remonſtrantes & Socinianos, lucem intellectus nō amiſſam, ſed reſiduam adhuc nimium quantum extollentes, & Flacianos hominem per lapſum ſubſtantialiter mutatum fuiſſe fingentes, uſus aphoriſmi hujus eſſe poteſt.

APHORISMUS VII.

Conditus eſt primus homo in terra & de terra, nec tamen ad terram & propter terram, ſed ad cœlum & propter cœlum.

SCHOLIUM.

§. 1.

Enſus. In terra & de terra conditum fuiſſe primum hominē ex *c. Gen. 2. v. 7.* patet.

patet. Fuit autem materia proxima gleba terræ, ut ταπεινώσεως ὑπόμνημα i.e. humilitatis esset memoriale. Si tamen per analysin materiæ progredimur ulteri⁹, ad nihilum tandem devenimus, & sic homo etiam ex nihilo conditus dici potest. Paracelsistæ, ut aliàs terminos suos Medicos in Theologiam infarciunt, ita h.l. primum hominem quintam glebæ, unde formatus fuit, essentiam statuunt. Nos, missis istis nugis, potentiam obedientialem in materia ista, quâ Conditori suo subjicitur, potiùs agnoscimus. E terra verò formatus fuit primus homo, quantum ad corpus, animam autem viventem DEUS ipsi seorsim inspiravit, non autem ex materiæ potentia elicuit, vel unâ cum materia reliquorum animantium simul produxit. Unde differentia inter formas materiales & immateriales in scholis Theologicis & Philosophicis nata. Nec tamen ex essentia divina, prout hominis anima divinæ auræ particula vocatur, productum fuisse spiraculum istud, colligimus 1. ex eo, quòd essentia divina sit ἀμέρις & i.e. impartibilis. 2. quòd nec peccatis, nec pœnis infernalibus peccatis debitis sit obnoxia. A DEO itaque, non ex DEO spiraculum istud vitarum (ut propter distinctas facultates in plurali numero sic dicitur) productum & corpori ex gleba terræ formato, ut unum σύνθετον naturale constituetunt, immissum fuisse statuimus. Ad utriusque partis originem Ecclesiastes indicem digitum
p.201 extendit *c.12.v.7.* in hæc verba erumpens: *Pulvis revertitur in pulverem, unde desumtus est: Spiritus redit ad DEUM, qui dedit eum.* Quantum vis autem in terra & de terra conditus fuerit homo, non tamē in terra semper mansisset, sed mutatione status animalis, non per mortem pœnosam, cui post lapsum obnoxius factus est homo, in cœlum translatus fuisset. Mutatione status animalis, inquam, quâ functiones animales, de quibus in aphorismo quinto diximus, exuisset, & spirituales induisset. Comparari quodammodo translatio ista potuisset cum immutatione, quæ futura erit in die novissimo, respectu eorum, quos dies ille vivos deprehendet, præterquam quòd & his peccati stipendium persolvendum sit, & sic immutatio illa morti conformis & analoga, vel potius mors & resurrectio momentanea Theologis videatur. In hoc tamen quòd non exuendi, corporeis vinculis solvendi, sed superinduendi, novis qualitatibus spiritualibus exornandi sint, Primi Parentes, si permansissent in integritate, cum iis, quos dies extremus vivos inveniet, comparari posset. De distinctione hac vide *2.Cor.c.5.v 3,4.*

§. 2. *Usus* aphorismi hujus *in didacticis* esse potest, ut de origine ac fine primorum parentum superstitissent in integriore, certiores esse queamus.

§. 3. *In polemicis*, ut objectionibus Socinianorum & Crypto-Socinianorum, immortalitatem primorum parentū negantium facilius occurrere queamus, usus aphorismi esse potest.

APHORISMUS VIII.

Mors corporalis non est humanæ naturæ conditio, sed oritur ex transgressionis vitio.

SCHOLIUM.

§. 1.

Sensus. Ut justitiam originalem; sic immortalitatem donum supernaturale in

Protoplastis fuisse, Pontificii statuunt: Sociniani verò, cum quibus ex Remonstrantibus nonnulli faciunt, hominem etiam ante transgressionem mortuum fuisse volunt. His refragatur 1. comminatio summi Conditoris *Gen. 2. v. 17. Quâcunq; die comederis de arbore cognitionis boni & mali, morte morieris*, quam etiam πρωτομήτης in colloquio suo cum Satana incolubrato repetit *Gen. 3. v. 3.* Unde sequitur, si Protoplasti repagula divini mãdati non fregissent, quòd mortui non fu-
p.102 issent. 2. Dictum Apostoli *Rom. 5. v. 12. Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & sic mors in omnes homines pertransiit.* 3. Ejusdem Apostoli assertio, quam habet *v. ult. cap. 6.* ad *Rom. Stipendium peccati mors est.* 4. Contentio Catholici destructoris & Catholici Reparatoris, quæ 1. *Cor. 15. v. 21.* habetur: *Ut omnes in Adamo moriuntur: Sic omnes in CHRISTO vivificabuntur.* Ubi παραφυαδικῶς notamus, inter ἀκυρολογίαν & ἀκριβολογίαν in hac controversia esse distinguendum. Quando immortalitatem pro non mortalitate sumimus, ἀκυρολογία est. Non enim præterit nos, differre propositiones: Puer est non temperans, &, puer est intemperans. Prior est infinita ex parte prædicati: posterior æquipollet negativæ: Puer non est temperans. Prior infinita tantùm temperantiam abesse negat; posterior contrarium habitum temperantiæ ponit. Sic in statu integritatis locũ habuit hæc propositio: Adamus est non mortalis. In statu glorificationis: Adamus non est mortalis i. e. Adamus est immortalis. Sed, rebus intellectis, cum plerisque Theologis in verborum usu sumus faciles.

§. 2. Multa quidem, quòd primi parentes è terra fuerint desumti, ex quatuor elementis compositi, comederint, biberint, generarint, vulnerari potuerint, post CHRISTI mortem etiamnum moriantur, aphorismo huic opponi possunt, sed tanti non sunt, ut vel labefactare, ne dicam evertere queant. Quòd enim ex terra desumti & ex quatuor elementis compositi fuerint Protoplasti, potentiam moriendi remotam duntaxat, non proximam innuit. Ut potentiã remotâ labilis; sic etiam mortalis fuit primus homo, quod eventus (proh dolor! docuit. Interim si abstinuisset à peccato, prout abstinere poterat, potentia ista remota in actum traducta minimè fuisset. Inter cibos etiam erat arbor vitæ panacéa & immortalitatis pharmacum. De hac arbore ne post lapsum comederent primi Parentes, & in æternum viverent, per Cherubim accessu illius prohibentur, *Genes. 3. v. 24.* Finis generationis non fuit speciei propter decessum individuorum conservatio, sed individuorum multiplicatio, prout hic terminus in ipsa benedictione divina *Gen. 1 v. 27.* continetur: *Crescite & multiplicamini, & replete terram.* Quòd primi parentes amburi, vulnerari & quocunque tandem modo lædi potuerint, remotam duntaxat potentiam moriendi arguit, quia divina providentia, si perstitissent in integritate, causas ejusmodi læsionum applicari ad hæc subjecta non permisisset. Quod per peccatum in mundum intravit, per CHRISTI mortem est abolitum: sed tamen inter materiale ac formale mortis ac omnium ipsius prodro-p.103
morum, cujusmodi sunt morbi & calamitates vitæ variæ, distinguendum. Materiale mortis est corporis & animæ solutio, quæ piis cum impiis est communis:

formale

formale verò maledictio adhærens, quæ per CHRISTUM à morte credentium est ablata. Sic morborum & omnis generis calamitatum materiale est, quòd ægrè faciant carni: formale rursus est maledictio, quæ per CHRISTUM à piis est ablata. Nec enim mors, nec morbi, nec omnis generis calamitates, quas pii sustinere coguntur, à DEO irato, sed placato, proficiscuntur. Unde mors piorum janua Paradisi & *dulce lucrum* Phil. 1. v. 21. & *pretiosa in conspectu DEI* Psal. 16. v. 15. vocatur. Addo, quòd in comminatione divina per mortem omne id, quod mortis nomine venire potest, mors nimirum temporalis cum suis prodromis & æterna, intelligatur. Mortem æternam morte sua CHRISTUS destruxit, à temporali verò maledictionem abstulit. Cùm Papicolæ immortalitatem donum aliquod supernaturale, post peccatum jam subtractum, volunt, vel ex eo, quòd immortalitas per generationem naturalem in posteros propagata fuisset, si Protoplasti stetissent in integritate sua, refutari potest.

§. 3. *Usus* aphorismi hujus *in didacticis* esse potest, ut fontem & primam scatutiginem mortis & omnium ipsi anteambulonum rectiùs agnoscamus, & CHRISTI meritum, quo destruuntur & abolentur, cariùs æstimemus.

§. 4. *In polemicis* adversus Pontificios, Socinianos & Crypto Socinianos usus aphorismi hujus esse potest.

APHORISMUS XI.

Alius immortalitatis gradus fuit in natura instituta, alius olim erit in natura plenè restituta. Primi hominis immortalitas erat posse non mori: electorum immortalitas olim erit, non posse mori.

SCHOLIUM.

§. 1.

Sensus. Cum statuum diversorum collatio materiam præsentem non parùm illustret, nec hunc aphorismum in scholis Theologicis tritum sicco pede præterire voluimus. Sicut autem res se habet cum peccato: ita etiam cum morte, pœna peccatis debita. In statu confectionis homo poterat peccare & non peccare: in statu defectionis non potest non peccare: in p.204
statu perfectionis non poterit peccare. Pari modò in statu confectionis homo poterat mori & non mori: in statu defectionis non potest non mori; in statu perfectionis non poterit mori. Prior phrasis posse non mori actum; posterior non posse mori potentiam excludit. Potentiam nimirum in actum traducibilem. Ut enim Angeli, qui domicilium suum retinuerunt, in bono confirmati sunt, ne in æternum excidant: ita etiam electi, similes Angelis in bono confirmatis nec peccare, nec mori potuerunt. Quod status intermedios attinet, in statu defectionis vel lapsûs homo necessariò quidem peccat, sed necessitate consequentiæ, positâ naturæ nostræ profundissimâ corruptione: quam etiam ob causam non potest non peccare. Hinc scriptura *mortem viam omnis carnis* vocat 1. *Reg c. 2. v. 2.* In statu refectionis, vel inchoatæ reparationis reatus quidem peccati tollitur, ipsiusq; dominium infringitur, sensus tamen & inhærentia non cessant, quousque Spiritum trahit homo. In tali statu propter

Digitized by Google

peccatum ἐνοικίσατον & παρακείμενον homo quidem necessariò moritur, sed ita tamen, ut formale nimirum maledictio ab ejusdem morte sit sublata, nec mortis aculeum peccatum scil. propter imputatam CHRISTI justitiam sentiat *1. Cor. 15. v. 56.*

§. 2. *Usus* aphorismi hujus *in didacticis* esse potest, ut status hominis etiam quantum ad præsentem materiam benè discernere discamus.

§. 3. *In polemicis* adversus Socinianos & eorum assecias usus esse potest.

APHORISMUS X.

Quicquid excellens de corporibus humanis in hac vita constitutis cogitari potest, primis Parentibus nostris in statu integritatis non defuit.

SCHOLIUM.

§. 1.

Sensus. In corporibus ipsorum & erectam staturam, & extremitatum agilitatem & vultus decorem & impassibilitatem & temperamenti subtilitatem & alia multa veneramur. Quantumvis autem ex his quædam adhuc in posteris occurrant, primis tamen Parentibus in eminentiore gradu adfuerunt omnia. Cùm animalia reliqua natura (naturans) dejecerit ad pastum, hominem erexit ad sidera. Qua de re sic canit Ovidius l. 1. Metam. c. 2.

p. 205 Pronaq; cùm spectent animalia cætera terram,
Os homini sublime dedit, cœlumque tueri
Jussit, & erectos ad sidera tollere vultus.

Sunt, qui staturam giganteam; sunt, qui heroicam Adamo tribuunt. Quantumvis autem gigantea respectu citerioris ætatis, decrescentibus omnibus, videatur monstrosa, talis tamen respectu temporis illius & subsequentium non fuit, quod vel ex cubitis, quibus arca Nohæ mensurabatur, videre licet. Quia verò cultura Paradisi, consequenter etiam labor, sed sine defatigatione, primis Parentibus erat demandata *Genes. 2. vers. 15.* manus articulatissimas, secus ac reliquis animantibus, Conditor benignissimus indulsit. Miramur sæpius opera manuum humanarum subtilissima post naturæ corruptionem, quid de primis Parentibus hîc cogitabimus? Ubi etiam natura provida sui custos, quod uni parti ademit, alteri satis abundè resarciens in admirationem sui nos trahit v.g. quando manibus per naturam carentes tanta pedum agilitate instruxit, ut iis exarare literas, vel acu pingere potuerint: ab origine prima cœcis tantam subtilitatem tactus concessit, ut à triobolari nummulum simplicem vel solo tractu discernere potuerint.

§. 2. Vultus decorem quod attinet, in Adami vultu majestatem, in Evæ summam fulsisse pulchritudinem tam quoad partium proportionem, quàm colorum exactissimam mistionem, ut credamus, haut difficulter adducimur. Si enim post lapsum & viri graves, & fœminæ pulcherrimæ adhuc nascuntur, quid de illo felicitatis statu, bonorum omnium norma, non statuemus? Creationi siquidem hominis *Genes. 1. vers. 2.* subjicitur, quòd DEUS ea, quæ creaverat, viderit valdè bona. Sunt ex Theologis (ut Philippus Nicolai Theologus Hamburgensis in Theoria sua vitæ æternæ l. 1. c. 7, 9.) qui putant, primorum Parentum facies radios de

dios de se sparsisse, cujusmodi spargebat Moses ex intuitu DEI, non tamen in ipsa sua essentia, sed in symbolo duntaxat visi, post lapsum autem instar cadaverum palluisse. Impassibilitas tum ex absentia morborum, qui sunt mortis prodromi, tum calamitatum omnis generis elucescit. Temperamentum in exactissima primarum qualitatum mistione, non ad justitiam duntaxat, sed ad pondus quoque constitisse, vel ex longævitate post lapsum adhuc residua colligimus. Ecquis enim est, quem prætereat, vel ad annorum millenarios Patrum antediluvianorum vitam fuisse productam. Nec per annos intelligendos esse menses, sed annos Solares tum divisio anni suos in menses *Genes.*7.
p.206 *vers.*11. tum successivum decrementum ætatis humanæ post lapsum, tum verba Jacobi, quæ 130. natus annos proferebat coram Pharaone : *Breves & malos esse dies vitæ suæ, nec pertingere ad longævitatem Patrum suorum in peregrinationibus, Genes.*47. *vers.*9. nos docet. Si menses intelligerentur nondum ætatis annos 12. Jacobus tunc confeciisset.

§. 3. *Usus* aphorismi hujus esse potest *in didacticis*, ut felicitatem primorum Parentum, nostram autem infelicitatem rectius agnoscamus.

§. 4. *In polemicis* adversus omnes eos, qui præter dominium in animalia cætera nihil peculiare primis Parentibus præ posteris eorum tribuunt, sed in eodem censu statûs ante ac post lapsum habent, ut sunt Sociniani cum suis complicibus quibusdam Remonstrantibus hujus aphorismi usus esse potest.

APHORISMUS IX.

Detrectans homo DEO condi-tori servitium, amisit in creaturas dominium.

SCHOLIUM.

§. 1.

Sensus. Dominium in animalia reliqua partem fuisse primævæ felicitatis, ipsi quoque Sociniani largiuntur. Fundamentum habet in *cap.*1. *Genes. vers.*28. *Dominamini super pisces maris, super volatilia cæli & super omne animal, quod graditur super terram.* Et, ut dominii signum erat olim nominum impositio, vel mutatio; sic ex eo, quòd primus homo congruentia singulis animalibus nomina imposuerit, jussu licet Creatoris, cui potestatem hanc tulit acceptam, dominium istud infertur. Quantumvis autem inter animalia fuerint magnitudine, ut elephas; robore, ut ursus; ferocitate, ut leo, pardus, tigris præcellentia, nullum tamen ab iis homini tunc erat periculum, sed ad nutum suum illa flectere ac regere, imò cum leone ac pardo veluti catellis Melitæis lusitare poterat. Alia jam rerum facies est post lapsum, cùm vel ad visum quorundam animalium totus contremiscit homo, veritus, ne sibi ab iisdem paretur exitium. Id quod non tantùm experientiâ Magistra discimus, sed etiam exemplis scripturæ, quòd à leonibus & ursis interfecti fuerint homines, informamur. Quantumvis autem mansuetarii feras quasdam, parvas adhuc & à matre interdum rubentes in suam potestatem redactas arte cicurare soleant, magna tamen cum difficultate fieri solet, nec assuefactiones illæ transeunt in habi-p.207
tus, sed manent dispositiones, quia magno cum renisu artes illas exercent, &, nisi flagris

flagris compellantur, ad ingenium facilè redeunt. Interim rudera quædam divinæ imaginis post lapsum adhuc residua tum ex hac mansuefactione, tum animalium grandium v.g. jumentorum regimine (cùm v.g. puerum duodecennem quadrigas equorum ad nutum flectere videmus) cognoscere licet.

§. 2. *Usus* aphorismi hujus *in didactlicis* esse potest, ut differentiam statuum felicitatis pristinæ & præsentis miseriæ rectiùs agnoscamus.

§. 3. *In polemicis* adversus eos, qui dominium nimis deprimunt, usus istius esse potest.

APHORISMUS XII.

Paradisus terrestris non amplius extat.

SCHOLIUM.

§. 1.

Sensus. Inter alias felicitatis primævæ partes fuit etiam domicilium Protoplastorum amœnissimum, Paradisus. Vox Paradisi quibusdam videtur peregrina & Persica, quibusdam Hebræa, quibusdam Græca. Qui volunt esse Hebraicam, ut Pasor in Lexico, ipsius natales arcessunt à voce פַּרְדֵּס Pardés, quæ legitur apud *Ecclesiasten c. 2. v. 5. Nehem. 2. v. 8. & Cant. 4. v 13.* & significat hortum amœnissimum, omnis generis frugiferis arboribus constitum. Vox Pardes autem ex radice פָּרָה i.e. *fructificavit* & חֲרַס i.e. *myrtus* composita videtur. Qui volunt esse Græcum à παραδέω i.e. *circumcingo*, vel concludo derivant, ita, ut hortum diligenter conseptum & conclusum denotet, prout ex Xenophonte Ciceronem vertisse Chytræus in Onomastico suo Theologico p. 311. scribit. In fontibus Hebræis & quidem *cap. Genes 2. v. 8.* locus ille habitationis primis Parentibus concessus גַּן־עֵדֶן & גַּן־בְּעֵדֶן dicitur, quorum prius hortum voluptatis, posterius hortum Eden, loco scil. cujus *Es. 37.* fit mentio, transferunt Interpretes. Per metaphoram significat πᾶ cœleste, beatorum habitaculum, quòd CHRISTUS latroni credenti *Luc. c. 23. v. 43.* promittit: *Hodie mecum eris in Paradiso.* Sic Paulus *2. Cor. 12. v. 2. & 4.* se raptum in tertium cœlum, ubi audiverit ἄῤῥητα i.e. *ineffabilia*, in Paradisum se raptum fuisse dicit.

§. 2. Ad differentiam itaque Paradisi cœlestis & metaphorici nos epitheton terrestris adjecimus. Locus iste ubi fuerit, amicas manus non jungunt Autores. Sunt, qui Paradisi nomine totum globum terrenum; sunt, qui certam ejus partem denotari volunt. Huic sententiæ & nos pollicem premimus, præsertim, cùm Paradiso ejecti primi Parentes nihilomin⁹ incolæ globi terreni manserint. Sed in qua terræ parte fuerint, autores rursus scinduntur, præsertim cùm fluviorum nomina diversimodè interpretantur. Commodior est sententia, quod in Mesopotamia, vel Syria fluviorum, ut Hebræis ista terræ portio vocatur, extiterit. Docent id quatuor flumina convergentia & rursus divertentia Pison, Gihon, Tigris & Euphrates. Per Pison autem & Gihon intelligi non possunt Ganges & Nilus aliquot millibus millenariorum invicem remoti & fontibus oppositis, unus ex septentrione versus meridiem, alter à meridie versus septentrionem pergentes, nec posteriores duos Tigridem & Euphratem contingentes. Si p.208

quis

quis globum terrenum aliam post lapsum faciem induisse dicat, illi reponimus, non tantam tamen, quæ partes toto propemodum hemisphærio dissidentes sedibus suis moverit aut quâ globus terrenus penitus fuerit eversus. In ratiuncula potius infirma, quòd fluvius Gihon per Æthiopiam transiisse dicitur, fons erroris latet. Non tantùm enim istæ partes Africæ, quas hodie Prediosus Johannes tenet, verùm etiam Asiæ pars, quæ pertingit ad sinum Persicum & Arabiæ contermina est, hoc nomine venit. Magis igitur consentanea est eorum opinio, qui Tigridem & Euphratem, priusquam in mare Persicum sese exonerent, confluere, rursumque duobus brachiis, quorum Pison, alterum Gihon vocatur, disjungi, statuunt. Schema in tabulis Geographicis Pomponii Melæ, maximè in itinerario Jacobi Breuningii, Nobilis Würtenbergici, videatur. Positis his, sponte sequitur, locum istum, Paradisum sc. aquis cataclysmi universalis obrutũ non amplius extare, prout etiam isto in loco, quem transeunt hæc flumina; nullum tam fertilis horti & amœni vestigium comparet.

§. 3. *Usus* aphorismi hujus *in didacticis* est, ut veram de Paradiso, in quem collocati erant primi parentes, sententiam teneamus, & Paradisum cœlestem ac terrestrem invicem discernere discamus.

§. 4. *In polemicis* adversus plerosque Pontificios, Paradisum, in quo Henoch & Elias usque ad Anti-Christi adventum detineantur, etiamnum superesse statuẽtes, usus aphorismi hujus esse potest.

p.209 ## APHORISMUS XIII.

Plus in CHRISTO accepimus, quàm in Adamo perdidimus.

SCHOLIUM.

§. 1.

Sensus. Primorum Parentum felicitas erat posse peccare & non peccare; posse stare ac cadere, posse mori & non mori: Electorum felicitas per CHRISTUM parta erit non posse peccare, non posse cadere, non posse mori. Corpora primorum parentum, licet pulcherrima & optimè temperata, ψυχικὰ tamen fuerunt & animalia, functionibus animalibus prædita: electorum verò πνευματικὰ i. e. *spiritualia*, glorificato CHRISTI corpori, quod subtile & agile clausas penetrare fores & ἄφαντον fieri poterat, conformia erunt. *Philipp. 3. vers. ult.* Obstare videtur, quod etiam nobis ogganniunt Pontificii, primos Parentes justitiâ inhæsivâ coram DEO justos fuisse, nos autem statuere, hominem post lapsum justitiâ tantùm alienâ nobis imputatâ, cùm inhærens imperfecta sit, justificari. Verumenimverò, CHRISTUM etiam justitiam inhæsivam numeris omnibus perfectissimam suâ satisfactione nobis acquisivisse, cujus tamen in hac vita duntaxat inchoativè, in futura consummativè participes erimus, omninò docemus. Cur autem plenaria tanti boni possessio in alteram viam differatur, â priori quidem rationes scimus nullas, sed voluntatem facientis ipsam facti rationem putamus, â posteriori tamen à Theologis nonnullis quædam afferuntur, ut profunditatem peccati originalis magis agnoscamus & deplorem⁹, CHRISTI meritum cariùs æstimemus & ad futuram liberationem plenariam, etiam à sensu & inhærentia peccati, ardentius anhelemus.

§. 2. *Usus* aphorismi hujus *in didacticis* esse potest, ut memoriam duorum capitum Adami primi & secundi sæpius nobis refricemus, & quid in isto amiserimus, quid in hoc recuperaverimus, accuratè ponderemus.

§. 3. *In polemicis* adversus dictos Pontificios, qui vilipendium meriti CHRISTI ex nostra sententia, cùm hominem per inhæsivam justitiam coram DEO justificari negamus, elicere conantur; usus aphorismi hujus esse potest.

APHORISMUS XIV.

Adamus Præadamitas excludit.

p.210 SCHOLIUM.

§. 1.

Sensus. Scriptum ἀνώνυμον de Præadamitis ante aliquot annos sparsum fuisse, neminem nostrum præterit. An scopus Autori præfixus fuerit (ut quidem videtur) contemtus principii nostri Theologici, an Brasilianorum, seu habitantium in novis insulis ex Præadamitis derivatio, seu alius quis, in medio jam relinquimus. Quòd autem Adamus, de quo *Genes. 2.* tantùm fuerit Judæorum Parens, & ante ipsum plures homines, quos inter etiam Adami Præceptor, extiterint, refutatur 1. ex eo, quòd non tantùm Abrahæ familia, sed totius οἰκουμένης incolæ *Genes 10. & 11.* ex ipsius lumbis per Noachi posteros deducantur. 2. quòd sexto creationis die, cùm conderetur τὸ πᾶν ηϖὶ ὅλον, ex gleba terræ, unde nomen accepit, formatus fuerit. Eundem verò Adamum esse, de quo primo & de quo *secundo Geneseos capite* agitur, non tantùm ex *v 18. & 20. capitis secundi*, ubi dicitur, quòd Adamus ex gleba terræ formatus solus extiterit, sed etiam *v. 19.* quòd animalibus à DEO creatis in signum dominii convenientia nomina primus imposuerit, & *vers 9.* quòd ab initio, cùm DEUS è terra produxit arbores, conditus fuerit, liquet. 3. ex *cap. 17. Actor. v. 26.* quòd DEUS ex uno sanguine omne genus hominum produxerit. Jam si Adamus, de quo *capite secundo Geneseos* agitur, non esset primus, & tamen ἀμέσως ex gleba terræ, uxor verò ex ipsius costa producta fuisset, non ex uno sanguine omne genus hominum ortum suum traxisset. 4. ex *cap. 15. epistolæ prioris ad Cor.* ubi primus homo vocatur, qui conditus fuit ex gleba terræ *v. 47.* & cui DEUS animam viventem inspiravit *v. 46.* Sed hæc *Genes. 2.* de Adamo dicuntur. 5. ex *cap 5. Rom. v. 12* ubi propter transgressionem unius hominis, de quo *Genes. 2.* mors in omnes homines pertransiisse dicitur. Si verò Præadamitæ plures extitissent, illos reatus peccati Adamitici non potuisset involvere. 6. ex *cap. Gen. 5. vers. 1, 2, 3.* ubi verba, quæ de creatione primi hominis ad imaginem & similitudinem DEI conditi *Gen. 1.* circa finem ad Adamum Sethi parentem accommodantur. Brasilianos & novarum i. e. recens inventarum insularum incolas quod attinet, & ipsi sunt posteri Adami & Noachi post cataclysmum universalem vel tempestate, vel per isthmum, vel per fretum aliquod circa loca suppolaria eò translati & latiùs subinde progressi. Achilles Autoris Præadamitas statuentis est locus Paulinus, qui habetur *c. 5 epistolæ ad Rom v. 13. 14. Usq; ad legem peccatum erat in mundo: porrò peccatum non imputatur, cùm non est lex. Imò regnavit mors ab Adamo usq; ad Mosen, in eos quoque, qui non peccaverant ad*

similitu- p.211

similitudinem transgressionis Adam, qui typum gerit illius futuri. Ubi ἀνώνυμος per legem intelligit legem Adamo latam: per eos verò, qui non peccaverant ad similitudinem transgressionis Adam, Præadamitas. His malas actiones quidem tribuit, sed quæ peccati rationem non habuerint, propterea quòd lex non extiterit. Hos etiam mortuos fuisse dicit, sed ex conditione materiæ, ut bruta, non propter peccatum. Sed est ψευδεπιγραφία Pseudographema gignens. Per legem enim illam *v.13.* non intelligitur lex Adamo lata, sed per Mosen data. Quantumvis autem qui vixerunt ante Mosen, non habuerint legem tabulis lapideis, habuerunt tamen tabulis cordis inscriptam, prout Decalogus ante-Mosaicus ex locis Biblicis facilè colligi posset. Per eos, qui non peccaverunt in similitudine transgressionis Adam, nullatenus Præadamitæ, sed illi, qui non proæreticè, sicut infantes, peccaverunt, intelliguntur. His enim quoque stipendium peccati, mors scil. solvitur.

§. 2. *Usus* aphorismi hujus *in didacticis* esse potest, ut sanam de creatione hominis doctrinam, & primum Parentem, cui & posteris tanta bona credita, per lapsum autem non sibi tantùm, sed & posteris amissa fuerunt, rectè teneamus.

§. 3. *In polemicis* adversus dictum ἀνώνυμον & ejusdem furfuris empæctas plures usus aphorismi hujus esse potest.

Locus VIII.

De

PECCATO.

§. 1.

Vocis peccati Etymologia. Cum ex privatione divinæ imaginis in Protoplastis magna in natura humana secuta fuerit corruptio, non immeritò locum hunc cum proximè præcedente connectimus. Hebræis peccatum חַטָּאת dicitur, à radice חָטָא quæ vel à linea, vel scopo aberrare denotat, prout jaculatores Benjamitæ tam periti dicuntur, ut ne quidem à pilo aberrarint, *Judic.20.v.16.* In Græca lingua nomen ἡ παράπτωμα i.e. prolapsus, ἀπὸ ἡ παραπίπτειν i.e. *à prolabendo, vel excidendo* scil. à norma, vel regula eidem respondet. Opponitur enim τῷ στοιχεῖν κανόνι i.e. juxta regulam incedere, *Gal.6.v.1.& 16.* Latinis peccatum quasi pellicatum à pelliciendo dicitur. Per peccatum autem hoc loco non defectus naturalis, cujusmodi est cœcitas, surditas, mutilatio (quale peccatum originale quidam venditant Pontificii) sed moralis intelligitur. p.212

§. 2. *Definitur peccatum* vel brevius, vel fusius. Brevius à *Johanne c.3. epistolæ prioris vers.4.* ἡ ἁμαρτία ἐστὶν ἡ ἀνομία i.e.

peccatum est exorbitatio à lege. Lutherus: die Sünde ist das Unrecht. Ubi articuli geminatio inter definitum & definitionem dari ἀντιστροφὴν i.e. reciprocationem ostendit. Nec obstat, terminum convenientiæ ac discrepantiæ in una voce concurrere non posse, quod inter terminum simplicem & compositum limitibus accuratis sit disterminandum. Græca lingua in compositione felicissima non tantùm duos hos terminos, sed & oppositos (ut γλυκύπικρον i.e. dulcamarum, ὀξύμωρον i.e. stultè fatuum, σιδηρόξυλον i.e. lignum ferreum) unâ voce complecti potest.

§. 3. *Genus* itaque in particula στερητικὴ α (cùm secundum Philosophum στερήσεων ὕσια sit ἀπυσία) differentia in voce ἔ νόμυ i.e. lege, tanquam objecto consistit. Eadem ratio est alterius definitionis, quam *Joh.* habet *c.5. prioris hujus epistolæ, vers.17.* ἡ ἁμαρτία ἐστὶν ἡ ἀδικία i.e. peccatum est injustitia, Luth. Die Sünde ist die Untugend. Genus & hîc in particula privativa α. differentia in voce δίκης i.e. justitiæ consistit. Ubi tamen per δίκην non justitia particularis, sed universalis, quæ complexus est virtutum omniũ, quatenus foras progrediuntur ad proximum, secundum istud Theognidis,

Ἐν ᾗ δικαιοσύνη συλλήβδην πᾶσ' ἀρετή ἐστι,

i.e. Justitia in sese virtutes continet omnes,

significatur. Quam etiam ob causam Lutherus die Untugend reddidit.

§. 4. Fusius definitur peccatum, quòd sit defectus, vel inclinatio vel actio pugnans cum lege DEI, offendens DEUM, damnata à DEO & faciens reos æternæ iræ & æternarum pœnarum, nisi fiat remissio propter Filium Mediatorem. Voce defectus ad carentiam justitiæ originalis, voce inclinationis ad cõcupiscentiam, voce actionis ad actualia peccata respicitur. Verbis sequentibus, quòd DEUM offendat, justitiam in DEO vindicativam esse, cui adversetur peccatum, nec à simplici tantùm voluntate DEI, an actus aliquis peccatum sit, an secus, sed à modificata, quatenus cum justitia DEI concurrit, pendere docetur. Justitiam hanc DEO essentialem esse lex ipsius speculum, de qua, *donec cœlum & terra transeant, nec jota, nec apex unus in terram decidere dicitur Matth. 5. vers.* 18. Quod damnetur à DEO, & reos faciat æternæ iræ & æternarum pœnarum, infi- p.213
nita scripturæ loca, præprimis, qui habetur *Gal.3.v.*10. desumtus ex *Deut cap.27. v.ult. Maledictus omnis, qui non permanserit in omnibus verbis legis*, probant. Ut enim DEI dicere est facere: Sic maledictionis nomine pœnæ cùm temporales, tum æternæ veniunt. Interim CHRISTI merito reatum peccati tolli, ex omnibus iis scripturæ locis, in quibus CHRISTI meritum & peccatum vel etiam lex sibi opponuntur, discimus, ut *Roman.3. v.23.24. Omnes peccaverunt, & destituuntur gloria DEI. Justificamur autem gratis, per illius gratiam, per redemtionem, qua est in Christo JESU, quem DEUS proposuit propitiatorium per fidem in sanguine ipsius. Rom.8.v.1. Nulla condemnatio est his, qui sunt in Christo JESU. Et v.3. Quod impossibile erat legi, siquidem per carnem infirmabatur, hoc DEUS, Filio suo misso in similitudine carnis peccatricis præstitit, ac de peccato condemnavit peccatum per eandem, ut jus legis compleretur in nobis. 2.Cor.5.v.ult. Eum, qui non noverat peccatum, DEUS*

pro

pro nobis fecit peccatum, ut nos efficeremur justitia DEI per illum. Gal. 4. v. 4. Cùm veniret plenitudo temporis, misit DEUS Filium suum natum ex muliere & sub legem factum, ut eos, qui sub lege erant, redimeret, & nos adoptionem filiorum acciperemus. Inprimis ad *Galat. 3. vers. 13. 14. Christus nos redemit à maledictione legis, factus pro nobis maledictum (sicut scriptum est, maledictus omnis, qui pendet in ligno) ut in gentes benedictio Abrahæ veniret per Christum Jesum, & promissionem Spiritus acciperemus per fidem.*

§. 5. *Divisio.* Peccatum variis modis dividitur, & primò quidem quòd vel originale sit, vel actuale. Ubi notetur, peccatum originale vel esse originans, vel originatum. *Originans* est *peccatum*, vel transgressio primorum Parentum sic dicta, quod peccatorum omnium sit origo, de quo, cùm fuerit actuale, suo loco dicemus: *Originatum* est, quod ab origine prima nobis adhæret, & nobiscum connascitur. Hoc iterum vel brevius, vel fusius definitur. Brevius ab Anshelmo, qui vixit circa confinia seculi undecimi & duodecimi, quòd sit carentia justitiæ originalis. Verùm, quia justitiam originalem donum aliquod extrinsecum & supernaturale statuerunt Scholastici, apologia Confessionis Augustanæ definitioni huic addit pravam concupiscentiam, ita, ut peccatum originale sit carentia justitiæ originalis cum prava concupiscentia. Si statuissent justitiam originalem donum aliquod connaturale, cujus absentia corruptionem horribilem in naturam introducat, isti definitioni pollicem premere possemus. Præterquam enim quòd naturam corrumpat, etiam privatio est boni inesse debiti. Fusius definitur, quòd sit vitiositas hæreditaria, quâ propter transgressionem primorum Parentum omnes ex iis naturaliter propagati, p. 114 aut propagandi utriusque mali tum culpæ, tum pœnæ rei efficiuntur.

§. 6. *Genus.* Generis loca assignatur vitiositas hæreditaria, & quidem vitiositas non naturalis, sed moralis; non imitatione (quod olim volebant Pelagiani) sed generatione acquisita. Non enim μιμήσει i.e. imitatione, sed τῇ φύσει i.e. naturâ dicuntur iræ filii *Ephes. 2. v. 3.* Vox naturaliter generatis & generandis additur, ut eximatur CHRISTUS, qui præter rerum seriem non ex consuetudine Viri & mulieris, sed ex sola Virgine obumbratione Spiritus S. natus est. Debebat enim summus Sacerdos noster esse κεχωρισμένος ἀπὸ τῶν ἁμαρτωλῶν i.e. *segregatus à peccatoribus, Hebr. 7. v. 26.* ne quis ipsi tritum istud *Luc. 4. v. 23. ἰατρέ, θεράπευσον σεαυτόν* i.e. *Medice cura teipsum*, objicere potuisset. Massam itaque illam sanguinis Mariæ, ex qua λόγος sibi templum constructurus erat, Spiritus S. ab omni peccati labe ac tabe purgavit. Nec reatus peccati Adamitici CHRISTUM involvere potuit, quia non fuit in lumbis Adami ex sequela naturæ, sed ex promissione, non ut φιλάνθρωπος, sed ut θεάνθρωπος, & per conseqq. Dominus legis, quem nulla lex obligare potuit, non ut ægrotus, sed ut futurus Medicus. Nec malum tantùm pœnæ est, quod iterum volunt Pontificii quidam, sed etiam culpæ, quia defectus hic boni moralis inesse debiti nos facit reos & abominandos coram DEO, ipsiusque iram adversus nos provocat, *Ephes. 2. vers. 3.* Pontificii, cùm circa peccatum originale scindantur

invicem diversis opinionibus, ut tamen sub generalibus phrasibus latere queant, à definitione peccati originalis in Concilio Tridentino consultò abstinuerunt.

§. 7. *Peccatum actuale* est omne dictū, aut factum, cogitatum, aut concupitum, quo malum committitur, & bonum ommittitur. Hanc definitionem, ex Augustino desumtam, quidam Pontificii peccatum omne voluntarium statuentes pro genetali definitione peccati venditant, sed est tantùm peccati actualis. Ut peccatum, ita concupiscentia in originalem & actualem dividitur. Concupiscentia originalis est pronitas, aut proclivitas ad peccandum. Actualis suos habet gradus, suggestionem (inescationem) quando alicui prava cogitatio subrepit, delectationem & consensum. *Jacobi* 1. *v.* 14. 15. Prima concipit, secunda gerit uterum, tertia parit peccatum scil. mortem spiritualem gignens. Sic Davidi suggerebat caro: Quod si consuesceres cum fœmina tam pulchra? Cui motui supprimendo accedebat delectatio: Jucundum es-
p. 215 set consuescere cum fœmina tam pulchra. Tandem etiam consensus: Consuescam. Quantumvis autem dubium nullum sit, ex tot illecebris Josephum etiam sensisse motum primum, sed tamen ne pertingeret ad gradus ulteriores, in favilla, quod dicitur, Spiritus Sancti auxilio extinxit. Sic πρωτομήτης etiam motum istum primum (verùm non ἔνωθεν i.e. ab intra à corrupta carne, ut nos post lapsum, sed ἔξωθεν i.e. ab extra per suggestionem Satanæ incolubrati (sentiebat, quod si comederes de hoc fructu, quem facilius supprimere tunc potuisset, quàm ullus ex postgenitis, sed ex abusu liberi arbitrii delectata fuit hisce cogitationibus & tandem in factum ipsum consensit. Alii, rebus iisdem permanentibus, ex *cap. 7. epistolæ ad Romanos*, concupiscentiæ gradus in sensum & consensum, & hunc rursus in semiplenum, cui delectatio respondet, ac plenum dividunt. Alii rursus, mutatis tantùm terminis, concupiscentiæ motus in primos & secundos; primos autem in primo-primos, ut sunt suggestiones, & secundo-primos, ut sunt delectationes, dividunt. Concupiscentia originalis præcepto decimo, actualis nono prohibetur.

§. 8. De motibus primo-primis, sive sensu peccati, an ad originale, an actuale peccatum pertineat, consequenter, an præcepto decimo, an nono prohibeatur, in scholis Theologorum disquiritur. Tenendum autem motus istos primo-primos vel formaliter, vel signotenus considerari. Si formaliter, peccata sunt actualia, quibus etiam definitio peccati actualis jam allata competit. Si verò signotenus, quatenus nobis profunditatem peccati originalis (quod νόθῳ τινὶ λόγῳ i.e. spuriâ quâdam ratione cognoscitur, ut Plato de materia prima locutus fuit, & per transennam tantùm inspicitur) manifestat, ad peccatum originale refertur. Respectu priore præcepto nono, posteriore verò decimo prohibetur.

§. 9. Peccatum actuale variis mōdis dividitur. Inter alias autem divisiones primas sibi transscribit, quòd peccatum actuale vel mortale sit, vel veniale. Peccatum mortale est, quod dominatur in non renatis, quando scil. voluntariè contra conscientiam cupiditatibus carnis obediunt. Veniale, quod in renatis ex infirmitate oritur, cui tamen virtute Spiritus

Spiritus S. reſiſtunt, nec deſideria carnis perficiunt. Tenendum autem hîc, diſtinctionem hanc non tam ex natura peccatorum, quàm peccantium diverſitate fluere. Sunt enim ſubjecta peccantia vel regenita, vel irregenita. In illis, cùm ſint in ſtatu gratiæ, peccata fiunt venialia: in his, cùm gratia exciderint, ſunt mortalia. Tenendum etiam, omne peccatum ſuâ naturâ eſſe mortale, cùm ſit ἀνομία, p.216 i. e. transgreſſio legis. Transgreſſoribus autem legis maledictio habetur ſecundum illud Apoſtoli, *Galat. 3. verſ.* 10. Maledictus omnis, qui non permanſerit in omnibus verbis legis. Peccatum autem mortale fit veniale CHRISTI merito, cùm ſcil. peccator CHRISTI meritum verâ fide apprehendit. *Nulla enim condemnatio eſt his, qui ſunt in CHRISTO JESU, Roman. 8. verſ.* 1. Quantumvis autem omne peccatum, excepto peccato in Spiritum Sanctum ex eventu poſſibili ſit veniale, cùm remitti queat, ex eventu tamen actuali peccata duntaxat infirmitatis, ut ſunt motus primo-primi, quibus virtute Spiritus Sancti reſiſtimus, venialium nomine veniunt. Nec enim per ejusmodi motus gratia, fides & Spiritus Sanctus amittitur. Motus ſecundo-primos quod ſpectat, iisdem quidem Spiritus Sanctus contriſtatur, non tamen penitus excutitur, ſi præſertim è veſtigio pœnitentia ſequatur. Motibus autem ſecundis, multò magis ipſis actibus Spiritus Sancti gratia & fides amittuntur.

§. 10. Hæc contradiſtincta ſibi peccata, prout in diverſis circulis ſpectantur, diverſa ſortiuntur nomina. In circulo juſtificationis mortalia & venialia; in circulo ſanctificationis regnantia & imperfectionis dicuntur. Non parùm hîc Pontificii & Calviniani à nobis abeunt. Pontificii quædam peccata tam parva & exilia volunt, ut ſuâ naturâ veniam mereantur, cujusmodi ſunt vel ex ſuo genere, ut verbum ocioſum, vel ex ſubreptione, ut peccata præcipitantiæ, vel ex imperfectione actus, ut motus primo-primi, vel ex objecti vilitate, ut furtum unius obuli, aut aciculæ: quæ ut in confeſſione propter ſatisfactiones imponendas exprimantur, neceſſarium non ducunt, ſed peculiaria remedia v. g. formationem crucis, adſperſionem aquæ luſtralis, pulſum cordis, Euchariſtiam, orationem Dominicam & alia ſequenti verſ. comprehenſa:

Confiteor, tundo, conſpergor, conteror, oro,
Signor, edo, dono, per quæ venialia pono.

iisdem opponunt. Verumenimverò, licet ambabus manibus gradus peccatorum concedamus, nec paradoxum illud Ciceronis, omnia peccata eſſe patia, probemus, hoc tamen, quod omne peccatum maledictionem & mortem cùm temporalem tum æternam mereatur, πύξ καὶ λάξ propugnamus.

§. 11. Quia verò peccatorum dantur gradus, etiam pœnarum in vita futura gradus dabuntur. Adductas ſpecies peccati ſuâ naturâ venialis quod concernit, utique verbum ocioſum, de quo reddenda eſt ratio in noviſſimo die *Matth. 12. verſ. 36.* peccatum eſt mortale: peccata præcipitantiæ & motus primo-primi cum p.217 ſint ἀνομίαι & lege prohibeantur, iisdem ſtipendium eriam peccati debetur. In furto non objecti vilitas, ſed ſummi Legislatoris majeſtas ſpectanda venit. Fructus primis Parentibus prohibitus, ſive pomum

pomum, sive ficus, sive quis alius fuerit, res vilis fuit, sed tamen ipsius rapt⁹ totum genus humanum exitio cùm temporali, tum æterno involvit. Calviniani vi suarum hypothesεων de absoluto decreto prædestinationis omnia electorum peccata ex eventu actuali (sic, ut per eadem, licet enormissima fuerint, nec fidem, nec Spiritum S. nec gratiam DEI amittant) venialia statuunt.

§. 12. Peccatum ulterius, quod vel remissibile, vel irremissibile, dividitur. De remissibili diximus hactenus: jam de irremissibili quoque nonnihil subnectemus. Vocatur hoc peccatum in Spiritum S. ex *Matth. 12. v. 31, 32. Omne peccatum & omne convitium remittetur hominibus at convitiũ in Spiritum S. non remittetur hominibus. Et quicunq; dixerit verbum adversus Filium hominis, remittetur ei: qui autem dixerit adversus Spiritum S. non remittetur ei: neq; in præsenti, neq; futuro seculo.* Et ex *c. 10. epistolæ ad Hebræos v 29. Quanto putatis pejoribus afficiendum supplicis, qui Filium DEI conculcaverit, & sanguinem Testamenti, ceu rem profanam habuerit per quem fuerat sanctificatus, & Spiritum gratiæ contumeliis affecerit.* Quibus consonat *cap. 6. hujus epistolæ ad Hebræos vers. 4. Fieri non potest, ut, qui semel fuerint illuminati, gustaverintq; donum cœleste, & participes facti fuerint Spiritus S. gustaverintq; bonum DEI verbum ac virtutes futuri seculi: si prolabantur, denuò renoventur per pœnitentiam ab integro crucifigentes sibimetipsis Filium DEI ludibrio exponentes.* Nominis autem id tulit hoc peccatum, ut dicatur in Spiritum S. non tam quòd personam Spiritus S. (nec enim contra Spiritus Sancti tantùm, sed & Patris ac Filii justitiam fertur) sed quòd officium illius, mentium scil. illuminationem per organa Spiritus verbum & Sacramenta perficiendam impugnet. Idem etiam peccatum blasphemiæ ex citato loco *Matth. 12.* dicitur. Cùm Salvator inquit: *Si quis blasphemiam dixerit adversus Spiritum S.* ceu faciebant tum temporis Pharisæi, Spiritum S. per quem CHRISTUS dæmonia ejiciebat, Beelzebub vocantes. Et ex citato *cap. 10. epistolæ ad Hebræos* quod tale peccatum committentes Spiritum gratiæ contumeliis afficiant. Irremissibile vocatur, non tam ex defectu gratiæ, quàm qualitate culpæ, quæ sic comparata est, ut omnem pœnitentiæ aditum intercludat, & omnia salutis media excludat. Augustinus persuasum habuit, impœnitentiam finalem hoc nomine venire: verùm præterquam quòd impœnitentia finalis tantùm sit unum ex requisitis hujus peccati, & hâc ratione omnes, qui finaliter impœnitentes ex hoc mundo discedunt, peccatum in Spiritum S. commisisse, dicendi essent, formale peccati hujus ipsâ suppeditante scripturâ, sic illud definimus. p. 218

§. 13. Peccatum in Spiritum S. est malitiosa veritatis agnitæ abnegatio, blasphematio, oppugnatio & omnium salutis mediorum abjectio. In hac definitione requisita non divisim, sed conjunctim sumenda sunt, Ita ut si desit unum, in tale peccatum nomen hoc quadrare nequeat. Sic Paulus quidem veritatem salvificam oppugnavit, sed non agnitam. Petrus Salvatorem quidem & ipsius doctrinam agnitam abnegavit, sed tamen non malitiosè, sed ex metu, nec in hoc peccato perseveravit, sed pœnitentiam egit.

egit. Multoties etiam usu venire solet, ut, qui propter lucella hujus mundi momentanea, vel propter vindictæ studium, vel alias ob causas agniram veritatem malitiosè abnegarunt, blasphemarunt & oppugnarunt, ad frugem tamen redeant, & pœnitentiam agant. Rursus, qui fidei suæ tenaces quidem permanserunt, sed in alia peccata prolapsa fuerunt, finaliter impœnitentes ex hac vita discedant. De his omnibus, quòd peccatum in Spiritum S. commiserint, dici nequit, cùm unum atque alterum requisitum seorsim sumtum naturam hujus peccati non exhauriat. Per media salutis & acquisitionis & applicationis media intelliguntur. Medium acquisitionis est CHRISTUS cum suo merito, quem taliter peccantes conculcare, sanguinemque ipsius, quo sanctificati sunt, ceu rem profanam habere solent. Applicationis est bonum DEI verbum tam audibile, quam visibile, quod ita prolabentes prius gustarunt. Verba itaque *capitis 6. Hebræos ab integro crucifigentes sibimetipsis Filium DEI & ludibrio exponentes* reduplicativè sunt intelligenda, quàm diu scil. tales permanent, impossibile est, ut per pœnitentiam renoventur.

§. 14. Peccatum hoc committunt non tantùm, qui deficiunt ab alia religione, aliisque cœtibus se jungunt, sed etiam, qui veritatem agnitam αὐτοκατάκριτοι & in foro conscientiæ causâ dejecti nihilominus blasphemant & impugnant, prout Christus Pharisæos aliud in cordibus suis edoctos, & nostrates Jesuitas & alios hæreticos contra conscientiam doctrinam nostram impugnantes peccati hujus postulant. Quantumvis à priori quoque judicium de hoc peccato ferri queat, quòd scil. DEUS antegressos gradus induratione punire velit: probabile tamen saltem est: tutissimum autem à posteriori, finali sc. impœnitentia, desumitur.

APHORISMUS I. p. 219

Fuit Adam & in illo fuimus omnes: periit Adam & in illo periimus omnes.

SCHOLIUM.

§. 1.

Ens. Accidentia personarum in sobolem non propagari, circumfertur in scholis Philosophicis, & experientiâ stabilitur. Nec enim à doctis doctos, à bonis bonos, à malis malos, sed sæpiùs, ordine verso, rudes & stupidos à doctis, improbos à bonis, bonos à malis procreari videmus. Sic bonus Hiskias impium Manassen, sic impius Ammon Josiam bonum generabat. Quî fit igitur, dixeris, quòd propter Adami transgressionem omnes peccatores nascamur? Habendum autem Adamum h. l. non ut personam singularem, sed ut speciem monadicam, vel, cum sua compare, binariam, & sic, ut fontem & radicem totius humani generis considerari. Est autem species monadica (Philosopho καθ' μόνην φύσιν) quæ in unico conservatur individuo, quo destructo, etiam destructa fuisset species, cujusmodi est Phœnix, si daretur in rerum natura, Sol, Luna, terra &c. Ita etiam cum Adamo, priusquam jungeretur ipsi costa, res se habuisset. Adjunctâ vero causâ sociâ divinitus ad generationis opus destinatâ, quæ cum Viro fuisset una caro,

nec una citra combinationem cum altera, genus humanum propagare potuisset, species binaria evasit. Quare peccatum hoc ipsum non ut personale, sed naturale hîc loci venit considerandum. Si primus aliquis ex Adami posteris peccâsset, tunc res aliter se habuisset. Licet enim inclinationes ad virtutes & vitia, cujusmodi describuntur ab Ethicis, tunc propagatæ fuissent in sobolem, non tamen habitus, nec semper, sed aliquàndo duntaxat. Accedit, quòd Adamus dona pro se ac posteris acceperit. E. non sibi tantùm, verùm etiam posteris perdiderit. Quare cùm creatus ad imaginem & similitudinem DEI per peccatum hoc ingens bonum amiserat, non ad DEI, sed *ad suam imaginem filios generåsse* dicitur, *Genes.5.v.1.2.* Ex hoc fonte Paulus *Rom.5.v.12.* derivat peccatum, cùm inquit: *Per unum hominem* (tanquam principium generationis activum) *peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & sic mors in omnes homines pertransiit*, ἐφ' ᾧ i.e. *in quo*, vel quatenus *omnes* (in ipsius lumbis latentes) *peccaverunt.* Eramus enim nos omnes velut unus ille homo. Ejusdem capitis *vers.19. Sicut per inobedientiam unius multi* (quos versiculo proximè connexo dixerat omnes) *peccatores constituuntur*; *Sic per obedientiam unius justi constituuntur multi.*

p.202

§.2. *Usus* aphorismi hujus *in didacticis* est, ut fontem omnis peccati & mali (quæ coram gentilibus est occulta sapientia) rectiùs agnoscamus, deploremus & ad gratiæ thronum confugiamus.

§.3. *In polemicis* adversus Pontificios extenuantes & Socinianos ac Arminianos quosdam vel ex hoc ipso fundamento, quòd accidentia non transeant in sobolem, peccatum originale negantes, usus aphorismi hujus esse potest.

APHORISMUS II.

Peccatum est infiniti boni offensa infinita.

SCHOLIUM.

§.1.

Ensius. Peccatum non tantùm contra voluntatem DEI, verùm etiam contra justitiam ejus essentialem ferri, supra in evolutione definitionis diximus. Ideo non tantùm aberrat à voluntate DEI, sed ipsum summum & infinitum bonum offendit. Ut autem peccatum æstimatur ex objecto, in quod fertur, prout plus est lædere Principem, quàm hominem vilem & abjectum: Sic peccatum, quod infinitum lædit, infinitam etiam pœnam meretur. Non itaque peccato remedium aliud, quàm Satisfactor infinitus, qui λύτρον ἰσόρροπον justitiæ divinæ infinitæ peccatis nostris læsæ persolvere posset, opponendum erat. Hic enim intensivè vel intra breve temporis spaciũ sustinere potuit, cui extensivè ferundo totum genus humanum nec fuit, nec erit. Acceptillationi, quasi DEUS quid pro quo accipiat, imperfectam obedientiam pro perfecta, ut Creditor aliquis ab exhausto debitore 10. pro 100. accipit, locus hîc nullus. *Nec enim jota, nec apex de lege in terram cadet, priusquam cœlum & terra transierit, Matth.5.v.18.*

§.2. *Usus* aphorismi hujus *in didacticis*, ut quid peccatum sit coram DEO, & quod ipsi opponendum sit remedium, probe sciamus.

§.3. *In*

§. 3. *In polemicis* adversus omnes eos, qui peccatum extenuant, & peccata quædam suâ naturâ levia & venialia statuunt, peccatilla ipsis dicta, ut sunt Pontificii & Sociniani, vel etiam pomi, aut ficûs raptum tantam pœnam non promeruisse, volunt, minus attendentes legislatoris majestatem & infinitatem, usus aphorismi hujus esse potest.

p.221 APHORISMUS III.

Totus homo inversus est Decalogus.

SCHOLIUM.

§. 1.

S*Ensus.* Dictum hoc est Megalandri Patris *Lutheri*, quod ebuccinatoribus virium humanarum post lapsum in spiritualibus, ac si homo legem non tantùm implere, verùm etiam opera supererogationis facere posset, opposuit. Ut autem totum Decalogum tabulis cordis inscriptum transgressione suâ læserunt Protoplasti; Sic ipsorum posteri sub peccatum venundati non ἀνόμως duntaxat, sed & ἀντινόμως sese ostendunt. Quanquam enim aliquis non omnibus in Decalogo contentis præceptis apertè contravenit, tenendum tamen eum, *qui vel in uno impegit, reum esse omnium, Jacobi 2. vers.* 10. Quòd autem peccatum Adami non fuerit leve, (ut persuasum sibi habuit Pontifex R. Julius III. super assi pavonis reliquiis devoratis tam graviter incandescens ut hæc in verba erumperet: Si DEUS super unius pomi raptu tantopere succensuit primis nostris Parentibus, quid mihi DEI vicario super hujus assi pavonis raptu non faciendum?) vel ex eo, quòd contra tabulam Decalogi utramque peccaverit, dilectionem DEI & proximi, ab illius mandato deficiendo, suosque posteros omnes exitio cùm temporali, tum æterno involvendo, violaverit luce meridianâ clariùs apparet. Hinc *omne figmentum cordis humani tantùm malum omni die* dicitur, *Gen 3. v. 5.*

§. 2. *Usus* aphorismi hujus *in didacticis* est, ut peccatum primum Protoplastorum, &, quod inde profluxit, nostrum non leve censeamus.

§. 3. *In polemicis* adversus dictos Antagonistas, Pontificios, Socinianos & Remonstrantes usus aphorismi hujus esse potest.

APHORISMUS IV.

Peccatum originale non est figmẽtum Augustini.

SCHOLIUM.

§. 1.

S*Ensus.* Sociniani, cum quibus eodem socco saltant quidam ex Remonstrantibus peccatum vilipendentes Augustini figmentum appellitant: Anabaptistæ cum eccentricis & concentricis circulis Mathematicorum comparant. Ut enim hypothesibus illis, sive ὄντως se ita habeant, sive secus, Mathematici multum superstruunt, & exinde apparentem motuum cœlestium inæqualitatem salvant: Ita p.222
Propugnatores peccati originalis huic hypothesi de originali peccato multum superstruere, & exinde magnam Theologiæ suæ partem, præsertim in articulo de justificatione & sanctificatione hominis deducere volunt. Esto autem terminum peccati originalis, ut ex latibulis commodiùs extraherentur Pelagiani, temporibus

Augustini cœpisse, vel etiam ab eodem fuisse inventum, res ipsa tamen in scriptis tum V. tum Nov. Test. continetur. Quomodo primi Parentes perdiderint imaginem divinam, cùm trepidantes & conspectum conditoris optimi maximi fugientes latibula quæsiverunt, cùm se nudos deprehenderunt, cùm bonum & malum experimentaliter in semetipsis cognoverunt, cùm morti & ipsius prodromis ac pedissequis addicti & è Paradiso ejecti fuerunt ex *cap. Gen. 3. versiculis pluribus* discimus. Hinc ad imaginem & similitudinem DEI conditus Adam, non ad DEI, sed ad suam imaginem filium Sethum generâsse dicitur *Gen. 5. v. 1. & 2.* Sic Psalmographus regius *Psal. 51. v. 7.* in iniquitatibus se conceptum & genitum conqueritur. Divina majestas transgressores ab utero vocat *Es. c. 48. v. 8.* In Novo Testamento Salvator, *quicquid de carne natum est, carnem* dicit *Johan. 3. v. 6.* Paulus autem *Eph. 2. v. 3.* nos τῇ φύσει i.e. *naturâ filios iræ* nuncupat.

§. 2. *Usus* aphorismi hujus *in didacticis* est, ut occultam hanc sapientiam de originali peccato rectè teneamus, & doctrinæ hujus tenaces simus.

§. 3. *In polemicis* adversus dictos hostes gratiæ Pelagianos, Semipelagianos, Pontificios, Socinianos, Catabaptistas, Remonstrantes, usus aphorismi hujus esse potest.

APHORISMUS V.

Prius incipit macula, quàm vita.

SCHOLIUM.

§. 1.

Sensus. Ne quis circa terminum, à quo peccatum originale incipiat, dubius hæreat, *Ambrosius* Ecclesiæ Mediolanensis Episcopus, ex Quatuor-Viris Latinis unus prius incipere maculam, quàm vitam dicit. Quod ipsum scripturis omninò consonum est. *Quis enim dabit mundum ex immundo? Jobi 14. v. 4.* Latinus Interpp. habet: *Quis dabit mundum ex immundo conceptum semine?* Quæ versio fontem exponens Pontificiis in disputatione πρὸς ἄνθρωπον commodè p. 223 potest opponi. Quod si jam semen ipsum hominis, ἀρχὴ σωματικὴ καὶ ψυχικὴ, vel compendium hominis, vi cujus imago divina propagata fuisset, si primi Parentes in statu integritatis permansissent, hoc bono caret, non nisi cum carentia justitiæ originalis existentem propagare potest hominem. Licet etiam homo primùm vivat vitam plantæ in utero matris, deinde animalis, tandem hominis, peccato tamen statim ab initio conceptionis propter deformitatem & abominationem coram DEO infectus est. Hinc Ambrosius maculam ex subtractione tanti ornamenti, sed connaturalis ab initio creationis & inesse debiti ortam peccatum vocat. Et quod homo non amplius habuit, in sobolem transfundere non potuit. Cui loco & alia in scholio aphorismi præcedentis allata v.g. quod *in peccatis concepti & nati simus Psal. 51. vers. 7.* quod *transgressores simus ab utero, Es. 48. vers. 8.* quod *caro de carne simus Johan. 3. vers. 6.* & *naturâ filii iræ Eph. 2. v. 3.*

§. 2. Aphorismi hujus *usus in didacticis & polemicis* idem, qui præcedentis esse potest.

APHORISMUS VI.

Non nascuntur, sed fiunt Christiani.

SCHO-

SCHOLIUM.

§. 1.

Sensus. Aliis etiam verbis efferri potest hic aphorismus. Non ex generatione, sed regeneratione, quòd Christiani simus, habemus. Generatio enim nostra immunda est, & nisi per baptismum, primam gratiæ portam, regeneraremur, non possemus ingredi regnum cœlorum, *Johan. 3. v. 5.* Quorsum faciunt omnia ista scripturæ dicta, quæ quòd à prima nativitate peccato infecti & iræ filii simus, nos convincunt. Licet enim Parentes per fidem justificati fuerint, quia tamen hoc ex gratia fuêre consecuti, generatio verò secundùm naturam, non gratiam fit, ideo beneficium hoc in posteros non propagatur. Sic licet triticum, quod in terram spargitur, folliculis suis exuatur, triticum tamen iisdem involutum rursus producit, quia purgatio, vel segregatio ista non est à natura, sed arte. Sic circumcisi præputiatos, quibus circumcisione opus erat, generabant. Respiciens hûc Lutherus talem simplicioribus invitandi Sponsores formulam præscribit: **Demnach mir GOtt einen jungen Heyden beschehret/ bitte ich/ ihr wollet ihn helffen zum Christen machen.** Ne tamen quis in eundem prorsus censum Christianorum & Paganorum liberos conjiciat, tenen-
p. 224 dum, hoc privilegio Christianorum liberos præ liberis gentilium gaudere, quod illi jus immediatum habeant ad Sacramentum initiationis baptismum, illi prius fieri debeant catechumeni, nisi in potestatem nostram plenariam pervenerint. Quare cùm nobis gratulamur, quòd in medio Ecclesiæ gremio nati simus, sic & accipiendum, quòd Christianis Parentibus nati simus & jus immediatum ad primam gratiæ portam ab iisdem acceperimus, cùm per hanc ipsam demum in Ecclesiam, cujus cives tunc scribimur, & regnum cœlorum ingrediamur. Abyssini tales liberos Christianorum nondum baptizatos Semi-Christianos vocant.

§. 2. Hæc ut capiantur exactiùs, sanctitatem vel esse spiritualem, vel fœderalem, vel Ecclesiasticam, tenendum. Non de sanctitate spirituali (quam nemo Christianorum liberis, nisi extra ordinem in utero matris exemplo Johannis Baptistæ Spiritu Sancto impleantur, ante Sacramentum initiationis facilè tribuet) sed fœderali & Ecclesiastica hîc controvertitur. Sunt enim, ut inferiùs audiemus, qui liberos Christianorum parentium statim ab utero matris, priusquam adhuc baptizentur, in fœdere ac gratia DEI esse statuunt, ita, ut per baptismum, tanquam per signum, hoc tantum declaretur. Id quod rectiùs sentientes, locis præsertim *Johan. 3. vers. 6.* & ad *Ephes. 2. vers. 3.* compulsi negant, & sanctitatem duntaxat Ecclesiasticam, i.e. jus immediatum ad primam gratiæ portam absque prævia informatione iisdem competere dicûnt. De hac sanctitate locus Apostoli *Rom. 11. vers. 16. Si sancta est radix, sancti etiam sunt rami,* uti & *1. Cor. 7. vers. 16.* Nunc autem liberi vestri sancti sunt, venit intelligendus. Jus hoc vocavimus cum Theologis nostris immediatum, quia mediatum, quod fit interveniente informatione, si quis scil. prius fiat Catechumenus, antequam ad baptismum admittatur, omnib⁹ hominibus competit, vi dicti Salvatoris *Matth. 28. v. 19. Euntes docete omnes gentes & baptizate eos in nomine Patris &*

Filii & Spiritus S. Sic obſervatum fuit apud Judæos, ut ex circumciſis nati circumciderentur, ſi voluiſſent inſeri fœderi cum DEO. *Maſculus enim octo dierum* (neceſſitatis caſu excepto) *qui non fuerit circumciſus, ipſius anima ex populo DEI erat exterminanda, Geneſ. 17. verſ. 14.* Quare inter promiſſionem & promiſſionis applicationem, quando divina Majeſtas inquit dicto *cap. 17. v. 7. Ero DEUS tuus & ſeminis tui poſt te*, limitibus accuratis eſt diſtinguendum.

§. 3. *Uſus* aphoriſmi hujus *in didacticis* eſſe poteſt, ut originem noſtram plus quàm miſeram, DEIque regenerantis & per baptiſmum adoptantis gratiam agnoſcamus, illam deploremus, huic gratos nos exhibeamus.

p. 225 §. 4. *In polemicis* adverſus ſic dictos Reformatos, vel Abſolutarios, qui Chriſtianorum libetos (ſed abſolutè ad viram æternam electos) ab utero matris, antequam adhuc baptizentur, in gratia & fœdere DEI eſſe ſtatuunt, uſus aphoriſmi hujus eſſe poteſt.

APHORISMUS VII.

Non, ut digitulus incurvatus rectitudini; Sic voluntas primi hominis obliquata integritati ſuæ per naturam reſtitui poteſt.

SCHOLIUM.

§. 1.

Senſus. Utuntur hoc ſimili Remonſtrantes peccatum originis cum Socinianis vel neganres, vel extenuantes, quod ſc. voluntas primi hominis à cõditore ſuo averſa, non ſecus ac digitulus incurvatus, rectitudini ſuæ reſtitui potuerit. Verum enimverò deflexionẽ, averſionẽ vel obliquationem hanc non fuiſſe tranſeuntem, ſed permanentem, & quidem in pœnam poſt lapſum inflictam, non tantùm ex propria ſede doctrinæ hujus *cap. 3.* ſc. *Gen.* ſed & aliis ſcripturæ locis pluribus, in quibus originalis mali propagatio docetur, probari poteſt. In ipſa ſede doctrinæ hujus, quod poſt comeſtum fructum vetitum Parentibus noſtris oculi fuerint aperti, ut malum ſcilicet experimentaliter cognoſcerent, nuditatem ſuam deprehenderent, conditoris ſui conſpectum fugerent & latebras quærerent. Nec poſt promulgatam πρωτευαγγέλιον integritati priſtinæ fuerunt reſtituti, ſed pellibus ad tegendam iſtam nuditatem induti, per ironiam objurgatoriam reprehenſi, morti & omnis generis calamitatibus addicti & Paradiſo ejecti. Quin & proprer hanc declinationem à volunrare conditoris nos *omnes declinavimus & inutiles facti ſumus Pſal. 14. v. 3. Qualis enim terrenus tales terreni 1. Cor. 15. v. 48.* nec amplius ad DEI, ſed ſuam imaginem Adamus liberos genuit, *Geneſ. 6. v. 1. 2.* Quòd autem amiſſa divina imago, cujus pars nobiliſſima fuit conformitas voluntatis noſtræ cum voluntate DEI creatoris, reparetur in nobis, divinæ gratiæ in ſolidum venit adſcribendum.

§. 2. *Uſus* aphoriſmi hujus *in didacticis* eſt, ut veritatem, quam ſacra pagina nos h. l. docet, agnoſcamus, nec malum originale, ſive fuerit originans, ſive originatum, extenuemus, conſequenter remedio, CHRISTI meriro, detrahamus.

§. 3. *Uſus in polemicis* adverſus ſic p. 226 dictos Remonſtrantes vel Arminianos, qui

qui tibias easdem cum Socinianis inflantes originale peccatum vel prorsus negant, vel extenuant, aphorismi hujus esse potest.

APHORISMUS VIII.

Peccati vitium non tollit DEI & naturæ beneficium.

SCHOLIUM.

§. 1.

Sensus. Naturæ prædicatores, gratiæ hostes, si per generationem peccatum propagaretur, à conjugio abstinendum censent. Sed huic objectioni aphorismus noster respondet. Humani generis propagatio utique beneficium DEI & naturæ habendum est, quo multiplicata fuissent ante lapsum individua, post lapsum species ab interitu conservatur. Quantumvis autem peccatum simul cum semine transfundatur in sobolem, vel semen isto prius concreato dono jam careat, quod antea vi ejusdem in sobolem fuisset propagatum, panacéam tamen adversus peccatum & mortem, Christi meritum, habemus. Hic mortem moriendo destruxit, & vitam resurgendo reparavit. Ipsam verò consuetudinem conjugalem quod attinet, appetitus sexûs ad sexum, prout apologia confessionis Augustanæ abusu 2. loquitur, in statu integritatis etiam locum habuit, sed ἀταξίαι, vel concupiscentia circa hoc objectum occupata, vagæ libidines, illicitæ ustulationes, ineptiæ maritales post lapsum supervenerunt. Non secus ac propter blasphemias, maledictiones, pejerationes loquelæ; propter homicidia, furta, latrocinia locomotivæ; sic propter peccati propagationem conjugii beneficio non debemus obtrectare.

§. 2. *Usus* aphorismi hujus *in didacticis* est, ut DEI beneficium agnoscamus, nec propter abusum, aut illi superinductum vitium os in cœlum ponamus.

§. 3. *In polemicis* adversus cavillatores istos, qui θέσιν διαφυλάττοντες adversus Solem sic mingere non verentur, usus aphorismi hujus esse potest.

APHORISMUS IX.

Hominem post lapsum Diaboli figmentum esse fingitur.

SCHOLIUM. p. 227

§. 1.

Sensus. Notum est ex historia superioris seculi, quod Matthias Flacius Illyricus, Theologus alias de CHRISTI Ecclesia, præsertim interreligionis tempore, non malè meritus hunc crassum Manichæorum veterum errorem refricaverit, peccatum esse ipsam hominis substantiam. Occasio, quâ prolapsus in hunc errorem fuit, colloquium Vinariense, seculi superioris Anno 61. post mortem Melanchthonis proximo inter hunc ipsum Flacium & Victorinum Strigelium Synergistam habitum fuit. Cùm enim Victorinus Flacio propinâsset hunc Syllogismum: Nullum accidens potest corrumpere substantiam. Peccatum est accidens. Ergò. Flacius missâ majore, quam distinguere debuisset, negavit minorem, & cùm se Strigelio nec eruditione, nec authoritate, nec meritis inferiorem putaret, mordicus sententiam hanc tuendam suscepit, peccatum esse ipsam hominis substantiam. Sunt quidem nonnulli Flacium excusantes, & in Flacianos, quales

quales fuerunt M. Irenæus, Spangenbergius junior & alii, culpam omnem conjicientes, quasi Flacium non rectè intellexerint & mentem alienam ipsi affinxerint. Sed periculosæ consequentiæ, hominem post lapsum esse figmentum Satanæ, Christum assumsisse carnem alterius speciei, mutationem hominis in conversione substantialem fieri, quas admisit & propugnavit Flacius, mentem ipsius satis produnt. Non desunt quidem Theologi, hominem post lapsum Satanæ larvam evasisse scribentes, sed per larvam istam non hominis substantiam, sed maculam adspersam intelligunt.

§. 2. Refutatur hic error 1. ex eo, quòd Scriptura inter ipsum hominem & inter peccatum, tanquam accidens aliquod adhærens, distinguat, e.g. *Rom. 7. v. 21.* ubi vocatur κακὸν παράκειμενον, i.e. *malum adjacens, v. 17.* ubi ἁμαρτία ἐνοικοῦσα, i.e. *peccatum inhabitans*, *Heb. 12. v. 1.* ubi ἁμαρτία εὐπερίστατος, i.e. *peccatum tenaciter circumstans* nuncupatur. 2. Quòd adhuc post lapsum DEI creatura simus, *Psal. 100. vers. 2. Ipse fecit nos, & non ipsi nos. Jobi cap. 10. vers. 8. Manus tuæ plasmaverunt me, cap. 33. v. 4. Spiritus Domini fecit me, & spiraculum omnipotentis vivificavit me.* 3. Quòd *CHRISTUS nobis per omnia similis factus sit, excepto peccato Hebr. 4. vers. 15.* quòd *sit ex Patribus secundum carnem, Rom. 9. vers. 5.* & ita ἐξ ἑνὸς αἵματος, i.e. *ex uno sanguine nobiscum, Act. 17. v. 26.* quòd *assumserit semen Abrahæ Hebr. 2. vers. 16.* quòd τὸ προσληπτὸν ἀθεράπευτον, i.e. quod *CHRISTUS ex nobis non assumsit, non redemit.* 4. Quòd *in*
p. 228 *renatis sit lucta carnis & Spiritus, Gal. 5. vers. 17.* consequenter substantialiter in conversione non immutentur. 5. Quòd aut peccatum, Satanæ figmentum, ad vitam æternam sit resuscitandum, aut caro alterius speciei. Quod cantilenam nostram Ecclesiasticam concernit: **Durch Adams Fall ist gantz verderbt/ menschlich Natur und Wesen/** &c. in illa per vocabulum totus non substantia opponitur accidentibus, sed vires superiores & inferiores, ita, ut sensus sit, totum hominem, quoad omnes facultates & vires suas esse corruptum. Statuebant enim Pontificii Doctores quidam, hominem quoad vires duntaxat inferiores, non superiores, esse per peccatum corruptum. Argumenta verò Flacii perpetuâ ferè cõfusione abstracti & concreti laborant, v. g. quando *Ezech. 36. v. 26. DEUS cor lapideum auferre ac dare carneum*, quando *Joh. 3. vers. 6. caro de carne nasci* dicitur, Flacius ipsum cor, ipsam carnem peccatum esse, persuasum sibi habuit.

§. 3. *Usus* aphorismi hujus *in didacticis* esse potest, ut naturam peccati rectiùs agnoscentes opus DEI ab opere Diaboli discernamus & ab objecto τῶν Βλακικῶν odioso nomine (quo Crypto-Calviniani circa finem seculi superioris, sed falsò, rectius sentientes onerabant) nos liberemus.

§. 4. *In polemicis* adversus Flacianos dictos usus aphorismi hujus esse potest.

APHORISMUS X.

Peccatum & privativum & positivum quid dici potest.

SCHOLIUM.

§. 1.

Sensus. Ad conciliandas diversorum, etiam ex nostris, sententias tenendum, peccatum

peccatum vel metaphysicè, vel ethicè cõsiderari. Si metaphysicè, privativum; si ethicè, positivum quid dici posse. In Metaphysicis enim bonum & malum sibi privativè opponuntur, positivum autem & bonum convertuntur. In ethicis bonum & malum, prout cum suis subjectis & actionibus concrescunt, considerantur, & ita sibi contrariè opponuntur. Alii, quod tamen eodem redit, peccatum vel in abstracto, vel in concreto id est unâ cum suo subjecto considerant. Priore modo privativum, posteriore positivum quid esse statuunt. Alii privativum quidem esse dicunt, sed quia privario secundùm Philosophum est ἕδος τῶς i.e. forma quodammodo, non simpliciter privativum, sed positivum suo modo esse volunt. Qui privativum quid esse dicunt, nituntur sequentibus rationibus 1. quòd peccatum dicatur ἀνομία i.e. aberratio à Lege, secundum versionem Lutheri das Unrecht 1. *Joh. 3. v. 4.* & ἀδικία i.e. injustitia sc. universalis, secundum Lutheri versionem die Untugend 1. *Joh. 5. v. 17.* 2. quòd dicatur σκότος i.e. tenebræ *Eph. c. 5. v. 8.* 3. quòd mors appelletur *Eph. 2. v. 5.* 4. quòd peccantes declinare dicatur *Ps. 14. v. 3.* quæ omnia sunt nomina privativa. Qui positivum quid esse statuunt, concretivas locutiones, quòd *cor lapideum Ezech. 36. v. 26. caro de carne Joh. 3. v. 6.* dicatur (unde quibusdam hæc sententia de positivo propriè dicto ramusculus, vel ὑποπασμάτιον Flacianismi dicitur, quòd isdem argumentis confusione concreti & abstracti laborantib⁹ propugnetur) urgent. Apologia confessionis Augustanæ definitionem Anshelmi, quòd peccatum sit carentia justitiæ originalis, quidem retinet, sed concupiscentiam addit. Verùm ipsa quoque concupiscentia vel ut est inclinatio ad suum objectum, vel ut declinatio à norma consideratur. Quod si per carentiam justitiæ originalis privatio boni connaturalis inesse debiti (Pontificii verò justitiam originalem bonum aliquod supernaturale fuisse volunt, quâ ratione peccatum originis extenuari senserunt pii Confessores) magnam corruptionem secum trahens intelligatur, & nos Anshelmi definitione possemus esse contenti. Quicquid sit in distinctionibus ab evolutionis initio positis, si nimirum peccatum metaphysicè & in abstracto consideretur, quòd sit privativum quid: si verò ethicè & in concreto, quòd positivum quid dici queat, acquiescimus.

§. 2. *Usus* aphorismi hujus *in didacticis* est, ut peccati naturam penitiùs scrutantes inter nimium & minimum rectâ viâ incedamus.

§. 3. *In polemicis* adversus extenuantes, qui levem maculam censent, & natutalia post lapsum integra mansisse volunt, usus aphorismi hujus esse potest.

APHORISMUS XI.

Periculum non est, si origo animæ lateat, modò redemtio clareat. Item. Generantibus Parentibus, creat DEUS.

SCHOLIUM.

§. 1.

Sensus. Cum peccatum non imitatione, sed generatione propagatum fuisse, puriores Ecclesiæ Doctores adversus Pelagianos asseruerunt, de animæ origine, an per traducem seminalem propa- p. 230

getur à Parentibus in ſobolem; an verò ἀμέσως à DEO inſpirétur, contentionis ſerrà reciprocari cœpit. Ubi *Auguſtinus* quidem τὸ ἐπέχειν arripuit, periculum non eſſe ſtatuens, ſi origo animæ lateat, modò redemtio clareat. *Epiſt. 157. Et epiſt. 28.* ad *Hieronymum* inquit: *Eleganter dictum eſſe narratur, quod huic rei ſatis aptè convenit. Cùm quidam ruiſſet in puteum, ubi aqua tanta erat, ut eum magis exciperet, ne moreretur, quàm ſuffocaret, ne loqueretur; acceſſit alius, & eo viſo, admirans ait: Quomodo hùc cecidiſti? At ille, obſecro, inquit, cogita, quomodo me hinc liberes, ne, dum quaeris, quomodo huc ceciderim, interim ſuffocer limo.* Faventior tamen idē Pater auguſtiſſimus fuit ſententiæ de traduce, quippe qui nec orādo, nec meditando inveſtigare potuit, quomodo animæ ex primis Parentibus non veniant, & tamen juſtam damnationis ſententiam ex iisdem inveniant. Pelagiani ſententiam de immediata creatione animarum defendendam ſuſcipientes orthodoxos, qui per traducem ſeminalem propagari animas ſtatuebant, Traducianos nominabant. Pelagianorum veſtigia πελαγιαζοντες Pontificii & Calviniani noſtris temporibus premunt, & animas à DEO immediatè creari, & corporibus infundi ſtatuunt, noſtramque ſententiam quidam exploratum errorem, quidam hæreſin vocant. Ubi præmunimus, inter eductionem ex potentia materiæ & inductionem animarum immediatam regiâ viâ eſſe incedendum, & traductionem cum ſemine ſtatuendam eſſe. Aliud autem eſt è potentia materiæ educi, quod animabus materialibus i.e. in eſſe ac operari à corpore dependentibus, ut animabus brutorum, competit: aliud de potentia traduci in actum, ſic, ut anima, quæ prius potentia (quatenus actui formali & operationibus, non Entitativo contradiſtinguitur) adfuit, actu jam adeſſe conſpiciatur. Prius de anima rationali negamus: poſterius admittimus.

§. 2. Aphoriſmum autem noſtrum rationibus tum Theologicis, tum Philoſophicis ſtabilimus. 1. quòd DEUS peccati cauſa ſtatuatur, ſi vel animam impuram creet, vel puram à ſe conditam impuro corpori ἀμέσως infundat. Eſt enim anima, ut juſtitiæ, ſic peccati originalis πρῶτον δεκτικὸν i.e. ſubjectum primum. Quid? quòd nobilius ab ignobiliori, animæ à corporibus, corrumpi non poſſint. Scriptura certè peccati ortum ad generationem ex Parentibus refert *Pſal 51. v. 7. Ecce, in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis ſc.* exiſtentem *calefecit me mater mea. Jobi 14. v. 4. Quis dabit mundum ex immundo?* Ubi Latina verſio habet: *Quis dabit mundum ex immundo conceptum ſeminè?* Quæ Pontificiis, cùm autoritate iſtius teneantur, in diſputatione p. 231 ne πρὸς ἄνθρωπον commodè poteſt opponi. *Sumus caro de carne, Johan. 3. v. 6.* 2. Quòd Deus homines creſcere ac multiplicari juſſerit *Gen. 1. v. 28.* Sed ita homo non propagaret hominem, verùm exanimem maſſam, & ita brutis & vegetabilib. eſſet inferior. 3. Quòd animæ 70. dicantur ex lumbis Jacobi egreſſæ *Exod. 1. v. 5.* 4. Quòd Deus ex coſta viventis Adami, veluti traduce, Evam produxerit, nec animam ipſi novā inſpiraverit, *Gen. 2. v. 22.* 5. Quòd Deus ſexto die ſupremam creationi manum impoſuerit, & generationē creationi ſubſtituerit. 6. Quòd τὸ ἀπερίσπλοον ἀθεράπευτον i.e. *quod ex nobis non aſſumtum non ſit redemtum.* Si jam Chriſtus ani-

ſtus animam ex nobis non aſſumſiſſet, non etiam redemiſſet.

§. 3. Ex Philoſophicis aphoriſmum ſtabilimus 1. quòd corpus & anima unum σύνθετον naturale conſtituant, & ita ſimul ac ſemel propagentur. 2. quòd vitam Parentibus debeamus: Conſequenter etiam animam, quia vita definitur, quòd ſit actº animæ in corpore. 3. quòd ſimile generet ſimile, canis canem, leo leonem. 4. quòd ſemen compendium ſit totius hominis. Quibus accedit autoritas Philoſophi, qui dicit ἄνθρωπον γεννᾷ ἄνθρωπον i. e. *Hominem generare hominem*, & animam humanæ prolis poſt abſolutum generationis terminum elegantiſſimo involucro metaphorico ex Politicis deſumto vocat τέκνον ἀπῳκισθὲν ἀπὸ Πατρὸς i.e. *ſobolem emancipatam ex patria poteſtate*, quia proprium domicilium jam gubernat. Nec obſtat, quod alicubi θύραθεν i.e. foris ſecus animam accedere dicat, quia vocem illam eductioni ê potentia materiæ opponit. Nec enim creationem ſcivit, aut admiſit, nec φωνῆς οἰκείας immemor extitit. Licet autem humanæ prolis animam à Parentibus in materia diſpoſita propagari, &, veluti lychnum à lychno accendi ſtatuamus, nullatenus tamen cenſui creaturarum eandem eximimus, ſed à DEO, mediantibus Parentibus, creari dicimus, quâ ratione corpus etiam noſtrum DEO conditori acceptum referimus.

§. 2. *Uſus* aphoriſmi hujus *in didacticis* eſt, ut peccati fontem rectiùs agnoſcamus, & DEI ſanctiſſimi gloriam, ne cauſa peccati ſtatuatur, fortius aſſeramus.

§. 3. *In polemicis* adverſus Semi-Pelagianos, Pontificios, & Calvinianos uſus aphoriſmi hujus eſſe poteſt.

APHORISMUS XII. p. 232

Ubi ſcriptura non excipit, ibi nec noſtrum eſt excipere. Item. Ab originali peccato Maria DEIpara excipi nequit.

SCHOLIUM.

§. 1.

Enſius. Dicunt aliàs Juris-Conſulti: Ubi lex non diſtinguit, ibi nec noſtrũ eſt diſtinguere, quod aphoriſmus noſter imitatur. Notum autem eſt, quòd in Papatu celebriores duo Monachorum Ordines Dominicani & Franciſcani ſuper hac quæſtione, an Maria Beata DEIpara in originali peccato concepta & nata fuerit. Quorum illi affirmarunt, hi negarunt. Ortus videtur hic error ex praxi Eccleſiæ non occidentalis tantùm ſed & orientalis, in quibus à multis ſeculis prius-quam adhuc Franciſcani eſſent in rerum natura Maria religioſè culta fuit. Ut itaque plus honoris huic objecto accederet, ab originali peccato Mariam Franciſcani eximere voluerunt. Radices altiſſimas hic error egit in Concilio Baſileenſi, quod Anno 1438. & circiter celebratum fuit, ubi ſententia de immaculata conceptione B. Virginis inter dogmata fidei relata, & peculiaris feſtivitas ipſi decreta fuit. In Synodo Moguntinenſi adhuc citeriore MACULISTÆ dicti fuerunt, qui ſententiæ de immaculata conceptione B. Virginis pollicem premere noluerunt. Quod autem Bellarminus neget, ab Eccleſia deciſam fuiſſe hanc controverſiam, ratio eſt, quia, vacante ſede, decretum iſtud conditum dicit. Eſt enim hoc concilium Baſileenſe ſudes ipſis in oculis, propterea, quòd Pontificem Con-

cilio tanquam Ecclesiæ reptæsentativæ, subjecerit, & Eugenium Papam, surrogato alio, de sede deposuerit. Interim plerique Pontificii, præsertim Germani, Hispani & Itali sententiæ Franciscanorum subscribunt. Nostris temporibus splendidissimis etiam legationibus Pontifices (ut Gregorius XV.) ut suam sententiam tandem interponerent â Christianis Regibus, rogati & admoniti fuêre, sed Spiritus S. motum se pro tempore non sentire dixerunt, veriti, ne per decisionem hujus controversiæ schisma ingens in Ecclesia Neo-Romano-Catholica oriretur. Interim utrique parti, ne oleum camino instillaretur, silentium imposuerunt.

§. 2. Pro sententia Dominicanorum militat 1. quòd solus Christus excipiatur, qui solus dicitur κεχωρισμένος ἀπὸ
p.233 τῶν ἁμαρτωλῶν i. e. *segregatus â peccatoribus Hebr. 7. v. 26.* Quòd non opus fuisset, ut massa illa sanguinis Mariæ, ex qua ὁ λόγος templum sibi constructurus erat, à Spiritu S. purgaretur, si Maria peccati fuisset expers. Sed purgata fuit, quia Spiritus S. super Mariam venturus ab Angelo dicitur, ut sanctum esset, quod ex Maria nasceretur, *Luca 1. v. 35.* 3. Quòd actualia peccata v. g. negligentia tanti pignoris sibi concrediti *Luca 2. v. 43.* intempestiva cura *Joh. 2. v 3.* quam etiam ob causam à Salvatore reprehenditur, in scripturis ipsi tribuantur. 4. Quòd ipsa DEUM suum quoq; Salvatorem agnoscat, *Luc. 1. v 47.* 5. Quòd officii ratio, propter quod Christus à peccato debebat esse immunis, hîc deficiat. Si enim ipse quoq; peccato corruptus fuisset, occini potuisset ei proverbium, quo Salvator utitur *Luca 4. v. 23.* Ἰατρὲ, θεράπευσον σεαυτὸν, h. e. *Medice, cura teipsum.* Quòd autem Maria *Luca 1. vers. 48.* dicat: *Ex hoc beatam me dicent omnes generationes*, non ad exemtionem à peccato, sed privilegium θεολοχίας, cujus vanâ spe tot Matres Judæorum lactatæ fuerunt, respicit.

§. 3. *Usus* aphorismi hujus *in didacticis* esse potest, ut fundamentum cultui Mariano subtrahamus, Christoque suum honorem asseramus.

§. 4. *In polemicis* adversus dictos Franciscanos, & qui succinunt ipsis, usus esse potest.

APHORISMUS XIII.

Concupiscentia peccati mater & ipsa peccatum est.

SCHOLIUM.

§. 1.

Sensus. Ut meritum operum nostrorum stabiliant, quin & supererogationis rectiùs superarrogationis) operibus locum faciant Pontificii, concupiscentiam, cujus motus intra se sentiunt, nec negare ausint, peccatum non propriè, sed metonymicè sic dictum, quòd à peccato fluat, & peccati causa sit, esse statuunt. Sed refutantur 1. ex eo, quòd concupiscentia tam originalis, pronitas nimirum ad peccandum, quàm actualis, motus etiam primo-primus lege divina prohibeatur. *Concupiscentiam*, inquit Apostolus, *Roman 7. v. 7. non novissem, nisi lex dixisset: Non concupisces.* Ubi non loquitur de motibus secundis, quos in censum peccatorum etiam saniores ex gentilibus retulerunt, sed primis, & ipsa proclivitate ad peccandum. Prohibetur autem concupiscentia tum in præcepto nono, tum decimo. In hoc originalis, in illo actualis. Motus primo-primi vel formaliter, vel p.234
signotenus considerantur. Si formaliter, peccata sunt actualia & ad nonum præceptum

præceptum pertinent. Si verò ſignotenus, quatenus peccatum originale nobis manifeſtant, ad decimum referri poſſunt. Eſſe verò duo diſtincta præcepta non tantùm ex *cap.*20. *Exod. verſ.*16. ſed etiam *cap. 5. Deut. v.* 20. probari poteſt. Ibi verbum תַּחְמֹד i.e. *concupiſces*, duabus vicibus in tanto compendio repetitur: hic etiam additur verbũ in Hitphaël תִּתְאַוֶּה לֹא i.e. *non facies te concupiſcere.* Diſtinguuntur hæc duo præcepta non objectis, quæ in Exodo & Deut. permutantur, ſed concupiſcendo modo. Vide *Jacobi* 1. *v.*15. 2. Quòd in propria ſede, nimirum *cap.*7. & 8. *ad Roman.* peccatum vocetur. Sic enim Apoſtolus *Rom.*7. *v.*17. conqueritur: *Non ego peccatum perpetro, ſed malum inhabitans.* Ubi Paulus, quantum ad ſubjectum quod, ratione duplicis principii, ſe quaſi in duas perſonas, quarum una delectetur lege, altera verò peccatum perpetret, ſentiendo ſuggeſtiones & illecebras carnis, dividit. Concupiſcentiam hanc ἁμαρτίαν ἐνοικοῦσαν i.e. *peccatum inhabitans. verſ.*17. κακὸν παράκειμενον, i.e. *malum adjacens, v.*21. vocat. 3. Quòd non tantùm ἁμαρτία i.e. peccatum, ſed & ἁμαρτία ἁμαρτωλὸς, i.e. peccatum peccaminoſum, quod & ipſum peccatum ſit, & peccare faciat, dicatur *Roman.*7. *v.*13. 4. Quòd à DEO, tanquam malum morale removeatur, & carni adſcribatur *Jacobi* 1. *verſ.*13. & 14. *Ne quis, cùm teneatur, dicat, ſe à DEO tentari: Nam DEUS, ut malis tentari non poteſt; ita nec ipſe quenquam tentat. Unuſquiſq; verò tentatur, dum à propria concupiſcentia ineſcatur.* 5. Quòd hominem ſpiritualiter miſerabilem faciat, *Rom.*7. *verſ.*24. 6. Quòd ſimile generet ſimile ac generetur à ſimili. Mali fructus arborem malam oſtendunt, *Matth.*7. *v.*13. 7. Quòd Chriſtus infirmitates aſſumens naturales concupiſcentiam non aſſumſerit. Ergò non eſt malum naturale ſed morale: conſequenter peccatum. 8. Quòd renatis etiam pro talibus orandum ſit. 9. Quòd repugnent Spiritui, *Rom.*8. *v.*13. *Gal.*5. *v.*17.

§. 2. *Uſus* aphoriſmi hujus *in didacticis* eſt, ut miſeriam noſtram ſpiritualem rectiùs agnoſcamus, & ad plenariam iſtius liberationem eò anxius adſpiremus.

§. 3. *In polemicis* adverſus Pontificios, Socinianos & Remonſtrantes, qui cum his faciunt, uſus eſſe poteſt.

APHORISMUS XIV. p.135

Durante vitâ, durat σαρκοπνευματομαχία.

SCHOLIUM.

§. 1.

Senſus. Fluit hic aphoriſmus ex antecedente, cùm Paulum ex parte renatum, ex parte ſub peccatum venundatum, ratione ſc. ſenſus peccati, non conſenſus, diximus. Sunt enim in homine renato duo agendi principia, Spiritus & caro. Sed Spiritus hominibus renatis non datur ἀμέτρως i.e. *ſine menſura*, ſed κατὰ μέτρον κανόνος i.e. *ſecundum menſuram canonis*, 2. *Cor.*10. *verſ.*13. vel κατὰ μέτρον τῆς δωρεᾶς i.e. *ſecundum menſuram donationis*, *Epheſ.*4. *verſ.*7. Sunt, qui pugnam Spiritus & carnis cum lucta rationis & appetitus, de quibus in Ethicis Ariſtotelicis, confundunt, & pro iisdem habent, ſed toto, quod dicitur, cœlo errant. Præſtantiſſimum ſiquidem opus rationis, τὸ φρόνημα τῆς σαρκὸς, adverſatur Spiritui,

Rom.8.verſ.7. Et ad *Galat.5.v.20.* Hæreſis, quæ certè non eſt in appetitu ſenſitivo, inter fructus carnis numeratur. E.g. ſi quis hæreticus unioni perſonali duarum naturarum in CHRISTO axioma Philoſophicum opponeret: Finitum non eſt capax infiniti, hoc ipſum non quidem ab appetitu ſenſitivo proficiſceretur, & tamen eſſet opus carnis.

§. 2. In hac lucta carnis & Spiritus, pars altera vel ſuccumbit, vel ſuperior evadit: nunquam autem paribus armis digladiantur, vel in gradibus remiſſis concurrunt, ceu volunt Calviniani, qui Spiritum S. ab electis per peccata contra conſcientiam excuti non poſſe, docent. Per motus primo-primos, ſi reſiſtitur, non quidem abit ex cordib⁹ credentium, ſed tamen per motus ſecundo-primos, quando pravis ſuggeſtionibus accedit delectatio, contriſtatur (*καθ' ἀνθρωποπάθειαν* i.e. more loquendi ab hominibus deſumto & ad DEUM translato) i.e. actiones ſuas intermittit Spiritus S. ut vix ac ne vix quidem ſentiantur, per conſenſum autem plenarium penitus excutitur. Hæc lucta, quæ boni Chriſtiani ſignum eſt, hominem comitatur usque ad ſupremum halitum. Si quæras, cur peccatum in hac vita non extirpetur radicitus, & nos beneficiorum à Chriſto partorum, in quorum numero eſt juſtitia inhærens perfecta, non plenariè participes evadamus? Hîc quidem rationes à priori ſcimus nullas, ſed voluntatem facientis totam facti rationem putamus. A poſterioti tamen afferuntur à nonnullis, ut
p.136 corruptionem noſtram profundiſſimam, & ſic miſeriam noſtram magis agnoſcamus, Chriſti meritum cariùs æſtimemus, & ad futuram redemtionem plenariam à ſenſu, inhærentia & radice peccati, eò anxiùs anhelemus.

§. 3. *Uſus* aphoriſmi hujus *in didacticis* eſt rurſus, ut miſeriam noſtram ſpiritualem & operum bonorum imperfectionem magis agnoſcamus. Quodcunque enim opus cum lucta carnis & Spiritus peragitur, non poteſt eſſe meritotium.

§. 3. *In polemicis* adverſus Pontificios & Calvinianos uſus eſſe poteſt.

APHORISMUS XV.

Omne peccatum ſuâ naturâ eſt mortale: viciſſim, omne peccatum CHRISTO merito fieri poteſt veniale.

SCHOLIUM.

§. 1.

Senſus. Peccatum vel in circulo juſtificationis, vel ſanctificationis conſideratur. Illîc in mortale ac veniale; hîc in regnans, & peccatum infirmitatis dividitur. Fluit hæc diſtinctio peccati, quòd aliud mortale ſit, aliud veniale, non ex natura ipſorum peccatorum, ſed peccantium, qui vel ſunt irregeniti, vel renati. Pontificii quædam peccata, ut verbum ocioſum, motus primo-primos, peccata præcipitantiæ, & circa viliſſimum objectum occupata, ut eſt & furtum uni⁹ oboli, ſuâ naturâ faciunt venialia, quæ tamen lege divinâ ſunt prohibita, & de quibus ratio reddenda erit in noviſſimo die. Calviniani omnia electorum peccata vi ſuarum hypotheſ*ε*ων ex eventu quoque actuali venialia cenſent, licet ſint enormiſſima. Noſtra ſententia eſt, quod omne peccatum ſuâ naturâ ſit mortale,

temporalem

temporalem atq; æternam mortem promerens, Christi merito autem fieri possit veniale, vel quoad eventum actualem, ut sunt peccata infirmitatis, quorum reatus tegitur merito Christi, vel quoad eventum possibilem, cùm peccator aliquis post enormissima patrata peccata pœnitentiam agit. Quodcunque enim peccatum remitti potest, illud etiam consequi potest veniam. Differunt autem peccatum mortale, & peccatum ad mortem. Illud meretur mortem, hoc actu infert, & alio nomine vocatur peccatum irremissibile, non ex defectu gratiæ, sed qualitate culpæ, quæ sic comparata est, ut omnem pœnitentiæ aditum intercludat, & omnia salutis media excludat. De hoc peccato suo loco.

P. 137 §. 2. Sententiam nostram, quòd omne peccatum, etiamsi leviſſimum visum fuerit, Pontificiis peccatillum dictum, sua naturâ mortale sit probamus. 1. quia est *transgressio legis* 1. *Joh.3 v.4.* Jam verò *mors est stipendium peccati, Rom.6. v.23.* 2. quòd maledictionem (quâ voce pœnæ cùm temporales, tum æternæ continentur) secum vehat: *Maledictus omnis, qui non permanserit in omnibus verbis legis hujus*, Paulus in epistolæ ad *Galat.c.3. vers.10. ex cap.Deut.27.v.*ultimo inquit. 3. quòd peccata, quæ videntur minima, nos minimos i.e. nullos in regno DEI faciant, *Matth.5 v.19. Qui solverit unum ex minimis hisce præceptis* (prout Pharisæi præcepta DEI in maxima & minima dividebant) *minimus in regno DEI vocabitur.* 4. quòd offendens in uno præcepto legis, reus sit omnium, *Jacobi 2. vers.10. Quisquis totam legem servaverit, offenderit autem in uno, reus factus est omnium.* 5. quòd *qui DEUM non diligat ex toto corde, violet legem*, consequenter reus sit æternæ mortis *Ez. 18.v.4. Roman.2.v.24.* 6. quòd *omnes sancti remissionem peccatorum suorum à DEO petere teneantur Psal 32. vers.6. Matth.6 v.12.* Sed in sanctis non sunt peccata regnantia, verùm infirmitatis. 7. Quòd *de quolibet verbo otioso reddenda sit ratio in extremo die*, & sic verbum otiosum suâ naturâ non sit peccatum veniale, quòd ira præceps præcepto quinto, concupiscentiæ motus primo-primi præcepto decimo, furtum etiam rei minimæ septimo prohibeantur, consequenter iram DEI & mortem cùm temporalem, tum æternam promereantur.

§. 3. Contra Calvinianos, qui peccata electorum, enormissima licet, ex eventu actuali venialia faciunt, sententiam nostram tuemur 1. ex eo, quòd per peccata contra conscientiam fidei naufragium faciamus, 1. *Tim.1.v.19. Qui autem non credit in Filium, super illum manet ira. Joh.3.v.36.* 2. ex epistola *ad Rom c.2. v.9. Afflictio & anxietas adversus omnem animã hominis perpetrantis malũ.* 3. quòd per peccata contra conscientiam lapsi nõ sint in CHRISTO JESU. Consequenter κατάκριμα legis adversus tales vim suam exercere queat. *Nulla siquidem condemnatio est his, qui sunt in CHRISTO IESU, Roman.8.v.1.* 4. quòd per peccata contra conscientiam patrata Spiritus S. amittatur. Unde Psaltes regius *Ps.51, v.13. Spiritum tuum S. ne auferas à me*, postq; lapsum Spiritum novum sibi dari petit. 5. quod nullus homicida, cujusmodi David electus fuit, nisi pœnitentia intervenerit, habeat vitam æternam in se manentem 1. *Joh.3.v.15.*

§. 4. *Usus*

Digitized by Google

§. 4. *Vſus* aphoriſmi hujus *in didacticis* eſt, ne peccatum nimis extenuemus, ſed illius gravitatem ſatis æſtimemus, & p.138 Chriſti meritum cariùs habeamus. Id quod attendens Melanchthon alicui Miniſterii Candidato, cùm quæſitus, quid eſſet peccatum veniale, reſpondit, quod veniam meretur, ex indignatione juſta colaphum impegit.

§. 5. *In polemicis* adverſus Pontificios & Calvinianos uſus aphoriſmi hujus eſſe poteſt.

APHORISMUS XVI.

Peccata certo reſpectu ſunt æqualia. Item: Dantur peccatorum gradus. Item: Ut peccatorum; ſic pœnarum in vita futura gradus dantur.

SCHOLIUM.

§. 1.

Enſus. In paradoxis aliàs Ciceronis & hoc numeratur, quòd omnia peccata ſint paria, propterea, quòd peccare nihil aliud, quàm tranſilire lineas, ſive receſſus ab iisdem ſit major, ſive minor. Id quod eatenus non improbamus, quatenus omnia peccata merentur iram DEI & damnationem æternam. Aſſerimus hoc adverſus Socinianos peccata quędam ſuâ naturâ gravia, quædam levia facientes. Nullum enim peccatum in lege DEI prohibitum, cùm maledictionem id eſt pœnas cùm temporales, tum æternas mereatur, leve cenſendum. Gradus autem peccatorum dari, probamus 1. ex *Luc. 6. v. 24.* quòd *quadam comparentur trabi, quadam feſtucæ: Matth. 23. v. 24. quadam comparentur culici, quadam camelo.* 2. ex dicto Salvatoris *Ioh. 19. v. 11. Qui me tibi tradidit, majus peccatum habet.* 3. ex ejusdem Salvatoris effato *Luca 12. v. 47. Servus ſciens voluntatem Domini ſui & non faciens duplo vapulabit.* 4. ex dicto Pauli, quod habetur 1. *Tim. 5. v. 8. Qui ſuorum & maximè domeſticorum curam non habet, infideli deterior eſt.* 5. ex pœnarum gradibus, *Matth. 11. v. 24. Tolerabilius erit terra Sodomorum in die judicii &c. Sap. 6. verſ. 7. Potentes potenter tormenta patientur.* Quorſum præprimis facit locus *Matth. 5. v. 22. Ego dico vobis: Quisquis iraſcitur fratri ſuo temerè, obnoxius erit judicio: Quicunq; verò dixerit fratri ſuo Racha, obnoxius erit concilio: Quisquis autem dixerit, fatue, obnoxius erit gehennæ incendio.* Ubi Salvator ad diverſa Judæorum judicia & pœnas pro diverſis peccatorum gradibus infligendas reſpicit. Habebant enim Judæi partim oppidatim ſua judicia, partim Synedrion majus ex 70. Senioribus conſtans, quorſum cauſæ graviores deferebantur, & hoc vel pœnam mitiorem, capitalem tamen, vel acerbiorem, ut erat vivicomburium, p.139 ſontibus infligebat. Per vallem enim filiorum Hinnon non tantùm pœna infernalis, ſed & acerbiſſimus iſtius gradus intelligitur, dubio procul reſpectu habito ad combuſtionem filiorum Judaicorum, qui Molocho in dicta valle propè radices montis Zion immolabantur. Nec nomine ματαίος tantùm inſipiens aliquis (tales enim Salvator *Luca 24. v. 25.* & Paulus *Gal. 3. v. 1.* vocat ἀνόητους) ſed ſtylo Hebræis uſitato peccator aliquis inſignis, ut Achan *Ioſ. 7. v. 15.* ſtultitiam commiſiſſe dicitur, venit.

§. 2. *Vſus* aphoriſmi hujus *in dogmaticis* eſt, ut peccatum, cùm talem pœnam ſecum vehat, cane pejus & angue vitemus.

§. 3. *In*

§. 3. *In polemicis* adversus Socinianos & criminipendas ejusmodi alios usus aphorismi hujus esse potest.

APHORISMUS XVII.

Peccatum in hac vita tollitur, non, ut non sit, sed ne obsit.

SCHOLIUM.

§. 1.

Sensus. Pontificii, qui per justificationem justitiæ infusionem, per peccatorum remissionem eorundem expulsionem intelligunt; Sociniani, qui justitiæ habitum contrahi volunt, peccatum etiam materialiter in hac vita extirpari volunt. Sententia nostra orthodoxa est, quod peccati reatus in justificatione, dominium in sanctificatione, sensus in morte, radix in cinefactione tollatur. Vulgò in scholis Theologorum inter peccati materiale ac formale distinguitur, quòd peccatum quoad formale, non materiale tollatur in hac vita. Ubi tamen distinguimus inter formale absolutum & relatum. Formale peccati absolutum est ἀνομία, id est exorbitatio à lege: relatum est reatus. Non illud, sed hoc tolli, statuimus. Materiale quoque, licet ὁλικῶς non tollatur, in sanctificatione tamen, quando peccati dominium infringitur, sensim imminuitur. Quomodo super sensu peccati Paulus renatus conqueratur, *cap. 7. ad epist. Rom.* per totum fermè videri potest. Tollitur itaque in hac vita, ne nobis obsit, h.e. ne nobis imputetur, nec dominetur. Quando cum macula peccatum confertur non ratione facilis aspersionis, vel absersionis, sed deformitatis id fieri solet. Addo, quòd maculæ innatæ, cujusmodi est peccatum, non illatæ tegantur potius & superillinantur, quàm penitus tollantur.

§. 2. *Usus* aphorismi hujus *in dida-* p. 240
cticis est, ut orthodoxiam de peccato rectius agnoscentes, qua ratione ab eadem in hac vita liberari queamus, etiam teneamus.

§. 3. *In polemicis* adversus Pontificios, Socinianos, & qui cum his faciunt, Remonstrantes, usus aphorismi hujus esse potest.

APHORISMUS XVIII.

Pro illo non malè oratur, de quo non desperatur.

SCHOLIUM.

§. 1.

Sensus. Concernit hic aphorismus eos, qui peccatum committunt in Spiritum S. Variis nominibus salutatur hoc peccatum, cùm jam peccatum in Spir. S. jam peccatum blasphemiæ, jam peccatum irremissibile, jam peccatum ad mortem stylo Biblico dicatur. *Peccatum in Spir. S.* dicitur *Matth. 12. v. 32.* non propter ejusdem personam, quia sic etiam contra Patris & Filii personam & eorum justitiam essentialem fertur, sed officium, illuminationem scil. mentium, quod impugnat. *Peccatum blasphemiæ* citato loco *Matth. 12. v. 32.* ut & ad *Hebr. c. 10. v. 29.* ubi Spiritum gratiæ contumelia dicitur afficere, qui per salutis organa fidem in cordibus accensuro tantopere obtrectant, Filium DEI tanquam thesaurum ingentem in verbo & Sacramentis à Spir. S. oblatum conculcant, & sanguinem testamenti, per quem fuerunt sanctificati, ceu rem prophanam habent, nuncupatur. *Peccatum irremissibile*, quod ipsa salutis media tam acquisitionis, quàm applicationis rejiciat, *cap. Matth. 12. v. 32.* & ad *Hebr. 6. v. 6.*

Digitized by Google

vocatur. *Peccatum ad mortem*, quòd eandem actu inferat, à *Joh. c. 5. Epistolæ prioris v. 16.* appellatur. Differunt enim, ut in superioribus quoque monuimus, peccatum mortale, & peccatum ad mortem. Illud meretur mortem, hoc actu infert mortem. Illud Christi merito fieri potest veniale: hoc secus, quia Christus pro contemtu mediorum salutis passus & mortuus non fuit. Quantumvis autem conversio, regeneratio, renovatio &c. sint opera Trinitatis ad extra, terminativè tamen Spiritui S. tribuuntur v.g. *Joh. 3. v. 5.* cùm *regenerari* dicimur *ex aqua & Spiritu*, & ad *Tit. cap. 3. v. 5.* ubi *baptismus lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus S. quem DEUS opulenter in nos effudit*, nuncupatur, item *Hebr. 10. v. 29.* ubi *Spiritus S. gratiæ Spiritus* vocatur.

p. 241 §. 2. In quo verò ipsa peccati hujus essentia consistat, non immeritò aliquis hîc quærere posset. Augustinus impœnitentiam finalem peccati hujus nomine venire censuit. Verùm licet hæc ipsa peccati dicti requisitum sit ultimum, quia tamen scriptura formale citatis in locis nobis aperuit, & aliàs quivis finaliter impœnitens peccati hujus postulari possit, illud ipsum definimus, quòd sit malitiosa veritatis (salvificæ) prius agnitæ abnegatio, blasphematio, oppugnatio & omnium salutis mediorum abjectio. Hæc requisita non divisim, sed conjunctim sunt adspicienda. Fieri enim potest, ut aliquis vel ex infirmitate, vel etiam malitiosè quis veritatem agnitam exemplo Petri abneget, vel ignorans exemplo Pauli oppugnet, non tamen finaliter impœnitens permaneat, sed in regiam salutis viam adducatur. Peccati hujus rei fiunt etiam *αὐτοκατάκριτοι* qui convicti sunt in foro conscientiæ doctrinam, quam oppugnant & blasphemant propter lucella hujus vitæ momentanea, esse ipsissimam veritatem, licet ab uno cœtu ad alium corporibus suis & externa professione non migrent. Sic Christus Pharisæos illos, qui prius aliam doctrinam non erant professi, convicti tamen in corde (prout Nicodemus fatetur *Joh. 3. v. 2.*) Jesu Nazareni doctrinam esse veritatem salvificã à DEO profectam, quam blasphemabant, *Matt. 12. v. 24.* Sic nostrates Jesuitas in corde convictos, Lutheranorum doctrinam esse veram, & tamen propter alias causas eandem persequentes hujus peccati reos agunt. Dicit quidem *Joh. cap. 5. Epistolæ prioris v. 16.* se non dicere, pro peccato ad mortem esse orandum sed tamen inter phrases distinguendum est. Aliud est, non dicere, pro tali peccato esse orandum: aliud est dicere, pro tali peccato non esse orandum. Prior, non posterior phrasis apud Johan. occurrit. Sed plus lucis huic ex aphorismi sequentis evolutione accedet.

§. 3. *Usus* aphorismi hujus *in didacticis* esse potest, ut, quid peccatum irremissibile sit, sciamus, nec ante consummatum hoc peccatum judicium præcipitemus. Sunt adhuc magni nominis Viri & fœminæ, qui vel propter *φιλοτιμίαν*, vel Zelotypiam ab agnita veritate defecerunt, pro quibus, ut in regiam viam adducantur (prout quibusdam contigit) non malè oramus. *Charitas omnia sperat*, *1. Cor. 13. v. 7.*

§. 4. *In polemicis* adversus eos, qui abutentes dicto Johanneo, pro iis etiam, qui consistunt adhuc in gradibus primis hujus peccati, non esse orandum, aphorismi hujus usus esse potest.

APHO-

p.242 ## APHORISMUS XIX.

De peccato in Spiritum S. non temerè pronunciandum, sed à posteriori, finali scilicet impœnitentia, judicium ferendum.

SCHOLIUM.

§. 1.

Sensus. Non desunt, qui à prioti de peccato in Spiritum S. judicium ferri posse censent, propterea, quòd DEUS antegressos gradus, veritatis scilicet agnitæ malitiosam abnegationem, blasphemationem, & oppugnationem indurationem utplurimùm punire soleat, verùm quia judicium hoc saltem est probabile, quod datis instantiis infringi potest, tutius judicium à posteriori, finali scilicet impœnitentia desumimus. Ultimum enim requisitum hujus peccati, finalis scilicet impœnitentia & omnium salutis mediorum abjectio, facit hoc ipsum irremissibile. Johannes cùm de peccato ad mortem non dicit, ut aliquis roget, peccatum hoc non inchoatum, quoad aliquos scilicet gradus & requisita, sed consummatum intelligit. Non dicit, ut aliquis pro remissibilitate peccati hujus oret.

§. 2. *Usus* aphorismi hujus *in didacticis* est, ne ante tempus judicemus, donec venerit Dominus adventu vel universali, vel particulari, 1. *Cor.* 4. *v.* 5.

§. 3. *In polemicis* adversus eos, qui peccati hujus naturam non rectè intelligentes, vel aliis, vel sibimet, ut fecit Franciscus Spiera, gratiæ portam, cùm viventibus adhuc pateat, claudunt, aut clausam proclamant, usus aphorismi hujus esse potest.

p.243 # Locus IX.

De

LIBERO ARBITRIO.

§. 1.

Arbitrii Etymologia. Cum liberum arbitrium ad bonum pars fuerit imaginis divinæ per lapsum deperditæ, non immeritò locum hunc cùm proximè præcedente de peccato connectimus. Ut autem duo præcipua fuerunt divinæ imaginis axiomata, lux in intellectu & rectitudo in voluntate: Sic ab utraq; facultate rationalis animæ libetum arbitriũ nomen accepit. Arbitrium enim in intellectu prælucente, libertas in voluntate consistit. *Vocatur liberum arbitrium*, non liberum judicium, quòd judex ad normam sit adstrictus, arbiter autem liberior, ex æquo bono decernens. Lutherus servum arbitrium ad ea, quæ sunt in hemisphærio superiore attendens vocat. Quâ ipsâ voce non Augustinum tantùm ipse Monachus Augustinianus, sed & sacras literas fuit secutus. *Joh.* 8. *v.* 34. Salvator inquit: *Qui facit peccatum, servus est peccati.* Paulus *Rom.* 7. *v.* 14. conqueritur, *se venundatum esse sub peccatum* instar alicujus mancipii de lapide, quod ajunt, emti, cujus tanquam Tyranni jussa, velit nolit, audite cogatur.

Petrus *2.cap.2.v.19.* dicit: *A quo quis victus est, illius servus est.* Quibus verbis ad otiginem servorum respicit, cùm scilicet in bello manu capti servabantur, nec interficiebantur. Sed nos à peccato sumus victi. E. Illius servi sumus facti.

§. 2. *Libertatis homonymia.* Libertas aliàs variis modis dicitur, vel à coactione, quæ proprietas est voluntatis: vel ab obligatione, seu norma, quam homo nunquam habuit, vel à servitute, seu miseria, quam homo in statu integritatis quidem habuit, per lapsum autem amisit. Τὸ ἀυτεξούσιον autem, quod Aristoteles 3. Eth. facit ultimum actionum humanarũ principium, & ab Interpretibus per liberum arbitrium redditur, homini nunquam, ne quidem in statu integritatis, competiit, soliq́ue DEO tribuendum. *Dividitur* etiam *libertas*, quòd vel sit contrarietaris, vel disparationis, vel contradictionis. Libertas contrarietatis ad contraria, bonum & malum, se extendit, ita, ut, contrariis objectis in medium propositis, ex his unum eligere quis possit. Disparationis libertas ad objecta disparata, cujusmodi sunt edere, bibere, stare, sedere, ambulare,
p.244 scribere, canere fidibus, pugnare, respicit. Contradictionis circa unicum tantùm objectum, quod vel affirmare, vel negare, vel eligere, vel repudiare quis potest, versatur. Libertas etiam, quod in loco proximè præcedente monuimus, vel est à reatu, vel à dominio, vel à sensu, vel à radice peccati. Reatus tollitur in justificatione, dominium in sanctificatione, sensus in morte, radix in cinefactione.

§. 3. *Definitur liberum arbitrium*, quod sit vis, sive facultas mentis proprio motu sine ulla coactione bonum & malum vel eligendi, vel repudiandi. Ut hæc definitio generalis exactius teneatur & status hominis diversi, & objecta diversa probè sunt discernenda. Ipsa siquidem est generalis nec ad certum aliquem statum, nec certum objectum restricta.

§. 4. *Status hominis sunt quatuor*, confectionis, defectionis, refectionis & perfectionis, vel, ut aliis terminis efferuntur, institutionis, destitutionis, restitutionis, & hujus vel inchoatæ, vel consummationis. In statu confectionis, qui & integritatis dicitur, homo liberum habuit arbitrium ad bonum & malum, nec tantùm ad bonum merè morale ac naturale, verùm etiam spirituale. In statu defectionis, qui nominibus aliis etiam status transgressionis, lapsus & corruptionis dicitur, homo quidem liberum habet arbitrium ad bonum & malum, sed bonum tantùm naturale ac civile, nec hoc integrum, verùm attenuatum, imminutum & languidum: ad bonũ verò spirituale prorsus nullum. Hujus status respectu servum potius, quàm liberum, arbitrium hominis dicitur. In statu refectionis, qui & reparationis dicitur, arbitrium per DEI gratiam incipit fieri liberatum, sic, ut delectetur lege DEI, nec dominium peccato concedat. Dico, quòd incipiat fieri liberatum, quia licet renatus peccato non consentiat, idem tamen nolens volens sentire cogitur. Aliàs quòd regeneratio non ὁλικῶς i.e. totaliter, μερικῶς tamen i.e. partialiter in hac vita peragatur, statuimus. Quam ob causam dies extremus dies παλιγγενεσίας i.e. regenerationis *Matth.19.v.28.* & ἀποκαταστάσεως ἁπάντων i.e. restitutionis omnium *Act.3.v.21.* vocatur. In statu perfectionis, qui & glorificationis dicitur, arbitrium erit liberrimum. Licet autem ad bonum tantùm,

non

non etiam ad malum, erit determinatum, & sic libertas contrarietatis desitura sit, non tamen deerit libertas contradictionis, ita, ut uno proposito objecto beati possint illud eligere, vel secus, prout Deus est agens liberrimum, nec tamen ad malum propendet.

§. 5. Objecta liberi arbitrii vel in hemisphærio superiore, vel inferiore continentur. In hemisphærio superiore sunt
p.245 ea, quæ supra nos: in inferiore, quæ sunt infra nos. Supra nos sunt res spirituales: infra nos sunt res naturales & civiles. In his post lapsum habemus adhuc liberum arbitrium, sed in illis penitus est amissum. Præter fundamenta hujus assertionis, quæ supra de servo arbitrio adduximus, sunt etiam seqq. 1. *Psal. 14. v. 3. Omnes declinaverunt, omnes inutiles facti sunt, non est, qui faciat bonum, ne unus.* 2. Quòd homo post lapsum cum tenebris comparetur, *Joh. 1. v. 5. Lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non apprehenderunt.* 3. ex *Gen. 6. v. 5.* quòd *omne figmentum cordis humani tantùm malum sit omni die.* 4. ex *epistola Rom. 8. vers. 7.* quòd sapientia carnis, vel excellentissimum opus rationis inimicitia sit adversus DEUM. Ubi tenendum, in fontibus non esse adjectivum ἐχθρὰ i. e. inimica, sicuti perperam quidam legunt, cùm ne constructio quidem Grammatica id permitteret, sed substantivum ἔχθρα i. e. inimicitia. 5. ex epistola *Eph. cap. 2. v. 1.* quòd in peccatis simus mortui, nec nos ipsos à mortuis excitare queamus. Quorsum omnia ista fundamenta, quæ nostram resurgendi ἀδυναμίαν ostendunt, faciunt. Cum spiritualibus tamen actionibus Ecclesiasticæ ac pædagogicæ non sunt confundendæ. Sunt autem actiones Ecclesiasticæ v. g. templum accedere, legere, vel audire verbum DEI, etiam diligenter, ut Form. Conc. art. concedit, & hæ sunt ἐφ' ἡμῖν i. e. in potestate nostra. Potest enim hoc fieri non propter conversionem, sed vel pruritu novitatis, vel propter gustum aliquem eloquentiæ faciendum, quem in finem Augustinus Oratoriæ Professor aurium operam locabat Ambrosio Episcopo Mediolanensi, vel calumniandi, traducendi, aut etiam nocendi studio, vel alias ob causas. Sic Herodes irregenitus ἡδέως i. e. cum delectatione Johannem Baptistam, quem capite postmodum truncabat, audire solebat, *Marci c. 6. v. 20.* Sic Sergius irregenitus ἐπεζήτησεν id est, desiderabat audire Paulum, *Actor. 13. v. 7.* Ubi limitibus accuratis inter desiderium audiendi & credendi distinguendum. Illud adhuc est in viribus nostris: hoc autem jam est initium fidei, à Spiritu S. accensum. *DEUS enim dat velle & perficere, Phil. c. 2. v. 13.*

§. 6. Extincto itaque in spiritualibus libero arbitrio, non nisi per DEI gratiam converti possumus. Quod antequam probemus, terminum gratiæ, cùm multipliciter sumatur, & in conversionis negocio gratia DEI satis distingui non possit, primùm evolvemus. Pelagius Brito, qui dictus fuit hostis gratiæ, & cum suis complicibus Juliano ac Cœlestio Doctoribus Ecclesiæ purioribus Augustino, Prospero, Hilario, Fulgentio & aliis circa seculi quinti post Christum natum ini- p.246
tium negotii non parũ fecit, per gratiam ipsam naturam, vel gratiam creationis, tandemque divinæ voluntatis revelationem intellexit. Sed à rectiùs sentientibus hæc vocis acceptio rejecta fuit & refutata.

furata. Distinctiones gratiæ in controversia de regenerarione, vel conversione hominis occurrentes, præcipuæ videntur esse sequentes. Quidam gratiam divinam in prævenientem, concomitantem & subsequentem dividunt. Prævenientis rursus duos actus faciunt, virium supernaturalium collationem & ad exercitium harum virium excitationem. Unde nonnulli Synergismum faciũt duplicem, crassum & subtilem. Crassum, cum gratia & liberum arbitrium statim in conversionis principio concurrere dicuntur: subtilem, cùm primus gradus prævenientis gratiæ quidem admittitur, concursus tamen cum altero statuitur. Alii gratiam in incipientem, operantem & perficientem dividunt. Alii gratiam in operantem & cooperantem dividunt. Alii has operationes divinæ gratiæ nominibus aliis efferunt, ut Erasmus contra Lutherum species gratiæ convertentis incipientem, adjuvantem & perficientem facit. Martyr, Calvinus, Paræus Petri Lombardi distinctionem in gratiam operantem & cooperantem quidem admittunt, sed sensu diverso. Alii ex Patribus Dordracenisibus in primam & secundam; alii aliter dividunt. Interdum etiam allatæ distinctiones miscentur, v.g. cùm gratia præparans comitanti & subsequenti jungitur, aut gratia operans excitantis & dirigentis; cooperans perficientis nomine venit. De gratia justificante ac sanctificante; gratum faciente & gratis data dicendi locus alibi dabitur.

§. 7. Conversionem autem non nostris viribus, sed gratiæ adscribendam esse probamus 1. ex *Jer.31.v.17.* cùm Propheta in hæc verba erumpit: *Converte me, DOMINE, & convertar.* 2. ex *Ezech.36.v.26. DEUS est, qui cor aufert lapideum, & dat carneum.* 3. ex *Johan.6.vers.44. Nemo venit ad me, nisi Pater traxerit eum.* 4. ex *Johan. cap.15. v.5. Sine me nihil potestis.* 5. ex *1.Cor.2. v.14. Animalis homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus DEI. Sunt enim ipsi stultitia.* 6. ex *2.Cor.3.v.5. Non sumus idonei ex nobis ipsis cogitare quicquam scilicet boni, tanquam ex nobis, sed quod idonei sumus, id ex DEO est.* 7. ex *Epistola Phil.c.3.v.13. DEUS est, qui operatur velle ac posse pro bono suo proposito.*

§. 8. Sed Scyllam Pelagianam vitantes hîc Reformati, cum quibus Jansenistæ tibias easdem inflant, in Charybdim, alterum scilicet extremum, incidunt, gratiam conversionis irresistibilem statuentes. Sed refutatur hæc 1. ex dicto *Es.5. v.4.* cùm divina Majestas conqueritur; *Quid amplius faciam vineæ meæ, quod non* p.247 *fecerim: sed tamen collecturus uvas invenio labruscas.* 2. ex *c.1.Prov.v.24. Es.65. v.2.* ubi divina Majestas rursus conqueritur: *Totâ die manus meas extendo ad populum rebellem, gradientem vias suas.* 3. ex *Matth.23.v.37. Jerusalem, Jerusalem, ego te volui congregare, sed tu noluisti.* 4. ex *Lucæ c.7.v.30.* ubi Pharisæi dicuntur irritum fecisse consilium DEI adversus seipsos non baptizati à Johanne. Consilium DEI erat, ut baptizarentur à Johanne ac salvi fierent. Sed hoc intetmittebant. 5. ex *Johannis 5.v.34. & 40. Hæc dico, ut vos salvi fiatis, sed non vultis venire ad me, ut vitam habeatis.* 6. ex *cap.13. Act.v.46. Vos oportebat primùm loqui sermonem DEI, sed quoniam repellitis illum, & vos ipsos indignos judicatis æternâ vitâ, ecce convertimur ad gentes.* Ubi omnis culpa in auditores ingratos conjicitur.

conjicitur. Ab hac ſententia non procul abeunt Prædeterminatores Dominicani, præmotionem voluntatis humanæ à DEO fieri, antequam ipſe homo ſe moveat, ſed temporum intervallis non diſtinctam, eamque vel moralem, ut Orator movet auditorem, vel, quia hanc inſufficientem putant, per influxum Phyſicum ſtatuentes. Hæc prædeterminatio ad omnes actiones bonas & malas ex eorum ſententia pertinet, DEUMque peccati cauſam ἐπομένως facit. In negocio converſionis hæc gratia præfiniens à præveniente, quam nos docemus, accuratè diſcernenda venit. Nec ſilentio hîc involvenda venit gratia congrua, quam Bellarminus & alii ſcriptores Pontificii docent & ex abſoluto DEI decreto derivant, ingenio, temperamento convertendi, circumſtantiis temporis ac loci conveniens.

APHORISMUS I.

Homo in naturalibus vulneratus, in ſpiritualibus planè mortuus eſt.

SCHOLIUM.

§. 1.

Enſus. Quod in naturalibus etiam arbitrium ad bonum ſit languidum, attritum & imminutum, præter ſcripturas etiam gentiles docent. *Omne figmentum cordis humani tantùm malum eſſe omni die*, divina Majeſtas conqueritur, *Gen. 6. v. 5. & à pueritia Geneſ. 8. v. 21. Nos omnes inutiles factos eſſe, non eſſe, qui faciat bonum, ne unum quidem*, Pſaltes duabus vicibus *Pſ. 14. v. 3. & Pſ. 53. v. 4.* teſtatur, cui Paulus conſonat *Rom. 3. v. 12.* Philoſophus l. 1, Eth. ad Nicom. c. 13. appetitum ſenſitivum rationi reluctari dicit, ut pes claudicantis, licet dextrorſum moveatur, ſiniſtrorſum tamen in partem oppoſitam fertur. Id quod ab harmonia inter vires ſuperiores & inferiores poſt lapſum ſoluta dependet. Sic apud Ovidium Medea dicit l. Metamorph. p. 248

——— *video meliora, proboq;,*
Deteriora ſequor.

Et de vulneratis naturalibus parabola de viatore in latrones incidente, qui percuſſus & ſemivivus relictus fuit, à quibusdam Theologis exponitur, niſi quis de capacitate paſſiva intelligere, vel Theologiam parabolicam, tanquam non argumentativam in hac controverſia poſtponere velit.

§. 2. Quod autem homo in ſpiritualibus planè mortuus ſit, probatur 1. ex *Epiſtola* ad *Epheſ. c. 2. v. 1. Cùm mortui eſſetis in delictis & peccatis*, ut & capitis ejusdem: *Cùm eſſemus mortui per delicta, DEUS vivificavit nos.* 2. ex *Joh. c. 15. verſ. 5. Sine me nihil poteſtis facere.* 3. ex *Joh. 6. v. 44. quia trahendi ſumus ad Chriſtum.* Vide ſupra. Quia tamen in naturalibus & civilibus locomotivam adhuc regere poſſumus, (quam ob cauſam leges carcer potentiæ locomotivæ dicuntur) ſontes propter transgreſſiones ad pœnas poſcuntur. Cogitationum verò pœnam in foro ſoli nemo luit.

§. 3. *Uſus* aphoriſmi hujus *in didacticis* eſt, ut vires noſtras, quàm languidæ ſint in bonis naturalibus & civilib⁹, quàm nullæ ſint in bonis ſpiritualibus, agnoſcamus, nec cum Samſone tonſo viribus noſtris majora præſumamus, ſed ad gratiam confugiamus.

§. 4. *In polemicis* adverſus Pelagianos veteres & novos, Pontificios & Socinianos,

nianos, vires liberi arbitrii, etiam in ſpiritualibus, extollentes, uſus aphoriſmi hujus eſſe poteſt.

APHORISMUS II.

Homo non naſcitur ἀδέτερος ad bonum & malum.

SCHOLIUM.

§. 1.

Enſus. Videns Philoſophus virtutes & vitia crebris actionibus, priusquam fiat habitus, acquiri, hominem ἀδέτερον ad bonum & malum naſci ſtatuit l. 2. Ethicorum ad Nicomachum c. 5. Sic & intellectum noſtrum cum χαμμαλείῳ, ἐν ᾧ μηδὲν ἐϛι γεγραμμένον τῇ ἐντελεχείᾳ, i. e. *cum tabula, in qua nihil actu ſcriptum eſt*, comparat l. 3. de anima, c. 4. Verum enimverò, licet reſpectu cognitionis acquiſitæ, ut & habituum contractorum, concedere queamus, non tamen ſimpliciter, cùm & lex inſcripta ſit cordibus noſtris, & ad malum propenſiores ſimus naturâ, quàm ad bonum. Præter locum enim in aphoriſmo præcedente citatum idem Philoſophus l. 7. Eth. ſtatuit quasdam ſemivirtutes, habitus morales imperfectos & diſpoſitiones, quæ non tranſeant in habitus, ſed cum magna lucta rationis & appetitus perficiantur, propterea quod ipſa quaſi natura reluctetur. Tales ſunt continentia & tolerantia, de quibus Comicus inquit in Andria & quidem actu 1. Scenâ 1. quòd omnium hominum ingenium proclive ſit à labore ad libidinem. Conſentit Plautus in Amphitruone, cùm Mercurius Prologus in hæc erumpit verba:

p. 249

——— Jupiter
Non minus, quàm veſtrum quivis formidat malum
Humanâ Matre natus, humano Patre:
Atq; ego etiam, qui Jovis ſum Filius
Contagione meæ matris metuo malum.

Sacris utrique literis aſſertio hæc Philoſophi nimis adverſatur, quæ nos *ab utero transgreſſores Eſ. 48. v. 8. carnem de carne Ioh. 3. v. 6. filios iræ τῇ φύσει* i. e. *naturâ* vocat *Epheſ. 2. v. 3.* Audiamus Apoſtolum *Roman. 3. v. 10.* & ſeqq. Pſalmographum regium explicantem: *Non eſt juſtus, ne unus quidem. Non eſt intelligens, non eſt, qui exquirat DEUM. Omnes deflexerunt, ſimul inutiles facti ſunt: non eſt, qui faciat bonitatem, non eſt uſq; ad unum.* Sepulchrum patens guttur eorum, linguis ſuis ad dolum utuntur: venenum aſpidũ ſub labiis eorum. Quorum os execratione & amarulentiâ plenum eſt. Veloces pedes eorum ad effundendum ſanguinem. Contritio & calamitas in viis eorum, & viam pacis non cognoverunt. Non eſt timor DEI coram oculis eorum.

§. 2. *Uſus* aphoriſmi hujus *in didacticis* eſt, ut aſſerta Philoſophorum gentilium ab occulta ſapientia, quam docet ſcriptura, diſcernentes noſtram ἀδυναμίαν agnoſcamus.

§. 3. *In polemicis* adverſus dictos Philoſophos, Anabaptiſtas & Socinianos peccatum originis cum fictis Mathematicorum hypotheſibus comparantes & inde vires liberi arbitrii augentes uſus aphoriſmi hujus eſſe poteſt.

APHORISMUS III.

Recta ratio non ſemper deprecatur ad optima.

SCHOLIUM.

§. 1.

Enſus. Per rectam rationem *Philoſophus* intelligit, quæ nõ laborat ἀῤῥωσίᾳ vel

vel imbecillitate quadam, & de hac præclara multa effatur, v.g. 1. *Eth. ad Nic. c.* 13. Ὀρθὸς λόγος ἀεὶ πρὸς τὰ βέλτιστα παρακαλεῖ i.e. *recta ratio semper deprecatur ad optima.* Quando enim appetitus sensuum in devia fertur, recta ratio veluti
P. 150 Palladis fræno, prout loquuntur Philosophi, regiam in viam, non quidem δεσποτικῶς, sed πατρικῶς imperando, eosdem flectit. Sed tamen interdum sic reluctatur hic appetitus, ut voluntatem in consortium trahat. Hæc ut exactius teneantur, in homine duo esse, ὀρθὸν λόγον id est, rectam rationem, & μέρος ἄλογον, quod appetitum sensitivum vocant, habendum. Recta ratio deprecatur ad optima, sed appetitus sensuum adversatur rectæ rationis imperio. Appetitum hunc sensuum Philosophus non suam accuratiorem, quam tradit in Physicis, sed Platonicam animæ facultatum divisionem respiciens (in Ethicis enim τὸ ἀκριβὲς non est quærendum, sed subjectum interdum perfunctoriè tantùm, quatenus instituto sufficit, cognoscendum) in irascibilem & concupiscibilem dividit. Plato siquidem tres animæ facultates, τὸ ἐπιθυμητικὸν id est, concupiscibile, quod in ventre dominatur infimo, τὸ θυμικὸν, quod in medio, præprimis in corde, sese exerit, & τὸ ἡγεμονικὸν, quod supremam sibi sedem legit, constituit. E.g. In fortitudine appetitus irascibilis, in temperantia concupiscibilis est refrænandus, ut fiat μετριοπάθεια i.e. ut ad mediocritatem affectus redigantur. Quando tres hæ partes animæ (si totum potentiale sic dividere licet) concordant, lyram Mercurii τρίχορδον benè contemperatam referre dicuntur. Quia v. μέρος ἄλογον in homine subordinatur rectæ rationis imperio, λογικὸν quodammodo, non quidem καθ' ὕπαρξιν i.e. *per existentiam*, sed κατὰ μέθεξιν i.e. *per participationem* Philosopho dicitur. Et hæc est ratio, quòd in bruta, cùm peccant appetitu sensitivo, non animadvertatur, sicut in homines, quòd appetitus illorum non subordinetur rectæ rationis imperio. Hactenus de subjecta materia sententia Philosophi, quam tantùm ex lumine naturæ, sed admodum caliginoso, desumsit. In sacris literis etiam excellentissimum opus rationis carnis nomine venit. Paulus ad *Rom.* 8. *v.* 7. Φρόνημα σαρκὸς ἔχθρα εἰς θεὸν i.e. *sapientiam carnis inimicitiam adversus DEUM* vocat. Ad *Gal.* 5. *v.* 20. *hæresin & idololatriam*, quæ non sunt in appetitu sensitivo, sed in intellectu, *fructibus carnis accenset.* Hinc & intellectus illuminandus, voluntas reformanda per gratiam venit, cùm convertendus est homo. Ex his etiam, quod in superioribus jam dictum, fluit, quod *luctæ carnis & Spiritus*, quam Scriptura docet, & *pugna rationis & appetitus*, quam Philosophi tradunt, *non parum inter se differant.*

§. 2. *Usus* aphorismi hujus *in didacticis* est, ut corruptionem nostram in facultatibus etiam superioribus agnoscamus, & inter naturam ac gratiam accuratè discernamus.

§. 3. *In polemicis* adversus Philosophos gentiles, &, qui cum ipsis concinunt, Pelagianos veteres. & recentiores usus aphorismi hujus esse potest.

APHORISMUS IV. p. 151

Τὸ αὐτεξούσιον soli DEO competit.

SCHOLIUM.

§. 1.

Sensus. Hoc termino Philosophico Patres Græci, qui vel ipsi prodierunt è

ſcholis Philoſophorum, vel à talibus Eccleſiæ Doctoribus hauſerunt, in ſcriptis ſuis uti ſolent. Facit enim *Ariſtoteles in l.3. Ethic. ad Nicomachum 5. principia humanarum actionum* 1. τὸ ἑκούσιον & ἀκούσιον i.e. *ſpontaneum & invitum*, 2. προαίρεσιν i.e. *electionem*, 3. βούλευσιν i.e. *conſultationem*, 4. βούλησιν i.e. *voluntatem*, 5. αὐτεξούσιον i.e. *liberum arbitrium*. *Spontaneum* eſt, cujus principium eſt in ipſo agente, ſciente omnes actionis circumſtantias. Latius aliâs eſt ſpontaneum, quàm liberum, quia brutis quoque competit, ſed h.l. deſcribitur, ut eſt in homine, virtutis & ſumi boni capace. *Invitum* fit vel per vim, vel per ignorantiam. *Invitum*, quod fit *per vim*, vocatur βίαιον i.e. *violentum*, cujus principium extrinſecus obvenit, ita, ut vel agens, vel patiens adjumenti nihil cõferat. Quomodo *Judæi quidam ab Antiocho coronati trahebantur ad ſacrificia Bacchi, Eleaſaro ſuilla in os ingerebatur 2. Maccab.* 5. Dantur tamen etiam actiones mixtæ, quæ nec invitæ, nec ſpontaneæ ſimpliciter dici poſſunt, cùm ſc. res per ſe neutiquam eligẽda, propter circumſtantias tamen aliquas eligitur. Tales ſunt actiones, quæ vel magni alicujus boni conſequendi, vel alicujus magni mali vitandi cauſa ſuſcipiuntur. V.g. Si quis mercator prius mercium, quàm vitæ jacturã facit, inſtante naufragio: vel cum Scævola, ut terrorẽ incutiat hoſtib⁹ Romanorum, manũ dextram prius amburit. *Ignorantia* vel eſt ἔξις καθόλου i.e. *univerſalis*, vel τῶν καθ' ἕκαστα i.e. *particularium*. *Univerſalis*, quæ & ignorantia juris dicitur, eſt, cùm agens finem, quem maximè ſcire debebat, ignorat. *Particularis*, ſeu facti eſt, cùm agens quasdã circumſtantias ignorat, quas ante actionem ſcire, aut cavere non poterat. Hâc ignorantia ſe defendit *Paulus Act. 23. v. 5. quòd ſummum Sacerdotem durius allocutus fuerit.* Ubi Philoſophus etiam inter phraſes, ignorantem agere & per ignorantiam agere, diſtinguit. Ignorans agit, cùm non ignorantia, ſed aliud, per quod ignorantiã acquiſivit, actionis cauſa eſt, v.g cum ebrius agit, quod ſobrius nunquam feciſſet. Per ignorantiam quis agit, cùm ignorantia iſtius erroris cauſa eſt. V.g. *Cùm Jacobus pro Rachele ſorore Leam uxorem accepiſſet, Gen. 29. v. 23.*

§. 2. Προαίρεσις quaſi πρὸ ἑτέρων αἵρεσις definitur, quod ſit ἑκούσιον προβεβουλευμένον i.e. *ſpontaneum prius deliberatum*. Item quòd ſit ὄρεξις λογικὴ & λόγῳ ὀρεκτικὸς i.e. *appetitus rationalis & ratio appetitiva*. Βούλευσις eſt de rebus incertis, non tamen impoſſibilibus & neceſſariis deliberatio. Βούλησις eſt ipſa volitio circa bonum, non p. 252
verum duntaxat, ſed etiam apparens occupata. Uſum horum omnium τὸ αὐτεξούσιον, vi cujus homo liberè bonum & malum eligere, bonus, aut malus eſſe poteſt, oſtendit. Hoc αὐτεξούσιον homini nunquã competere, vel competiiſſe, ne quidem in ſtatu integritatis, probamus 1. quia denotat ἐξουσίαν i.e. *poteſtatem*, quã quis habet à ſeipſo, cùm tamen homo nunquam habuerit arbitrium liberum ab obligatione, vel norma. Cõditori enim ſuo manſit ad obedientiam devinctus, qui legem etiam tabulis cordis ipſi⁹ inſcripſit & legem poſitivam de abſtinendo ab arbore vetita cum pœnæ cõminatione ipſi tulit. 2. quòd homo in ſtatu corruptionis, in quo vixit ipſe Philoſophus, arbitrium ſervum habeat ad malum, & venundatus ſit ſub peccatum, in ſuperioribus pluribus ex ſcriptura deſumtis argumentis probavimus. 3. quia Philoſophum Philoſopho poſſumus opponere

ponere, cùm ipſe propenſionem ad malum, vel ſaltem in facultatib. inferioribus, agnoverit, *c.13. l.1. Eth.* & *in Rhetoricis* πλεῖστα τῶν ἀνθρωπίνων πραγμάτων φαῦλα i.e. *plurimas humanarum actionum malas pronunciaverit, l.2. Rhet. ad Theodectem. c.13.* Quod de libertate ab obligatione diximus, nunquam eandem habuiſſe hominem, etiam in Angelos quadrat. Quare ſoli DEO τὸ ἀντιξύσιον competit.

§. 3. *Vſus* aphoriſmi hujus *in didacticis* eſt, ut in negotio ſalutis criſtis deponamus, miſeriam noſtram ſpiritualem agnoſcamus, & gratiæ potius, quàm naturæ buccinatores inveniamur.

§. 4. *In polemicis* adverſus Græcos modernos, qui ſuorum anteceſſorũ (cùm ante motas controverſias Pelagianas locuti fuerint ſecuriùs) veſtigiis inſiſtũt adverſus Pelagianos & omnes naturæ Patronos, hoſtes verò gratiæ, uſus aphoriſmi hujus eſſe poteſt.

APHORISMUS V.

A mandato ad poſſe non valet conſequentia.

SCHOLIUM.

§. 1.

Senſus. Synergiſtæ Pontificii, quo poſſint τὴν θέσιν διαφυλάττειν, mandatum de converſione ac pœnitentia nobis identidem objiciunt, v.g. cùm divina Majeſtas *Eſ.45.v.22.* præcipit: *Convertimini ad me, & ſalvi eritis omnes fines terræ.* Sed damus inſtantiam: Chriſtus Lazaro mortuo & jã putreſcenti *Joh. 11. v. 43.* dicit: *Lazare, veni foras, puella defuncta Luc.8. v.54. Puella, ſurge.* Ergò propriis viribus ſurgere potuerunt? Nullatenus. Sed verba iſta in reſuſcitatione corporali & ſpirituali, potius DEI δύναμιν & noſtram ἀδυναμίαν arguunt. Aliàs ſoli DEI converſio adſcribitur, ut *Jer.31.v.18. Converte me, DOMINE, & convertar.* Ille dicitur *auferre cor lapideum & dare carneum. Ezech.36. verſ.26.*

§. 2. Quando itaq; DEUS converſionem præcipit, vel ante converſionem, vel in ipſa converſione, vel poſt cõverſionem mandatum iſtud locum habet. Ante converſionem, ut mediis cõverſionis utamur, verbum audiam⁹ & Sactamenta non negligamus. Uſum enim mediorum poſt lapſum adhuc ἐφ' ἡμῖν i.e. *in poteſtate noſtra* eſſe, jam ſupra, cùm de actionibus pædagogicis & Eccleſiaſticis injecimus, aliquid diximus. In converſione ipſa, ne Spiritus S. operationibus morosè reluctemur, aut, ut phraſi ex *Apoc.3.v.20.* deſumtâ in ſcholis loquimur, ne malitioſum obicem huic Hoſpiti advenienti ponamus. Dantur enim ejusmodi gradus reniſus, à quibus etiam gentiles abſtinere potuiſſent. Ipſe autem obex duplex eſt, naturalis & malitioſus. Naturalem, ex corruptione naturæ noſtræ ortum, Spiritus S. tollere paratus eſt; ut verò malitioſũ, cujus nomine peccata regnantia & hæreſis veniunt, tollat, minimè tenetur. *Non enim DEUS vult mulos & jumenta, frænis & capiſtris adducenda, Pſ.32.v.9.* Poſt converſionem ne peccatis contra conſcientiam gratiam DEI excutiamus. Nullatenus autẽ DEUS, quòd à nobis impoſſibilia requirat, alicujus tyrannidis aut injuſtitiæ poſtulari poteſt, quia nõ ea, quæ ſemper & quæ ſimpliciter ſunt impoſſibilia, requirit. Primis Parentibus utique poſſibilitatem dedit in præceptis ſuis ambulandi, quàm cùm ſuâ culpâ ſibi ac poſteris perdiderunt, DEUS eandem jure adhûc requirit, non ſecus ac Creditor aliquis ab exhauſto & malitioſo

P.253

debitore pecuniâ mutuò datâ jure poscit. Non simpliciter impossibilis est ista conversio. Quod enim per naturam non possumus, id possumus per gratiam.

§. 3. *Usus* aphorismi hujus *in didacticis* est, ut dicta, quæ DEO conversionẽ nostram adscribunt, & quæ cõversionem à nobis requirunt, conciliamus, ἀδυναμίαν nostram agnoscamus & mandati hujus causam rectè teneamus.

§. 4. *Usus* adversus Pontificios πελαγιανίζοντας, Socinianos & ipsorum sequaces, hoc telo adversus nos pugnantes *in polemicis* esse potest.

APHORISMUS VI.

Nil DEUS in nobis præter sua dona coronat.

SCHOLIUM.

§. 1.

Sensus. Est hic aphorismus dictis liberi arbitrii præconibus sudes in oculis. Sed stabilitur 1. dicto Apostoli, quod habet 1. *Cor. 4. vers. 7. Quid habes homo, quod non accepisti? Si verò accepisti, quid gloriaris?* 2. ejusdem Apostoli effato, quod habet ad *Eph. 2. v. 8. Gratia servati estis per fidem (idq; non ex vobis, DEI donum est) non ex operibus, ne quis glorietur.* 3. ex *c. 1. Philipp. v. 6. Qui cœpit in vobis opus bonũ, perficiet usq; ad diem JESU CHRISTI.* 4. ex *c. 2. ejusdem epistolæ v. 13. DEUS est, qui dat, ut velitis & efficiatis pro bono animi proposito.* 5. ex *c. 12. epistolæ ad Heb. v. 2.* ubi *Christus autor & consummator fidei nostræ* vocatur. 6. ex *Joh. 1. Ex ipsius plenitudine omnes accepimus gratiã pro gratia.* Quare inter alias causas & hæc operibus nostris vim meriti detrahit, quòd non sint nostra, ex viribus liberi arbitrii, sed à Spir. S. profecta secundum versiculum:

Da tua, sed quæ nõ debes, proportio & adsit,
Non aliter meritum dixeris esse tuum.

p. 254

Pontificii quidem, ut Pelagianismi suspicionem à se amoveant, iisdem Scripturæ dictis, quibus nos, sententiam suam propugnãt, sed multis parasangis à nobis absunt. Non enim illi hominem merè passivè se habere ad gratiam, sed statim in cõversionis initio gratiæ συνεργεῖν i. e. *cooperari* statuunt: non illi vires supernaturales à Sp. S. ad nostri conversionem conferri, sed naturales in nobis latentes tantùm excitari volunt: gratiam non per modũ principii, sed concursûs cum viribus nostris considerant, ut argumenta sententiæ nostræ opposita, quorum conclusiones sunt contradictoriæ thesi, satis ostendunt. *Cõcilium Tridentinum*, quod unum instar omnium privatorũ h. l. citâsse sufficiat *sessione sextâ, can. 4* sententiam Ecclesiæ Romano-Catholicæ verbis sequentibus exponit: *Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium à DEO motum & excitatum nihil cooperari assentiendo DEO excitanti atq; vocanti, quò ad obtinendam justificationis gratiam se disponat ac præparet, nec posse dissentire, si velit, sed velut inanime quoddam nihil omninò agere mereq; passivè se habere, anathema sit.* Illustrant rem similitudinibus: *Sicut ille, qui ferreis compedibus devinctus est, habet quidem insitam & innatam incedendi potentiam, sed licet habeat illam, non tamen potest eâ uti, ut in actum prodeat, nisi prius vincula rũpantur, quæ motum retardant.* Alii utuntur similitudine aviculæ; quæ habet & retinet quidẽ potentiam volandi, sed quando funiculo alligata est, non potest usum & morum illius facultatis, quæ naturaliter ipsi est insita, exercere: si quis autẽ rumpat funiculum, is nõ iuserit aviculæ novam & peculiarem

peculiarem volandi δύναμιν, quam antea non habuerit, sed tantùm impedimentum aufert. Alii gratiam cum vehiculo, quo puer, cùm incipit currere, utitur, comparant.

§. 3. *Usus* aphorismi hujus est *in didacticis*, ut salutem nostram divinæ gratiæ in solidum feramus acceptam.

§. 4. *In polemicis* adversus dictos justitiarios, Pharisaico typho inflatos, ejusdem usus esse potest.

APHORISMUS VII.

Erasmi modiculum est rejiculum & ridiculum.

SCHOLIUM.

§. 1.

Sensus. Ex *Erasmi* diatribe de libero arbitrio, cui Lutherus servum arbitrium opposuit, quòd modiculum virium in homine post lapsum adhuc residuum sibi
p.255 concedi postularit, patet. Modiculum hoc cum viribus in natura latentibus, à Spir. S. excitandis, quas Pontificii moderni propugnant, convenit. Esse verò rejiculum, patet 1. ex dicto Salvatoris *Iohan. 15. v. 5. Sine me nihil potestis facere.* Non inquit Salvator: Sine me modiculum, sed omninò nihil potestis facere. 2. ex *2. Cor. 3. v. 5.* ubi Apostolus dicit, *quòd omnis,* non aliqua duntaxat, *ἱκανότης nostra sit â DEO.* 3. quòd nec in lapide, ut mollescat; nec in mortuo, ut resurgat, modiculum virium supersit. Sed cum lapide *Ez. 36. v. 26.* cum mortuo *Ephes. c. 2. v. 1.* homo convertendus & in vitam spiritualem revocandus comparatur. Ridiculum etiam est, quòd in dogmatibus fidei, ut in rebus civilibus inter transigentes fieri solet, aliquantillum remitti nequeat. *Μικρὰ ζύμη ὅλον τὸ φύραμα ζυμοῖ* i.e. *paululum fermenti totam massam inquinare solet, Galat. 5. v. 9.* Id quod consentit cum isto Philosophi, quod habet *l. 1. Φυσ. ἀκρ. c. 2. Vnò dato inconvenienti, licet modiculo, sequuntur plura.* Et *l. 1. de cœlo c. 5. Parumper deflectere à veritate discedentibus fit tandem millecuplum.*

§. 2. *Usus* aphorismi hujus *in didacticis* est, ut arbitrium in bonis spiritualibus post lapsum non attenuatum saltem, aut labefactatum, quod vult Pontificiorum in hoc loco sententia, sed omninò nullum agnoscamus.

§. 3. *In polemicis* adversus dictum Erasmum & Pontificios reliquos usus aphorismi hujus esse potest.

APHORISMUS VIII.

Non trahit DEUS volentes, sed ex nolentibus facit volentes.

SCHOLIUM.

§. 1.

Sensus. In Patribus, qui securiùs ante motas controversias Pelagianas locuti fuerunt, phrases occurrunt arbitrii liberi vires in spiritualibus extollentes, ut *Chrysost. θελῆσαι μόνον δεῖ, καὶ πάντα ἕπεται* i.e. *oportet tantum velle, vel voluisse, & omnia sequuntur. Basilii M. μόνον θέλησον καὶ θεὸς πρόσεσται* i.e. *velis modò & DEVS præcurret. Clementis, θέλε καὶ δυνήσει* i.e. *velis tantùm & poteris. Nazianzeni, τὸ ἐφ' ἡμῖν εἶναι δεῖ καὶ τὸ ἐκ θεοῦ σώζεσθαι* i.e. *ex nobis & ex DEO salvari oportet.* Sic ex Latinis

tinis, volentem à DEO trahi, quidam dixerunt. Verum, ut Bibliothecæ Patrum duobus oculis, prudentiæ & caritatis, sunt lustrandæ: Sic & nævus hic pallio caritatis, quòd extra controversias locuti fuerint securiùs, venit obtegendus. Opponimus 1. verbum ipsum trahendi, quod habetur *Joh.6.v.44. Nemo venit ad me, nisi Pater traxerit eum.* Si dixisset, nisi Pater duxerit eum, tunc forsan concomitantia & synergia subintelligi posset. Sed dicit, traxerit. 2.locum ad *Rom.9.v 16. Non est volentis, neq; currentis sed DEI miserentis.* 3.locum ad *Phil.2.v.13. DEVS operatur in nobis velle ac perficere pro bona sua voluntate.* 4.locum *Actor.16.v.14. DEVS aperuit cor Lydiæ intendere his,*
p.256 *quæ dicebantur.* 5.locum *Ezech.36.v.26.* quòd cor nostrum in conversione se habeat instar lapidis. Sed lapis ad mollitiem seipsum disponere nequit. 6.locum *Phil. c.1.v.6.* quòd *DEVS bonum opus in nobis incipiat.* Per nolentes non intelliguntur inviti & morosè reluctantes, quasi DEus obtorto collo nos trahat ad salutem, sed non volentes.

§. 2. *Usus* aphorismi hujus *in didacticis* est, ut nobis omnem συνέργειαν tam crassam, quàm subtilem denegemus, & nostri conversionem DEO soli acceptam referamus.

§. 3. *In polemicis* adversus Synergistas veteres & recentiores usus aphorismi hujus esse potest.

APHORISMUS IX.

Tolle liberum arbitrium, non erit, quod convertatur: tolle gratiam, non erit, unde convertatur. It. Conversio est propriè voluntatis adverbialiter, non est propriæ voluntatis nominaliter.

SCHOLIUM.

§. 1.

Ensius. Per liberum arbitrium Patres interdum ἱκανότητα (non activam, quæ simpliciter homini denegatur *2.Cor. 3.v.5.* sed passivam) intellexerunt, quòd scil. homo sit capax conversionis subjectum, non ut stipes & truncus se habeat, sed in progressu conversionis Spiritui S. cooperetur. Nec enim Spiritus S. convertitur, pœnitentiam agit, credit, sed conversionem, pœnitentiam & fidem in nobis operatur. Quare inter principium & subjectum: inter actionem & actionis originem in hac controversia non rarò est distinguendum. Conversionis, pœnitentiæ, fidei subjectum est homo: principium Spiritus S. Quorsum spectat aphorismus alter, quod conversio quidem sit propriè voluntatis adverbialiter, i.e. quòd nos, minimè Spir.S. convertamur, non propriæ voluntatis nominaliter, i.e. quòd conversionem non habeamus ex nobis ipsis, sed à Spiritu S. Exinde quoque controversia Synergistarum, qui voluerunt esse confessionis Augustanæ socii cum orthodoxis, an homo in conversione instar stipitis & trunci se habeat (von der Klotzbekehrung) & an gratia in vacuos urceolos infundatur, an verò συνέργειαι gratiæ & virium liberi arbitrii, cùm homo convertitur, sit asserenda.

§. 2. Distinctio inter ἱκανότητα i.e. *idoneitatem* activam & passivam rem totam tollit. Si spectatur activa, non tantùm

tùm ut ſtipes, ſed etiam ut lapis,& mortuus ſeſe homo habet: ſi verò paſſivam, capax converſionis ſubjectum, cujusmodi non eſt ſtipes, aut lapis,à nobis eſſe cõceditur. Profluxerunt hæ ſynergiſticæ controverſiæ, ut & Majoriſticæ & Adiaphoriſticæ ex Formula interreligionis. Cùm enim trepidarent noſtrates ad edictum Cæſareum, etiam in articulo de cõverſione, Melanchthon & alii ſequaces, inprimis Victorinus Strigelius Pontificiis propiùs accedere voluerunt. Sed, præterquam quòd fingerent adiaphora, ſcripturis è dianetro repugnantia docebant. Vide ſupra. Inde factum,ut,cùm quidam exrectius ſentientibus Synergiſtis & Majoriſtis iſtis ſeſe opponerent, in fervore diſputationis εἰς τναντίον prolapſi fuerint, & ſic errores erroribus cumulaverint. Quibus tamen τὸ ἐνωτικὸν medicinam tándem fecit.

§. 3. *Vſus* aphoriſmi hujus *in didacticis* eſt, ut de diverſis acceptionibus termini liberi arbitrii ſimus certi, & ſubjectum à principio diſtinguamus. *In polemicis* verò adverſus dictos Synergiſtas.

P.257 ## APHORISMUS X.

Prævenit nos divina gratia, antequam poſſimus: operatur in nobis, ut poſſimus: cooperatur in nobis, quando ipſius dono jam poſſumus. Item. Renati cooperantur Spiritui S. non collateraliter, ſed ſubordinatè.

SCHOLIUM.

§. 1.

Senſus. Videtur terminus prævenientis gratiæ deſumtus ex *c.*4. Prophetæ *Amoſi, v.*12. ubi DEO ad nos prævenienti tendere jubemur in occurſum. Item *Apoc.*3.*v.*20. quando ſtare dicitur ad oſtiũ & pulſare,ut intromittatur. Conſiſtit illa præveniens gratia in duobus, in collatione ſcil. virium ſupernaturalium, & excitatione ad uſum & exercitium virium ſupernaturalium jam collatarum. Magna hîc differentia eſt inter ſententiam de gratia excitante, quam nos & quam Pontificii docent. Hi vires naturales ſtatim in initio converſionis à Spiritu S. excitari volunt: nos autem ad uſum & exercitium virium ſupernaturalium à Spir.S.jam collatarum excitari,ſtatuimus. Nos gratiam per modum principii; Pontificii per modum concurſus ſe habere dicunt. Qui gratiam & vires liberi arbitrii ſtatim ab initio converſionis συνεργεῖν ex Auguſtanæ Confeſſionis ſociis aſſeruerunt,Synergiſmum craſſum; qui verò prævenientem quidem gratiam admiſerunt, aſt ſine gratia inſtigante ad exercitium virium collatarum vires liberi arbitrii concurrere docuerunt, Synergiſmum ſubtilem docuiſſe quibusdam ex Noſtratibus videntur. Quando verò Acolaſtus cruce compulſus reditum ad Patrem meditari dicitur *Luc.*15 *v.*18. crux non directè, ſed indirectè ad gratiam nos compellit, quatenus nimirum fit ſuſcitabulum verbi prius auditi, aut lecti, vel etiam ad uſum mediorum ſalutis, qui adhuc eſt ἐφ' ἡμῖν, nos inſtigat.

§. 2. Salutis media ſunt vel δοτικὰ, vel λητικὰ i.e. vel dantia, vel accipientia. Illa ſunt verbum & Sacramenta: hoc eſt fides. Illorum uſus, non hujus in manu noſtra poſitus eſt. Verbum eſt vel legis, vel Evangelii. Per verbum legis Spiritus Sanctus quidem cordibus noſtris aſſiſtit, eadem

Digitized by Google

eadem pulsat, conterit, & ad agnitionem indigentiæ remissionis peccatorum adducit, vel, ut quidam Theologi loquuntur, Spiritus S. aratro legis ad excipiendum fidei semen corda nostra præparat: Per Evangelium autem fidem accendit, ut Paulus inquit *Gal.3.vers.2. Hoc solùm cupio discere à vobis, ex operibus legis Spiritum accepistis, an ex prædicatione fidei?* p.258 Et per fidem in cordibus nostris habitat. Quando verò nos ita præventi Spiritui S. cooperamur, id non fit collateraliter, sed subordinatè, ut declaratio Form. Conc. art. 2. loquitur. h. e. Spiritus S. & renati se non habent ut causæ sociæ, ut duo equi trahunt unum currum, sed Gubernator supremus hîc manet Spir. S. nisi per vim quasi per peccata contra conscientiam de clavo deturbetur. Est enim *Autor & consummator fidei nostræ, Hebr. 12. v. 2. ille bonum opus in nobis incipit & perficit Philip.1.v.6. ille nos instaurat, fulcit, roborat, stabilit, 1.Pet.5.v.10.* ita, ut totum conversionis opus in solidum ipsi sit adscribendum.

§. 2 *Usus* aphorismi hujus *in didacticis* est, ut quid DEO, quid nobis in conversionis opere tribuendum sit, agnoscamus.

§ 4. *In polemicis*, adversus Synergistas, aut omnes gratiæ divinæ extenuatores ejusdem aphorismi usus esse potest.

APHORISMUS XI.

Gratia, quam Pontificii quidam in h.l. docent, congrua, scripturis est incongrua.

SCHOLIUM.

§. 1.

Sensus. Quantumvis gratia DEI convertentis fini suo, nimirum conversioni, semper est congrua, sunt tamen Pontificii quidam rigidiores, cujusmodi est Bellarminus, qui tantùm respectu electorum gratiam, quæ tempori, loco, ingenio, temperamento convertendi congruat, & efficax sit, docent, eamque ex absoluto DEI decreto derivant: in plerisque verò quibus verbum proponitur, incongruum & inefficacem volunt. Adversus hos pugnant partim illa scripturæ loca, in quibus etiam respectu tergiversantium nihil intermississe dicitur eorum, quibus converti potuissent; partim quibus damnationis culpa in homines conjicitur, partim quibus DEUS fidem omnibus offerre dicitur. Primæ classis argumentum desumi potest 1. ex loco *Es.5.v.4.5. Quid amplius faciam vineæ meæ, quod non fecerim? sed tamen collecturus uvas invenio labruscas.* 2. ex loco *Ioh.5.v.34. Hæc dico, ut salvemini.* E. Gratia DEI semper est congrua fini sc. animarum saluti. 3. ex loco *Ierem. 7. v. 13. Mane consurgens ad vos locutus sum, & cùm loquerer, non audivistis.* Cui gemellus est locus *Ierem. 11. v.7. Contestando contestatus sum Patres vestros in die, quâ eduxi eos è terra Ægy* p.259 *pti, usq; in hunc diem manè surgendo & contestando dicens: Audite vocem meam, sed non audiverunt.* E. Tempore congruo DEUS istos refractarios vocavit. Quòd autem conversionis gratia ex natura sua minus congrua sit intellectui humano, discimus ex *1. Cor. 2. v.14. Animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritûs DEI. Stultitia enim ipsi sunt.* Ideo prædicatio Evangelii vocatur stulta, scil. coram mundo 1.*Cor.1.v.21.*

§. 2. Secundæ classis argumentum esse potest 1. locus *Actor. 13. v. 46. Vobis oporte-*

oportebat primùm loqui sermonem DEI: sed quoniam repellitis illum, & vos ipsos indignos judicatis vitâ æterna, ecce convertimur ad gentes. 2. Locus *Oseæ c. 13. vers. 9. Ex te perditio tua, Israel: ex me tantùm salus tua.*

§. 3. Tertiæ classis argumentum esse potest 1. locus *Act. 17. v. 31.* DEUS omnibus in extremo die judicandis præcipit pœnitentiam τὴν πίστιν παρέχων πᾶσιν i. e. fidem offerens omnibus, modò velint accipere. 2. locus *Coloss. c. 1. vers* 28. 29. *Nos annunciamus Christum admonentes omnem hominem & docentes omnem hominem in omni sapientia, ut exhibeamus omnem hominem perfectum in Christo Iesu. Ad quod etiam enitor decertans secundum efficaciam ejus, agentem in me per virtutem.* E. particularis aliqua gratia congrua ex absoluto DEI decreto derivanda non datur. Omnis etiam hæc gratia DEI: & u primo efficax est ad producendum effectum: sed actus secundus hominum malitia intervertitur.

§. 4. *Usus* aphorismi hujus *in didacticis* est, ut gloriosam divinæ conversionis gratiam universalem & efficacem agnoscamus, nec ad ipsum, verùm ad homines refractarios & rebelles causam damnationis conjiciamus.

§. 5. *In Polemicis* adversus dictos Pontificios rigidiores usus aphorismi hujus esse potest.

APHORISMUS XII.

Homo non convertitur irresistibiliter. Item. Δεῖ τὸ καλὸν εἶναι ἀβίαστον. h e. Bonum non debet esse coactum, vel violenter extortum.

SCHOLIUM.

§. 1.

Sensus. Termino irresistibilitatis Calviniani protracti fuerunt è latibulis suis, quam aliàs inevitabilem & infallibilem vocant. Sed quia terminum ultimum nobiscum habent communem termino irresistibilitatis non immeritò hîc inhæremus. Introducunt enim quidam DEUM quasi luctantem cum hominibus absolutè prædestinatis & eosdem debellantem. Nec aliter, salvis suis hypothesibus, statuere possunt. Verùm ἀνθίγραφον hanc esse Reformatorum sic dictorum sententiam, probamus 1. ex *Act. 7. vers. 51.* ubi *Stephanus conqueritur de Iudæis cervicosis, quod semper resistant Spiritui Sancto.* 2. ex *Matth. 23. v. 37. Ego volui te congregare, sicut gallina congregat pullos sub alas suas, sed tu noluisti.* 3. ex *Luc. 7. v. 30.* ubi Pharisæi dicuntur irritum fecisse consilium DEI adversus seipsos non baptizati à Johanne. Consilium nimirum DEI erat, ut à Johanne baptizarentur & salvi fierent, sed hoc contemtu suo fecerunt irritum. 4. ex *Proverb. 1. v. 24. & Es. 65. v. 2.* Ubi DEUS conqueritur, *quòd tota die manus suas expandat ad populum refractarium & rebellem gradientem vias suas.* 5. ex loco *Es. 5. v. 4. & 5.* de vinea probè culta, sed tamen labruscas proferente. Quibus addimus, quòd DEUS populum requirat spontaneum *Ps. 110. v. 3.* non velit habere mulos & jumenta *Psal. 32. v. 9.* obtorto quasi collo ad salutem trahenda. Tractum quod attinet, cujus *Iohan. 6. v. 44.* mentionem facit Salvator, non intelligitur tractus aliquis violentus, sed suavis, ψυχαγωγικός tamen, quo corda nostra trahuntur ad Deum. Augustinus exem- p. 260

plo Pastoris, qui frondibus trahit ovem; aut Patris, qui nucibus filium puerum trahit, illustrat.

§. 2. *Usus* aphorismi hujus *in didacticis* est, ut veram de conversione doctrinam teneamus, mediâ viâ inter duos oppositos scopulos nec declinantes ad dextram, nec ad sinistram, incedemus, & considerantes, quomodo paulum fermenti, doctrina de absoluto decreto, totam massam, totum ferè systema Theologicum, corrumpat, à novis sententiis, in scriptura non satis fundatis abstineamus.

§. 3. *In Polemicis* ad Absolutarios, Calvinianos tam Supralapsarios, quàm Sublapsarios, ut & Jansenistas, aliàs Pontificios, usus aphorismi hujus esse potest.

APHORISMUS XIII.

Scriptura non tantùm est principium μαθήσεως, sed etiam πράξεως.

SCHOLIUM.

p.261

§. 1.

Sensus. Scriptura, ut principium μαθήσεως est, de DEI essentia, voluntate ac operibus nos instruit, & sic consideratur in Systemate Theologico primo loco, tanquam principium cognitionis, ex quo reliqua sunt hauriendа: Ut principium πράξεως est, in loco de conversione, quando Spiritus S. per verbum in nobis operari fidem dicitur, considerari soler. Respectum primum Hermannus Rathmannus Lubeccensis, Ecclesiæ Dantiscanæ Minister, easdem propemodum tibias cum Casparo Schwenkfeld Nobili ab Ossing Silesio, qui B. Luthero fuit σύγχρονος, inflans admisit. Scripturam enim testimonium tantùm divinæ voluntatis (quam etiam propterea cum statua Mercuriali & larva comparat) esse statuit. Respectum posteriorem, quòd sit conversionis organum & Spiritus S. vehiculum, per quod corda nostra ingrediatur, & fidem in iisdem accendat, negavit, ἀμέσως à DEO nos converti statuit. Ad articulum quidem Confessionis Augustanæ V. ubi hæc leguntur verba, DEUM quando & ubi visum fuerit, fidem in nobis operari, provocavit, sed particulæ πότε ἁπαξαὶ, *quando & ubi*, non verbo conversionis medio, sed merito congrui, quod docent Pontificii (dispositioni scil. ad gratiam, cùm homo facit, quod per naturam facere potest, quia tunc congruum sit, Deum ejusmodi homini dare gratiam) ibidem opponuntur. Contrarium enim in terminis terminantibus habetur.

§. 2. Respectum posteriorem probat 1. locus *Es.* 55. *v.* 10. ubi cum pluvia fructificante comparatur. *Verbum meum non redibit ad me vacuum*, divina Majestas inquit. Cui loco parallelus est, qui habetur *Luc.* 8 *v.* 5. ubi cum semine fructificante comparatur. Licet enim in agro petroso, contrito & spinoso fructus intervertatur, in culpa tamen non est ipsum semen, quod vim καρποφορεῖν quoad actum primum semper secum habet, sed ager malè dispositus actum secundum impediens. 2. locus *Jer.* 23. *v.* 29. ubi verbum legis cum malleo conterente petras confertur. 3. *Act.* 16. *v.* 14. ubi DEUS per clavem verbi, cum nimirum attenderet concioni Apostolicæ, Lydiæ purpurariæ cor aperuit. 4. *Rom.* 1. *v.* 16. ubi Evangelium vocatur potentia DEI ad salutem omni credenti. Ubi potentia nihil aliud est, quàm potens organum ad salutem,

prout

prout in propositionibus usualibus usus de re prædicatur. 5.locus 1. *Cor.1.vers.21. Visum est DEO per stultitiam prædicationis salvos facere credentes.* 6.locus,qui habetur 1.*Petri 1.v.23.* ubi renasci dicimur, non ex semine mortali, sed immortali, per sermonem viventis DEI & manentis in æternum. 7.ex *c.10.Rom.v.17.* ubi fides ex audita verbi, sive prædicari, sive lecti,sive memoriâ repetiti,oriri dicitur. Quibus addi possunt exempla per verbum conversorum,utpote *Actor.2.v.* 37. ubi, qui Petrum audiverant concionantem dicuntur compuncti corde. Sic *c.10.v.44.* ubi Spiritus Sanctus super omnes, qui Petrum audiebant, cecidisse dicitur. Per verbum autem h.l. non intelliguntur literæ, quæ possunt discerpi, conscindi, comburi, sicuti Jeremiæ liber combustus fuit,sed sensus istis signis cõprehensus. Nec obstat,quod cum Psalte petamus ex *Psal.68.v.34.* ut DEUS tonitru suo robur addere velit, quia petitio hęc non actum fructificandi primum verbo conciliat, sed actum secundum, ut in cordibus hominum sequatur,respicit.

p.262

§.3. *Usus* aphorismi hujus *in didacticis* est,ut non tantùm de vi & efficacia verbi simus certi,sed & hoc medio salutis, tam audiendo, quàm legendo verbum DEI,frequenter utamur.

§ 4. *In polemicis* adversus dictum Rathmannum, Scwenckfeldianos & omnes fanaticos, præprimis Anabaptistas, quorum Dux non infimus Monetarius dicebat, quid Bibel / Bubel / Bibel / se malle, ut omnia Biblia innatent Rheno, usus aphorismi hujus esse potest.

APHORISMUS XIV.

Arbitrium hominis in statu integritatis fuit liberum, in statu corruptionis est servum, in statu restitutionis est liberatum, in statu glorificationis erit liberrimum.

SCHOLIUM.

§. 1.

Sensus. Quæ sparsim dicta fuerunt hactenus, uno quasi fasce comprehendimus. In statu integritatis arbitrium,etiam in rebus spiritualibus, fuit liberum, non quidem ab obligatione, vel norma, sed miseria. Fuit enim libertas pars divinæ imaginis per peccatum amissæ. In statu corruptionis(à quo dicimur διεφθαρμένοι τὸν νῦν ab Apostolo *1.Tim.6.v.1.*i.e. mente corrupti) est servum,quia tunc homo servit peccato i.e. non tantùm Tyranni hujus, sub cujus imperium redactus est, impia jussa cogitur audire, sed etiam iisdem obtemperat. Hoc termino utitur Salvator *Joh 8.v.34 Qui facit peccatum, servus est peccati.* Et Apostolus *Rom.6. v.16. Servi ejus estis,cui obedistis,sive peccato ad mortem,sive obedientiæ ad justiam.* Et *c.7.v.14.*se venundatum sub peccatum conqueritur, quoad peccati sensum. Nec abit ab hac sententia Petrus, qui dicit epistolâ 2.*c 2.v.19. Libertatem pollicentur iis,cum ipsi servi sint corruptionis: siquidem à quo quis superatus est,huic etiam in servitutem addictus est.* In statu restitutionis est liberatum, non tamen ὁλικῶς,sed μερικῶς,inchoatè,non cõsummatè. Quam ob causam Paulus renatus adhuc conqueritur super sensu peccati, quòd sibi volenti facere bonum, malum adjaceat. Hoc liberationis termino Salvator etiam utitur *Joh.8.v.36. Si Filius*

p.263

vos liberaverit, tunc verè liberi eritis. Et Apostolus Paulus *Rom.6.v.18. Cæterùm liberati à peccato servi facti estis justitiæ. V.20. Cùm servi essetis peccati, liberi eratis justitiæ. V.22. Nunc manumissi à peccato, servi autem facti DEO habetis fructum vestrum in sanctificationem.* In statu glorificationis erit liberrimum, quia cùm adhuc illecebras peccati sentire cogamur in hac vita, tunc etiam ab his ipsis erimus immunes. Sic Paulus *Rom.8.v.21.* dicit: *Et ipsa creatura liberabitur à servitute corruptionis in libertatem gloriæ Filiorum DEI,* Et *c.7.v.2. Miser homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus.* Quam ob causam dies extrem⁹ vocatur dies redemtionis *Lucæ 21.v.28.scil.* etiam à sensu & inhærentia peccati. Et *1. Cor.1. v.30.* in dicto: *CHRISTVS JESVS factus est nobis à DEO sapientia, & justitia, & sanctificatio & redemtio sc.* plenaria, hæc ipsa loco ultimo ponitur. Quibus consonat, quòd dies extremus dies ἀποκαταστάσεως ἁπάντων i.e. restitutionis omnium vocetur *Act.3.v.21.* quia sc. per peccatum amissa, imò plura, quàm fuerunt deperdita, tunc recuperabimus.

§. 2. *Usus* aphorismi hujus *in didacticis* est, ut memores simus ejus, quod amisimus, miseriam nostram agnoscamus, ad reparationem amissorum tum in hac, tum in futura vita consequendam anxiè anhelemus.

§. 3. *In polemicis* adversus omnes statuum horum perversores, aut eversores, Synergistas præprimis veteres & recentiores, ut & Absolutarios usus aphorismi hujus esse potest.

---

p.264

Locus X.

De

LEGE.

§. 1.

POstquam hominem in peccatis mortuum & sub malum venundatum vidimus: jam ad media, quib. vitæ ac libertati restitui potest, accessum faciemus. Sunt autem illa Verbum & Sacramenta. Verbum est vel legis, vel Evangelii. Quantumvis autem lex per accidens propter lapsum scil. primorum Parentum & intervenientem naturæ nostræ depravationem non amplius vivificet, prout ante lapsum doctrina fuit vivifica, mutuas tamē operas cum Evangelio in negotio salutis agit, ac proinde nullatenus ex Ecclesia venit exterminanda. Nisi enim per legem pædagogum ad agnitionem peccati adduceremur, & ad quærendum Medicum instigaremur, de doctrina Evangelii non admodum erimus soliciti. *Quod impossibile erat legi, siquidem per carnem infirmabatur, hoc præstitit DEVS, filio suo misso sub specie carnis peccatricis, ac de peccato condemnavit peccatū in carne, ut jus legis impleretur in nobis,* Apostolus inquit *Rom.8.v.3.4.*

§. 2. *Vocis*

§. 2. *Vocis legis Etymologia.* Vocabulum legis Ciceto de legibus à legendo, quod prælegi ſoleat; alii à ligando, quòd lex liget, nimirum ad obedientiam, &, hâc ceſſante, ad pœnam; alii aliunde derivant. Hebraicè vocatur תּוֹרָה, quod in genere doctrinam ſignificat, à radice יָרָה i.e. ſpargit, nimirum in diſcentem, in Hiphil הוֹרָה i.e. docuit. Cùm itaque γενικῶς ſumtum vocabulum תּוֹרָה ſignificet doctrinam, etiam Evangelium lex fidei, vel doctrina fidei vocatur. Græcis eſt νόμος ἀπὸ τοῦ νέμειν i.e. à diſtribuendo, quòd ſuum cuiq; tribuat: aliis quaſi νόος i.e. mens, inſertâ μ literulâ, vel quòd menti ſit inſcripta, vel notitiis naturalibus in mente congruat. Huc ſpectat illud Platonis l. 12. de L.L. dicentis, Legem obtinere nomen ſimile nomini mentis. Germanis eſt ein Geſetz/ von dem ſetzen/ quod Latino vocabulo ſtatui reſpondet. Oportet enim legem eſſe ſtatam & fixam, quæ certi quid vel faciendum, vel omittendum præcipit.

p.265 §. 3. *Item Homonymia.* Eſt autem vox legis ἐκ τῶν πολλαχῶς καὶ ποσαχῶς λεγομένων. Vel enim ſumitur generaliſſimè pro doctrina, ut jam modò circa vocem Hebraicam monuimus, e. g. *Eſ. 2. v. 3. Ex Sion exibit lex, & verbum Domini de Jeruſalem:* cùm tamen lex propriè dicta in monte Sina, vel Horeb fuerit promulgata. *Pſ. 19. v. 8. Lex Domini refocillat animam:* Vel generaliter pro V. T. ut *Joh 10. verſ. 34. Nonne ſcriptum eſt in lege veſtra: Dixi, vos Dii eſtis? c. 15. v. 25. ut impleretur id, quod in lege ſcriptum eſt: Oderunt me gratis.* Vel ſpecialiter pro Pentateucho Moſaica *Rom. 3. v. 21. Juſtitia coram Deo valens comprobatur teſtimonio legis & Prophetarum.* Sic Moſes & Prophetæ opponuntur *Luc. 16. verſ. 29. Habent Moſen & Prophetas, audiant illos Lucæ 10. v 26. In lege quid ſcriptum eſt? quomodo legis?* Vel ſpecialius pro lege ceremoniali & forenſi, ut *Lucæ 2. v. 24. Sicut ſcriptum eſt in lege Domini; par turturum, aut duos pullos columbarum. Hebr. 10. verſ. 8. Quæ juxta legem offeruntur, ſacrificia & oblationem noluiſti.* Vel ſpecialiſſimè pro lege morali, ſive legatur in V. T. ſive in N. ut *Rom. 4. v. 15. Ubi non eſt lex, ibi non eſt tranſgreſſio.* Ex oppoſitione de ſignificatione hîc plurimum venit judicandum. Unde regulæ: Quando lex opponitur Prophetis & Pſalmis, Pentateuchum Moſaicam ſignificat, ut *Lucæ 24. v. 44. Hæc ſcripta ſunt in lege Moſis & Prophetis & Pſalmis de me.* Quando lex opponitur veritati, tunc umbras legis i. e. legem ceremonialem ſignificat, ut *Joh. 1. v. 17. Lex per Moſen data eſt, gratia & veritas per Chriſtum facta.* Quando lex opponitur tempori Chriſti exhibiti, vel ceremonialem, vel forenſem ſignificat, ut *Matth. 11. v 13. Prophetæ & lex usque ad Johannem. Gal 3. verſ. 19. Quid igitur lex? propter tranſgreſſiones addita fuit, donec veniret ſemen, cui promiſſum fuerat.* Quando lex opponitur Evangelio, tunc legem moralem ſignificat, ut *Rom. 3. v. 17. Ubi eſt igitur glorificatio? Excluſa eſt. Per quam legem? Operum.* Quando lex opponitur gratiæ, τὸ ἀκριβοδίκαιον i. e. jus ſummum & rigidum, iram DEI & damnationem æternam ſignificat, ùt *Rom. 6. v. 14. Non eſtis ſub lege, ſed ſub gratia.*

§. 3. *Synonymia.* Inter Synonyma præ reliquis eminet vox Veteris Teſtamenti, quæ tamē pluribus ſignificationibus prægnans eſt. Interdum enim ſumitur pro pacto legali, quod DEUS cum populo

Israëlitico quondam pepigit in deserto. Interdum pro scriptis Mosis & Prophetarum, in quo significatu vetus instrumentum rectius vocaretur. Interdum pro tempore umbrarum, quod exhibitionem Messiæ antecessit. In prima significatione fœderi novo & Evangelico; in secunda scriptis Evangelistarum & Apostolorum; in tertia tempori cotrectionis opponitur. Ex his significationibus prima convenientior est significationi vocis legis. Sæpius enim phrases, esse sub lege & esse sub veteri fœdere permutatim sumuntur.

p.266 §. 4. *Lex* ipsa generaliter definitur, quòd sit doctrina divina continens regulam eorum, quæ DEUS ab hominibus fieri, aut non fieri voluit. Naturam definiti declaratio speciei magis illustrabit.

§. 5. *Dividitur* autem *lex*, quòd vel sit moralis, vel ceremonialis, vel forensis. Ubi definitum, vel etiam genus definitionis est ἐκ τῶν ἀφ' ἑνὸς πρὸς ἕν i. e. ex iis, quæ dicuntur ab uno ad unum. Horum natura est, ut non ex æquo, sed ordine quodam secundum prius & posterius se dividant & spargant in inferiora. Κατὰ πρότερον lex moralis æterna & immutabilis lex dicitur: κατ' ὕστερον ceremonialis & forensis, quæ tantum ad certum tempus durare debebant.

§. 6. *Definitur lex moralis*, quòd sit æterna & immota justitiæ divinæ regula, homini in creatione patefacta, post lapsum repetita & in Decalogo cõprehensa, perfectam omnium actionum & virtũ nostrarum obedientiam requirens. Vocatur hęc lex æterna & immota divinæ justitiæ regula secundum illud Salvatoris *Matth. 5. v.* 18. *Cœlum & terra prius transibunt, quàm jota unum, aut apex unus de lege in terram decidat.* Est enim speculum justitiæ divinæ immotæ, ut, qui negare velit hanc legem moralem, DEUM ipsum negare cogatur. Id quod in articulo de satisfactione adversus Socinianos, qui peccatum à nuda & libera voluntate divina dependere volunt, ita, ut si actum hunc DEUS nolit, pro peccato sit habendus; sin secus, pro actu bono, ipsius voluntati congruenti censendus sit, observandum venit. Si voluntatem modificatam, quatenus cum justitia DEI vindicativa concurrit, intelligerent, non haberemus, de quo conqueremur. Sed argumenta Socinianorum, quæ justitiæ DEI vindicativæ opponunt, mentem eorum satis superq; produnt. Quod tabulis cordis nostri lex hæc statim in creatione fuerit inscripta, reliquiæ post lapsum in cordibus gentilium adhuc residuæ satis superq; docent. Sic enim Apostolus, *Rom. 2. v.* 15. *Gentes, quæ legem scriptam* (sc. ut Judæi) *non habent, ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, simul attestante illorum conscientiâ, & cogitationibus inter se accusantibus, aut etiam excusantibus.* Posset etiam Decalogus Ante-Mosaicus facilè concinnari. Præceptum primum invenire licet *Gen. cap.* 12. *v.* 1. & 15. *v.* 7. *Ego sum DEUS, qui eduxi te de domo Patris tui & de cognatione tua.* Quibus verbis, ad excludendam idololatriam, DEUS ab aliis Deastris se separat. Secundum *Gen. 13. v.* 4. quãndo DEI nomen extructo altari Abrahamus invocavit. Tertium *Gen. 2. vers. 3.* quando DEUS septimum diem sanctificavit, & cultui divino consecravit. Quartum *Gen. 9. v.* 5. Quando posteritati Chami, qui Parentis erat illu- p.267
sor, maledicit. Quintum *Gen. 9. v. 6.* cùm divina Majestas præcipit, ut, qui fuderit sanguinem hominis, sanguis ipsius fundatur

datur ab hominibns. Sextum *Geneſ. 2. v. 24.* Quod DEUS uni mari junxerit fœminam unicam,& juſſerit, ut duo ſint in carnem unam. Septimum *Gen. 44. v. 8.* quòd fratres Joſephi propter ſuſpicionem furti metu pœnæ non parùm conſternantur. Octavum *Gen. 3. v. 14.* quòd Diabolo & ſerpenti, organo ipſius propter mendacium pœna ſat gravis infligatur. Nonum & decimum *Gen. 39. v. 8. 9. 10.* quòd Joſephus pravas concupiſcentias,iræ divinæ patarias cane pejus & angue vitet. Quia verò genuinus legis ſenſus progreſſu temporis obliterabatur, DEUS ſolenni promulgatione legem in monte Sinai repetiit & Decalogo comprehenſam populo ſuo ſervandam dedit. Decalogus duabus tabulis, quarum prima de dilectione DEI, ſecunda de dilectione proximi agit. In his *ἀναϰεφαλαίωσις* i.e. ſummaria comprehenſio totius legis habetur, *Roman. 13. v. 9.* Imò plus, quàm in 12. Romanorum tabulis continetur.

§. 7. De numero decem verborum (unde nomen Decalogus accepit) conſtat, quot verò præcepta primæ, quot ſecundæ tabulæ ſint transſcribenda, ſuper eo manus amicas nec omnes Patres, nec noſtris temporibus Theologi jungunt. Origines primæ tabulæ quatuor, ſecundæ ſex; Auguſtinus primæ tabulæ tria, ſecundæ ſeptem præcepta tribuit. Auguſtiniana diviſio per tot ſecula in Eccleſia retenta & à Lutheranis plerisque fuit acceptata. Sed Origenicam Calviniani & reformatis Eccleſiis egteſſæ quædam Lutheranæ amplectuntur, cum hac tamen differentia, quòd Eccleſiæ Lutheranæ, cujusmodi ſunt Argentinenſes, rem pro merè adiaphora, qualis etiam eſt, habeant, Calviniani noſtram Auguſtinianam pro ſacrilega & AntiChriſti teſſera venditent. Ut itaque Eccleſiæ Argentinenſes noſtras non damnant: ita nec nos ob rem hanc indifferentem iſtas. Quòd verò ſacrilegam hanc noſtram proprer omiſſionem præcepti de ſculptilibus; & AntiChriſti teſſeram, quòd à Pontificiis acceperimus, Calviniani vocent, id minimè ferendum. Præceptum enim iſtud ſub primo, tanquam ſpecies ſub ſuo genere, continetur, cùm ſculptilia tantùm, quatenus DEUS fiunt alienus, aut cultui proſtent, prohibeantur. AntiChriſti teſſera vocari nequit, cùm Auguſtinus, à quo dicitur Auguſtiniana, circa ſeculi quarti & quinti convergia vixerit, AntiChriſtus verò ante ſeculum ſeptimum currens non innotuerit Eccleſiæ. Diviſio ipſa, ut jam diximus, eſt quidem indifferens, firmioribus tamen fundamentis nititur Auguſtiniana. Non tantùm enim in hoc com- p. 268
pendio verbum תַּחְמֹד i.e. concupiſces *Ex. 20. v. 17.* bis repetitur, ſed etiam *Deut. 5. verſ. 21.* verbum in Hitphaël לֹא תִתְאַוֶּה non facies te cōcupiſcere, habetur. Quid? quòd Paulus *Rom. 7. v. 7.* hanc ipſam diviſionem ſtabiliat, cùm inquit: *Concupiſcentiam non noviſſem, niſi lex dixiſſet, non concupiſces.* Jam ſanioribus etiam gentilibus conſtitit, motus iſtos inordinatos, quibus conſenſus accedit, eſſe peccata. Nec minus duplex accentuatio, quarum una verſuum eſt, altera præceptorum, diviſionem hanc ſtatuminat. Differunt autem duo de concupiſcentia præcepta non objectis, quæ poſſunt eſſe infinita, & in duobus locis parallelis *Ex. 20.* & *Deuter. 5.* permutantur, ſed concupiſcendi modo.

§. 8. Pars definitionis ultima eſt, quòd lex perfectam omnium noſtrarum actionum

actionum & virtum obedientiam, vel παραμονίαν omnium facultatum noſtrarum & immanentiam perpetuam requirat. Qui ſic legem implere poteſt, vitam inde ſperabit, ſecundum iſtud *Lev. 18. v. 5. Qui fecerit ea, vivet in eis.* Nec tamen DEUS proptereà injuſtus, aut Tyrannus eſt, quòd à nobis impoſſibilia requirat, ut quidem videtur rationi noſtræ, quæ talem regulam extruxit:

Ultra poſſe Viri non vult lex ullâ requiri,

quia lex non ſemper fuit impletu impoſſibilis, nec ſimpliciter. Non ſemper, quia DEUS poſſibilitatem illam primis Parentibus dederat, quam cùm propriâ malitiâ non ſibi duntaxat, ſed & poſteris ſuis perdiderunt, DEUS eandem jure à nobis requirit, non ſecus ac Creditor aliquis à malitioſo decoctore, licet ſolvendo non ſit, jure pecuniam debitam exigit. Non ſimpliciter impoſſibilis eſt, quia licet non à nobis faciendo; tamen in nobis credendo in eum, qui eſt perfectio legis *Rom. 10. v. 4.* impleri poteſt.

§. 9. Cùm ita ſit lex moralis poſt lapſum Protoplaſtorum & inſecutam naturæ noſtræ corruptionem impletu nobis ſit impoſſibilis, juſtificatio non amplius eſt ex lege ſperanda. Id quod pluribus è ſcriptura petitis fundamentis confirmari poteſt. *Rom. 3. v. 20. Ex operibus legis non juſtificabitur omnis caro in conſpectu ejus. Galat. 2. v. 16. Scimus, hominem non juſtificari ex operibus legis, niſi per fidem JESU CHRISTI: & nos in Chriſtum JESVM credidimus, ut juſtificaremur ex fide CHRISTI, & non ex operibus legis: propterea quòd non juſtificabitur ex operibus legis omnis caro. Rom. 7. v. 14. Lex ſpiritualis eſt,* (internos etiam motus legi conformes requirens) *at ego carnalis ſum; venundatus ſub peccatum. Rom. 8. v. 3, 4. Quod impoſſibile erat legi, ſiquidem per carnem infirmabatur, id præſtitit DEVS, proprio miſſo Filio in ſimilitudine carnis peccatricis, ac de peccato condemnavit peccatum per carnem, ut jus legis impleretur in nobis. Galat. 2. verſ. 21. Si per legem eſt juſtitia, CHRISTVS fruſtra mortuus eſt. Galat 3. verſ. 21. 22. Si data fuiſſet lex, quæ poſſet vivificare, verè ex lege eſſet juſtitia. Sed concluſit ſcriptura omnia* (ſcilicet omnes vires noſtras) *ſub peccatum*, ratione reatus. Quia jam CHRISTUS vice noſtra legi pro nobis ſatisfecit, *Roman. 8. v 3.* & legis perfectio nobis factus eſt *Roman. 10. v. 4.* & à maledictione & à rigore legis moralis ſumus liberati. De priore Paulus inquit *Gal. 3. verſ. 13. CHRISTVS nos redemit à maledictione legis, factus pro nobis maledictum (ſcriptum eſt enim, maledictus omnis, qui pendet in ligno) ut in gentes benedictio Abrahæ veniret per CHRISTVM JESVM.* Et 1. *Timoth. 1. v. 8. Juſto non eſt lex poſita*, ſcilicet ut premat illum inſtar oneris, quod Græcum verbum κεῖται innuit. A rigore Moſaico liberati ſumus, quia ſecundum id, quod Charis Apoſtolorum Johannes 1. *Epiſtola cap. 5. verſ. 3.* inquit: *Præcepta ejus gravia non ſunt*, quòd ſcilicet à rigore Moſaico ſint liberata, & DEUS aliquali ſtudio pro modulo virium noſtrarum delectetur. Bona opera DEO placent, ſed DEUM non placant. *Quid igitur lex?* dixerit aliquis cum Apoſtolo Paulo in epiſtola *Galat. cap. 3. verſ. 19.* Reſpondemus, hoc negato uſu, non ſtatim negantur omnes. p. 269

§. 10. Etiamſi juſtitiam ex lege ſperare

Digitized by Google

rare minimè possimus, alios tamen habet usus, nimirum Politicum, Pædagogicum & Didacticum. Politicus est, ut honestas conservetur, & homines in externa disciplina coerceantur. Pædagogicus est, ut peccatores ad agnitionem peccati adducantur. Ostendit enim morbum & jubet quærere Medicum, quem nobis Evangelium exhibet. Commonstrat nobis maculas, sed illas non abstergit. Hoc autem facit Evangelium, informans nos de CHRISTO, cujus justitiâ meritoriâ dictæ maculæ teguntur. Terminus desumtus est ex *c.3.v.24. Epistolæ ad Gal.* Lex Pædagogus noster fuit ad CHRISTUM, ut ex fide justificaremur. Ubi notetur alio modo legem moralem, alio ceremonialem esse nostrum Pædagogum ad CHRISTUM. Ceremonialis CHRISTUM in sacrificiis adumbrans & velut ob oculos ponens est Pædagogus noster ad CHRISTUM directè: moralis, cùm ad Medicum nos ire compellit, sed illum tamen non exhibet, indirectè. Vocatur hic usus etiam alio nomine in libellis methodicis elencticus, quòd peccatores de peccato convincat, & indigentiam remissionis peccatorum ipsis ostendat. Didacticus est, ut renatis vivendi normam præscribat. Respectu Politici usus lex vocatur frænum ein Zügel: respectu Pædagogici speculum ein Spiegel: respectu Didactici perpendiculum eine Regel. Frænum cohibet: speculum maculas ostendit: perpendiculum regit & ducit. p.270

§. 11. Lex Ceremonialis est mandatum divinum de ritibus & ceremoniis sacris Veteris Testamenti. Forensis est mandatum divinum de judiciis & controversiis civilibus & criminalibus politiæ Mosaicæ. Utraq; definitur per mandatum divinum, quia non ab hominibus latæ, sed ab ipso DEO promulgatæ fuerunt. Unde quoque patet, non parùm ceremonias Veteris & Novi Testamenti differre. Illæ siquidem cùm divinitus præceptæ fuerint, pars cultus extiterunt: hæ verò secus. Nec enim ceremonia & adiaphorum sunt æquipollentia, sed adiaphorum & ceremonia libera. Dictæ leges ita promulgatæ fuerunt, ut ad certum duntaxat tempus, nimirum usque ad Messiæ adventum durarent, quo exhibito exspirarunt, ut ex *cap.Jer.3.v.31.* de abrogando veteri fœdere, *cap.9. Danielis* de sacrificiis tollendis patet. Non igitur τῇ φύσει quasi naturæ divinæ prorsus immutabili abrogatio earundem legum repugnaret: sed θέσει divinæ originem suam debent. Nec proinde quando לְעוֹלָם i.e. in æternum durare dicitur, עוֹלָם absolutum, sed periodicum ad plenitudinem temporis *Gal.4.v.4.* insignem illum terminum, quo Messias erat exhibendus, respectum habens intelligitur.

§. 12. Quantumvis, peracto redemtionis negocio, ceremoniæ quædam Judaicæ ab Apostolis ad tempus fuerint retentæ, non tamen ut necessariæ, sed indifferentes & liberæ fuerunt retentæ, donec cum honore sepelirctur Synagoga Mosaica i.e. doctrinâ de Christiana libertate satis cognitâ, tandem & ipsæ penitus evanescerent. Sic Timotheum Paulus circumcidi passus fuit *Actor.16.v.3.* Titum secus *Galat.2.v.3.4.* & quidem *propter falsos fratres obiter ingressos ad explorandam libertatem nostram, quam habemus in CHRISTO JESU.* Si quis verò ex necessitate circumcidi velit, eum à Christo & gratia evacuatum esse, Apostolus

cap 5. ad Gal. v. 4. dicit. Mortuo nimirum Christo, ceremoniæ istæ mortuæ, sed ex necessitate tunc observatæ, mortiferæ factæ sunt. Ad parietem etiam intergerinum, quo populus hic ab aliis discernebatur, pertinebant leges civiles. Sic enim canit in cygnéa sua cantione Jacobus *Gen. 49. v.* 10. *Non auferetur sceptrum de Juda, nec Legislator de pedibus ejus, donec venerit Schilo.* Si sceptrum & Legislator, etiam leges.

p.271 §. 13. Et his ipsis, ut etiam ceremonialibus, colophonem DEUS imposuit, cùm per Romanos templum & forum Judaicum destrui sivit, populum autem Judaicum patriis sedibus excussum in omnes orbis terrarum angulos, ceu glumas inanes, dispersit. Unde ipsi Sacerdotio & regno carentes non amplius offerunt sacrificia, nec judicia exercent capitalia, sed lacinias quasdam legum harum observant. Interim si quid morale, quid merè ceremoniale, quid merè forense in legibus istis continetur, discernamus, etiam nostris temporibus usus aliquis harum legum ceremonialium & forensium esse potest. E.g. In lege de Sabbatho morale est, quòd certus septimanæ dies cultui divino sit consecrandus; ceremoniale, quòd præcisè septimus, vel septimus dies formaliter acceptus. Morale nos adhuc retinemus: sed ceremoniale jamdudum temporib. Apostolorum mutatum & loco diei septimæ prima in memoriam resurrectionis Dominicæ fuit electa. In lege forensi de pœna furti, ut & Pseudopropheræ morale est, quòd in furtum & pseudopropheram sit animadvertendum, mere forense, quòd restitutione dupli, vel quadrupli furtum sit puniendum, Pseudopropheta verò capitali supplicio sit afficiendus. Morale nos adhuc in judiciis nostris retinemus; sed id, quod est merè forense, fuit immutatum, cùm crescentibus delictis exasperandæ sint pœnæ, & furto, quod quinque solidos excedit, suspendium addictum, ib hæreticos autem temporibus N. T. sint incorrigibiles, exilium decretum. In forum etiam Christianum quædam leges Mosaicæ v.g. de maledicis, de filiis adversus parentes refractariis, non ut necessariæ, sed ex Christiana libertate possent introduci. Quantumvis etiam leges ceremoniales & forenses in N. T. sint abrogatæ, nihilominus in Ecclesiis Christianis non propter observationem, sed significationem docendæ sunt. V.g. Quomodo agnus paschalis & sacrificia fuerint typi CHRISTI: quomodo annus Jubilæus Christianam libertatem & futuram gloriam; servus subulatus Christum servum justum, qui semetipsum ad peragendum redemtionis negocium obstrinxit, adumbrarint.

APHORISMUS I.

p.272

Lex & Evangelium in Ecclesia esse debent conjuncta, nihilominus accuratè inter se distincta.

SCHOLIUM.

§. 1.

Sensus. Conjuncta esse debent, imò quovis puncto Mathematico, ut Lutherus loquitur, arctiùs unita in praxi: sed accuratè inter se distincta scil. in Theoria; ne Lex & Evangelium confundantur, aut unum in alterum transformetur. Unde Luthero censetur is verus esse Theologus, qui legem & Evangelium probè inter se discernere noverit. Quorsum facere

cere videtur τὸ ὀρθοτομεῖν à sectione victimarum desumtâ metaphora, quod Apostolus discipulo suo Timotheo tantopere commendat, *epistola 2. cap. 2. vers. 15.* Conjuncta esse debent in praxi, quia partes pœnitentiæ, contritio & fides, ea utraque doctrina oriuntur: contritio ex lege, quæ instar mallei corda petrosa comminuit, fides ex Evangelio, quod oleum gratiæ cordibus vulneratis instillat: & sic in conversionis negocio mutuas operas tradunt. Distincta esse debent in theoria, quia toto cœlo duplex hęc doctrina, quod in sequentibus, præsertim loco de Evangelio magis patebit, inter se differunt. Lex itaque in Ecclesia docenda, non in curiam relegandæ est, quia 1. est æterna & immota justitiæ divinæ regula, cõsequenter adhuc actionum nostrarum norma. 2. quòd CHRISTUS pœnitentiam suos Apostolos prædicare jusserit *Luc. 24. v. 27.* Sive jam vox pœnitentiæ sumatur ὁλικῶς i.e. totaliter, vel μερικῶς i.e. partialiter pro contritione tantùm, ad eandem lex requiritur. Contritio enim ex lege oritur, fides autem sine contritione prævia in cordibus non accenditur. 3. quia per doctrinam legis Ecclesia discernitur ab aliis cœtibus imperfectam legis cognitionem habentibus, ut Apostolus *Rom. 7. v. 7. Se concupiscentiam*, inquit, *non novisse, nisi lex dixisset, non concupisces.* In cordibus enim gentilium lex quoad verum sensum nimis est obliterata. 4. quia lex pædagogus est ad CHRISTUM, *Galat. 3. v. 24.* 5. quia Christi & Apostolorum exemplis assertio hæc stabilitur. Non tantùm enim Evangelium, sed & legem docuerunt. 6. quòd Apostolus conjunctionem hanc utriusque doctrinæ *Rom. 3. v. 31.* satis muniat: *Legem igitur per fidem destruimus? Absit, sed legem stabilimus.* Sive jam per fidem intelligam objectivam, sive subjectivam, utriusque doctrinæ συναφεια ex hoc dicto confirmatur. Nec igitur Evangelium in legem convertendum, prout p. 275 Pontificii Evangelium per novam legem gratiæ meritis auctam definiunt, & Socinianæ conciones legales totius scripturæ scopum principalem faciunt. Quantumvis enim hi posteriores Vetus Testam. parvi faciunt, Christum tamen novum legislatorem constituunt, & ipsam S. cœnam præceptis novis à Christo latis accensent. De quibus suo loco.

§. 2. *Usus* aphorismi hujus *in didacticis* est, ut veram doctrinam de legis & Evangelii natura & usu tam in theoria, quàm in praxi rectè teneamus.

§. 3. *In polemicis* partim adversus Antinomos, cujusmodi seculo superiore Johannes Agricola Islebius, Diaconus Wittebergensis & in schola patria Rector, ab ipso Luthero confutatus, Jacobus Schenckius in hac Academia Professor, qui se tandem in pagum Engelsdorff recepit, & alii fuerunt, partim adversus Pontificios & Socinianos Evangelicæ doctrinæ perversores usus aphorismi hujus esse potest.

APHORISMUS II.

Quod lex imperat, Evangelium impetrat.

SCHOLIUM.

§. 1.

Sensus. Lex perfectam à nobis obedientiam requirit, eandem à Christo, qui nostra vice debitor legis factus est, præstitam Evangelium annunciat. *Ma-*

ledictus omnis, qui non permanserit in omnibus verbis legis, Gal. 3. v. 10. Sed Christus nos liberavit à maledicto legis, ibidem *v. 13. Sub legem hic factus est, ut eos, qui erant sub lege, redimeret, Gal. 4. v. 4. Hic non venit, ut solveret legem, sed ut impleret, Matth. 5. vers. 17. non pro se, sed vice nostrâ.* Ut enim *Dominus Sabbathi Marci 2. v. 28.* Sic *totius legis* fuit, quem nulla lex obligare potuit. Consequenter, non pro se, sed pro nobis legem implevit. Ut non sui, sed nostri causa venit in mundum *Es. 9. v. 6. Puer natus est nobis & filius datus est nobis, Luce 2. v. 11. natus est vobis hodie Salvator*: Sic non sui, sed nostri causa legi satisfecit. Sic dicitur missus, ut δικαίωμα τ̃ νόμε in nobis impleretur, *Rom. 8. v. 4.* Sic τέλ@ i. e. τελείωσις τ̃ νόμε i. e. pefectio legis credentibus esse dicitur *Rom. 10. v. 4.* Sic solvere dicitur, quæ non rapuit, *Psal. 69. v. 6.* Quorsum omnia ista scripturæ dicta, quæ de hac grata permutatione tractant, faciunt.

§. 2. *Usus* aphorismi hujus *in didacticis* rursus est, ut utramque legis & Evangelii doctrinam rectiùs cognoscere & inter se distinguere valeamus. p. 274

§. 3. *In polemicis* adversus Evangelicidas Pontificios & Socinianos, nec non Crypto-Socinianos duriores, qui legem ex Evangelio faciunt, usus esse potest.

APHORISMUS III.

Lex ante lapsum aut ad obedientiam, aut ad pœnā; post lapsum & ad obedientiam & ad pœnam obligat.

SCHOLIUM.

§. 1.

Sensus. Sunt quidem ex Theologis etjam orthodoxis, qui post lapsum aut ad obedientiam, aut ad pœnam legem obligare dicunt: verùm, postquam controversia de obedictia Christi activa mota fuit, an justificationem nostram ingrediatur, accuratius in hanc rem inquisitum, & ante lapsum alternativam, post lapsum copulativam obtinere, statutum fuit. Pro transgressione siquidem pœna sustinenda, pro vita ex lege consequenda numeris omnibus ea fuit adimplenda. Hinc Christi Salvatoris obedientia duplex, activa, quâ vice nostra legem implevit, & passiva, quâ pœnas propter transgressionem legis vice nostrâ tulit, à nobis asseritur. Fuit seculo superiore M. Georgius Parsimonius, vel Karge/ Pastor Onoldinus, cujus nomen in Tomis Philippi non semel occurrit, qui Christi obedientiam activam justificationem nostram ingredi negavit. Sed fuit hæc controversia veluti favilla sub cineribus brevi tunc extincta. Circa seculi præcedentis & currentis confinia Johannes Piscator Herbornensis Scholæ Professor, Theologus, ùt laudem hanc tulit à Theologis Gallis Vappinéi (qui locus est in Delphinatu situs, Capp alias dictus) congregaris tulit, rerum novarum studiosus eandem refricavit, & ratiunculis pluribus incrustavit. Quantumvis etjam à fratribus quibusdam Cadmæis, nominatim Amando Polano à Polansdorff, Theologo Basileensi fuerit refutatus, non defuerunt tamen ex aliis Reformatis, ut ante annos non ita multos Wendelinus, Rector Gymnasii Servestani, qui patrocinium ipsius susceperunt.

§. 2. Verùm, cùm hic error Socinianismo valvas bipatentes aperiat, eundem paucis cōfutam⁹, & 1. quidem ex *c. Matt. 5. v. 17. Non veni solvere legem, sed implere.* 2. ex c. 5. *Rom. v. 19. Sicut per inobedientiam* p. 275

bedientiam unius peccatores constituti sunt multi: Sic per obedientiam unius justi constituuntur multi. Sed inobedientia primi Parentis fuit activa. E. & obedientia CHRISTI, quâ nobis justitiam peperit, fuit activa. 3. ex *cap.* 10. *epistolæ ad Rom. v.*10. *CHRISTUS est perfectio legis omni credenti.* 4. ex *c. 4. epistolæ ad Gal. v. 4.* qui locus ἀκριβωτικῶς in hac causa videtur: *Cùm veniret plenitudo temporis, misit DEUS Filium suum natum ex muliere, & factum sub legem, ut eos, qui sub lege erant, redimeret, & nos adoptionem acciperemus.* Ubi Apostolus inter eos, qui sub lege erant, vel ad obedientiam, legi præstandam obnoxii, & inter eum, qui factus erat sub legem, accuratis limitibus distinguit, & finem subjectionis hujus, ut debitores legis redimerentur, & adoptionem consequerentur, subjicit. 5. ex analogia fidei, quòd CHRISTUS, utpote nō φιλάνθρωπος, sed θεάνθρωπος, consequenter non debitor, sed *Dominus legis Marci* 2. *v. ult.* legi conformem vitam vixerit. Aut itaq; sui, aut nostri causa factum fuit. Non sui causa, quia legi nihil debuit. E. nostri causâ, quibus natus, quibus datus fuit, & quorum causa venit in hunc mundum, ut à maledictione legis liberaremur & æternùm salvaremur.

§. 3. *Usus* aphorismi hujus *in didacticis* est, ut quid legi debeamus adhuc post lapsum, agnoscamus, deque satisfactore soliciti simus.

§. 4. *In polemicis* adversus dictos Reformatos, & qui pollicem ipsis premunt, usus ejusdem esse potest.

APHORISMUS IV.

CHRISTUS quidem fuit Legis Doctor, sed non Legislator.

SCHOLIUM.

§. 1.

Sensus. Pontificii, qui doctrinam Evangelii transformant in doctrinam legis, & Evangelium per novam legem gratiæ viribus auctam definiunt, ex Christo novum legislatorem faciunt: quibus pollicem premunt Sociniani, conciones legales scopū totius scripturæ præcipuum esse, contendētes. Non autē de λόγῳ vel DEI Filio, priusquam fuit incarnatus (hunc enim unâ cum Patre ac Spiritu S. legem in creatione cordibus nostris in- P. 276
scripsisse, cùmq; sensus ipsius post lapsum obliteraretur, in monte Sinai repetiisse, facilè concedimus) sed de Filio DEI ἐνσάρκῳ, Propheta magno, quatenus in diebus carnis Ecclesiam suam docuit, sermo est. Quod hic legem docuerit, à corruptelis Pharisaicis purgaverit, & verum ipsius sensum, præsertim quoad præceptū quinrum & sextum [à quibus ad reliqua collectio facilis est] monstraverit, vel quatuor, si essent, manibus largimur, sed quòd novas leges rulerit & Mosaicis superadjecerit, negamus & pernegamus.

§. 2. Fundamentis aurem nitimur sequentibus, 1. quòd Moses legifer & Christus salutifer *Joh.* 1. *v.*17. sibi opponantur. *Lex per Mosen data est*, inquit Johannes, *sed gratia & veritas per Christum facta est.* Ubi veritas non mendaciis, aut falsiloquiis, quasi nulla veritas in V. Test. fuisset, sed umbris opponitur. 2. quòd doctrina CHRISTI, Prophetæ magni, debuerit esse alia, quàm Mosis, amicabilis scil. & accepta, solatii plena, prout *Dent.* 18. *v.* 15. 16. 17. 18. 19. opponitur terribili voci legis, quam ferre non poterant Israëlitæ. Quam etiam ob cau-

sam ad Evangelizandum se missum esse, Christus *Luc.* 4. *v.* 18. *ex c.* 16. *v.* 1. dicit. πρώτως nimirum Evangelium, δευτέρως legem, & quidem propter Evangelium docere debebat. Unde, cum vox Evangelii pro tota doctrina cœlesti supponit, ut *Marc.* 16. *v.* 15. à potiori fit denominatio. 3. quòd Christus de lege quæsitus non aliam, quàm Mosis, proferat *Matth. c.* 22. *v.* 37. 38. 39. 40. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tuâ Hoc est primum & magnum mandatum: Secundum autem est simile huic: Diliges proximum tuum, sicut teipsum. Ab his duobus mandatis tota lex & Prophetæ pendent.* Sed hæc legis epitome *Deut.* 6 *vers.* 3. & *Lev.* 19. *v.* 18. continetur. 4. quòd Deus additionem ad legem & ab eadem detractionem prohibuerit *Deut.* 4. *vers.* 32. & *c.* 12. *v. ult.* 5. quòd novæ leges, quas à Christo latas putant οἱ ἐξ ἐναντίας, in lege Mosis contineantur.

§. 3. *Usus* aphorismi hujus *in didacticis* est, ut Mosis & Christi officium inter se distinguamus.

§. 4. *In Polemicis* adversus Pontificios, Socinianos, & omnes, qui vestigiis horum insistunt, usus aphorismi esse potest.

p. 277

APHORISMUS V.

Imagines, si Testamentum vetus verabat, novum habet liberas.

SCHOLIUM.

§. 1.

Sensus. Differunt imago & idolum. Imago (ut & res quævis) cultui prostans sit idolum ein Götze / oder Gottendend Bild. Eatenus sculptile prohibetur præcepto primo, quatenus sit Deus alienus. Nec enim frustra limitatio adjicitur; ut adores coram illo. Pontificii per idola Deastrorum gentilium Jovis, Martis, Apollinis, Mercurii, Junonis, Palladis, Veneris, &c. non Christi & sanctorum statuas, vel imagines, utut cultui prostent; Græci per idola, simulacra solida vel sculpta, vel fusa, non imagines pictas; licet & has ipsas colant, intelligunt. Sed boves in templo Salomonis, serpens æneus Dei jussu à Mose in deserto erectus erant simulacra solida, nec tamen antequam colerentur ab Israëlitis, fuerunt idola. Postquam autem vituli à Jeroboamo erecti, ut & serpens æneus cultui divino prostare cœperunt; evaserunt idola & Dii alieni, prout etiam serpens æneus, ipsius Christi typus, quando suffitus ipsi fiebat, ab Hiskia Rege rectè destruebatur. Vitulos itaque Deus toleravit & non toleravit. Toleravit in templo Salomonis, non toleravit in deserto, in Dan & Bethel, scisso regno Israëlitico, ubi fiebant Deus alienus. Sic serpentem æneum Christi typum conflare jussit, cùm tamen inserviret idololatriæ Judæorum, ipsius destructionem ab Hiskia Rege factam non improbavit. Verùm sunt Theologi, qui non εἰκονολατρείαν verum & εἰκονοποίησιν in V. T. prohibitam volunt. Hoc posito, (quorsum conditionalis in aphorismo respicit) differentia inter Vet. & N. T. constituitur, quòd, licèt in V. T. εἰκονοποιήσεις interdicta fuerit, in N. T. sit libera. Nullum enim hac de re præceptum, ut de εἰκονολατρείᾳ (1. *Joh.* 5. *v. ult.* Filioli, *fugite idola.*) in N. T. extat. Hac libertate Synodus Frankofurtensis

kofurtenſis circa finem ſeculi currentis octavi ex Epiſcopis Germanis, Italis & Gallis à Carolo Magno coacta fuit uſa, cùm inter duo concilia Conſtantinopolitanum Iconoclaſticum & Nicænum ſecundum Idololatricum mediâ inceſſit, & imagines propter uſum hiſtoricum & ornamentum in templis quidem retinendas, non autem colendas ſtatuit. Imaginem Cæſaris Salvator in manus ſibi dari juſſit *Matt. 22. v. 19.* Paulus ſub ſigno, in quo erant Dioſcuri, Caſtor & Pollux, navigavit *Actor. 28. v. 11.* Nec eſt, quòd de templis excipiant, cùm templa in N. Teſt. non ſint mandata, prout Salvator adorationis loca deinceps futura templo Hieroſolymitano & Garizim opponit, *Iohan. 4. verſ. 23. Venit hora & nunc eſt, quando veri adoratores adorabunt Patrem Spiritu ac veritate.* Sic Eccleſia
p.278 Martyrium per trecentos propemodum annos templis caruit, & in cavernis terræ, vel cœmeteriis, vel aliàs ædibus privatis ſacris ſuis vacavit, donec Imperatores CHRISTO nomen darent, & ſacris conventibus ſuas certas ſedes permitterent.

§. 2. *Vſus* aphoriſmi hujus *in didacticis* eſt, partim ut Vet. & Nov. Teſt. diſcernamus, partim ut rectam de uſu imaginum in templis noſtris ſententiam teneamus.

§. 3. *In Polemicis* adverſus Pontificios Iconolatras & Calvinianos, Anabaptiſtas, Socinianos Iconoclaſtas, uſus aphoriſmi hujus eſſe poteſt.

APHORISMUS VI.

Jurare licet, ne tamen nomen DOMINI ſumatur in vanum.

SCHOLIUM.

§. 1.

Senſus. Juramentum legitimum eſt pars cultus divini, quo DEO laus omniſcientiæ, laus omnipræſentiæ, laus juſtitiæ, tanquam vindici perjuriorum, in ſolenni congregatione tribuitur. Unde vulgò dicitur, rectè jurare eſt orare. Hoc ipſum divinitus mandatum eſt *Ex. 22. v. 8. & 11. Si fur latet, Dominus domus applicabitur ad DEOS* (Magiſtratum) *& jurabit, quòd non extenderit manum in rem proximi ſui.* Sic *Eſ. 45. v. 23.* dicit divina Majeſtas, quòd *omnis lingua jurare debeat & confiteri, ſe juſtitiam ſuam in Domino habere.* Sic juravit divina Majeſtas, cùm ſuperiorem non habeat, per ſeipſam *Ez. 33. v. 11. Vivo ego, nolo mortem peccatoris, ſed ut convertatur & vivat.* Sic Salvator noſter in N. T. aliquoties juravit uſurpando formulam aſſeverandi Hebræis uſitatam, AMEN, quâ velut interpoſito juramento, aliquid affirmatur. Sic Angeli jurârunt, v. g. in Apocalypſi *c. 10. v. 5. & 6.* cùm Angelus levat in cœlum manum ſuam (unde mos adhuc in præſtandis juramentis reſiduus, ut manus, vel tres digiti cœlum verſus quaſi DEUM trinunum oſtenſuri erigantur) & jurat per eum, qui vivit in ſecula ſeculorum. Sic Paulus *2. Cor. 1. v 23.* DEUM teſtem in animam ſuam invocat. Et, ut ſcrupulus omnis circa N. T. tempora tollatur, autor epiſtolæ *Hebr. 6. v. 16.* inquit: *Homines quidem per eum jurant, qui major eſt, atq; iisdem omnis controverſiæ finis eſt, ſi accedat juriſjurandi*

randi confirmatio. Interim juramenta temeraria ob res leviculas præstita, multò magis adhuc perjuria, quib⁹ nomen Domini sumitur in vanum, sunt improbanda. *Non manebit is impunis, qui nomen Domini sumserit in vanum Ex. 20. v. 7.* Ad juramenta temeraria respiciens Salvator inquit *Matth. 5. v. 34. Non omninò juretis, sed sermo vester sit: Est, est: non, non.* Ad perjuria referuntur etiam æquivocationes & phrases flexiloquæ, quibus judicibus imponitur, cùm juramentum non ex intentione vel mente istius, qui præstat, sed qui requirit, sit intelligendum. p.279

§. 2. Juramentorum variæ sunt divisiones, quas inter non ultimum locum obtinet ea, quòd juramentum vel sit assertorium, vel promissorium, quorum illud circa præterita & præsentia, hoc circa futura versatur. Exemplum posterioris esse potest, cùm studiosus aliquis in numerum civium Academicorum recipiendus jurat, quòd statutis, quæ condita sunt, & deinceps condentur, parere velit. Si jam firmum habeat propositum, servare, quæ juratò promisit, nihilomin⁹ in transversum abripiatur, ipsi subvenit explicatio, ne laqueus ponatur conscientiæ, tenendum, pro perjuro tunc non haberi, qui cognitioni Rectoris & pœnæ impositæ se subjecerit. Futurorum contingentium non est determinata veritas: factum autem infectum fieri nequit: &, quicquid est, quando est, necesse est esse. Quãtumvis autem magna juramentorum sit religio, non tamen esse debent iniquitatis vincula. V. gr. In malis moralibus, si quis juramento se obstrinxisset, quòd hunc, vel illum è medio tollere, vel hoc, aut illud præstare velit (prout David iratum œstro percitus juraverat, se Nabalem interfecturum *1. Sam. 25. v. 22.* Herodes, quòd salatricem filiam voti compotem efficere velit *Matth. 14. v. 7.*) juramentum istud effectui dare non deberet, quia bis peccaret, malè jurando & juramentum pej⁹ adimplendo. Sic rectè fecit David, quòd juramentum de interficiendo Nabal effectu non compleverat: Herodes cõtra peccatum peccaro cumulavit, quòd temerarium suum juramentum interficiendo Johannem Baptistam, Virum innocentissimum, effectui dederat. Aliter autem in malis inutilibus, quàm moralibus se res habet. V. G. Si quis, juramento interposito, asseruisset, quòd concussori tot, vel tot thaleros dare velit, aut, quòd spolium detegere nolit, juramentum hoc esset servandum.

§. 3. *Usus* aphorismi hujus *in didacticis* est, ut circa doctrinam de juramento mediâ & regia viâ inter excessum & defectum incedamus.

§. 4. *In polemicis* adversus Anabaptistas, juramenta rejicientes, & temerarios divino nomine abutentes usus aphorismi hujus esse potest.

APHORISMUS VII. p.280

Sabbathum non est servandum, quia figura est.

SCHOLIUM.

§. 1.

Sensus. Per Sabbathum *Augustinus* h. l. intelligit Sabbathum Judaicum, diem septimanæ præcisè septimum, & hunc figuram vocat Sabbathi magni, quo Christus quievit in sepulchro dubio procul respiciens ad verba Pauli, quæ habet *Coloss. 2. v. 16. Nemo vos judicet in cibo & potu,*

potu, aut diebus festis, aut Sabbathorum, quæ sunt umbra futurorum. Tenendum autem in Sabatho duo, genus & speciem; vel morale ac ceremoniale spectari. Genus & morale est, quòd certus dies septimanæ cultui divino sit consecrandus: species & ceremoniale, quòd præcisè septimus. Unde nonnulli distinguunt inter septimum diem materialiter & formaliter acceptum. Septimus dies materialiter sumtus est unus ex septem diebus hebdomadis, quicunque tandem sit, sive primus, sive secundus. Septimus dies formaliter sumtus est in ordine septimus, nobis Saturni dies dictus. Genus & morale, cùm præceptum de Sabbatho sit pars Decalogi, etiamnum in Ecclesiis nostris observamus, non autem speciem & ceremoniale. Ut enim libertatem Christianam ostenderet Ecclesia primitiva, nec quicquam cum Judæis hac in parte commune haberet, Sabbathum ex die septimanæ ultimo, vel septimo formaliter sumto, in diem primum, resurrectionis Dominicæ memoriam sibi refricans, transtulit.

§. 2. An verò à CHRISTO, an ab Apostolis translatio ista facta fuerit, disquiritur. CHRISTUM ante passionem suam unà cum Judæis, quorum Synagogas ingrediebatur, & postmodum cum ipsis cibum capiebat, Sabbathum celebrâsse, varia scripturæ loca docent. An verò post resurrectionem suam, cùm per dies quadraginta in terris commoraretur & de regno DEI cum discipulis suis colloquebatur, de translatione ista discipulos suos instruxerit, non liquet. Apostolorum temporibus translationem istam factam fuisse, vestigia comparent *Actor. 20. vers. 7.* ubi discipuli convenisse dicuntur μιᾷ τῶν σαββάτων i. est, prima die Sabbathorum ad frangendum panem, vel celebrandam Eucharistiam. Μιᾷ ἡμέρᾳ verò per πρώτην id est, primam exponitur *Marc. 16. vers. 9.* Sic Paulus in 1. *Cor. 16. v. 2.* τῇ μιᾷ σαββάτων i. e. prima die Sabbathorum collectas instituere jubet. Johannes *Apocal. 1. v. 10.* ἡμέρᾳ κυριακῇ i. e. die Dominico (quod nomen usucapione quadam in Ecclesia mansit huc usque) fuisse dicitur in Spiri- p. 281 tu. Ecclesiæ Abyssinorum dubio procul à Pseudapostolis, vel Thesaurario regio, cujus mentio fit *Act. 8. vers. 27.* ad Christum conversæ, priusquam celebraretur Concilium Hierosolymitanum, & diem septimum cum Judæis & primum cum Christianis reliquis cultui divino consecrant, prout circumciduntur & baptizantur, & in aliis adhuc judaizant. Turcæ ne cum Judæis, aut Christianis hac in parte commune quid haberent, aut uni parti propiùs, quàm alteri accederent, diem saltem dimidium cultui divino, partem reliquam negociis aliis impendendum statuebant. Anabaptistæ & Sociniani discrimen dierum penitus rejicientes & diem Sabbathi cum reliquis in eundem censum conjiciunt. Judæi verò diei septimæ tenaciter adhuc inhærent.

§. 3. *Usus* aphorismi hujus *in didacticis* est, ut moralia & cerimonialia limitibus accuratis invicem discernamus.

§. 4. *In Polemicis* adversus Judæos, Turcas, Abyssinos, Anglos, Anabaptistas, Socinianos usus istius esse potest.

APHORISMUS VIII.

Leges humanæ obligant in conscientia, sed secundariò.

SCHOLIUM.

§. 1.

Ensius. Ratio dubitandi, an leges humanæ obligent in conscientia, est, quòd solus DEUS in conscientias dominium sibi reservaverit. Verùm quia Magistratus est ordinatio divina, cui debeamus obtemperare, leges ipsius, si nimirum æquitati sint conformes, etiam in conscientia nos obligant. Oportet enim nos esse subditos non solùm propter iram, verùm etiam propter conscientiam. Urgebat hic scrupulus Christianos neo-phytos ex Judaismo & gentilismo ad Christū conversos, an Magistratui Ethnico & ipsius legibus parere debeant, præsertim cùm potentia hominum ad Reipublicæ clavum sedere conspicerent. Sed ex gentilismo conversis Romanis Paulus scribit epistolæ *ad Roman. c. 13. vers. 1. & seqq. Omnis anima potestatibus supereminentibus subdita sit. Non enim est potestas, nisi à DEO. Quæ verò sunt potestates, à Deo sunt ordinatæ. Quisquis itaq; resistit potestati, Dei ordinationi resistit: qui autem restiterint, sibimetipsis judicium accersent.* Idem ad *Timotheum in epist. 1. cap. 2. v. 1. & 2. Adhortor igitur, ut ante omnia fiant deprecationes, obsecrationes,* p. 282 *interpellationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro Regibus & omnibus in eminentia constitutis* (qui tunc erant Gentiles) *ut placidam ac quietam vitam degamus cum omni pietate ac honestate.* Ad Judæos τῆς διασπορᾶς id est, dispersionis, scribit *Petrus 1. epist. cap. 2. vers. 13. Proinde subditi estote cuivis humanæ creaturæ* (sic vocatur hoc loco Magistratus, quòd ἀνθρώπους per homines, ex hominibus & inter homines constituatur) *propter Dominum, sive Regi, tanquam præcellenti, sive Præsidibus ab eo missis ad vindictam quidem nocentium, laudem verò rectè agentium. Et vers. 17. Deum timete, honorate Regem.* Hinc & nos Christiani, missis legibus forensibus Mosaicis, leges Gentilium Romanorum, tanquam rivulos ex lege naturæ tanquam fonte, aut conclusiones ex istis præmissis deductas in Imperio Romano usurpamus. Quod si etiam grave quid præceperit Magistratus, id esset ferendum, quia non bonis tantùm & humanis, sed & ἐπιεικέσι Dominis parendum, *1. Petr. 2. vers. 18.* Si tamen impium quid præceperit, tunc præponenda esset potestas Numinis, & postponenda potestas hominis secundùm illud, quod habetur *Actor. 5. vers. 29. Oportet Deo magis obtemperare quàm hominibus.*

§. 2. *Usus* aphorismi hujus *in didacticis* est, ut rectam sententiam de legibus forensibus Mosaicis ad tempus tantùm duraturis & legibus ab hominibus profectis teneamus.

§. 3. *In Polemicis* adversus Carolstadium & quosdam Anabaptistas, qui jus ex Mose in foro Christiano dicendum esse volunt, usus aphorismi hujus esse potest.

APHORISMUS IX.

Non minus mali est, referre, quàm inferre injuriam. Item. Satius est injuriam ferre, quàm inferre.

SCHOLIUM.

§. 1.

Ensius. Cum injuriæ sint duplices vel reales,

reales, vel verbales, de utrisque distinctim aliquid adspergemus. Retaliatio, vel retorsio injuriæ realis in sacris vindictæ nomine venit, & hæc si privata est, prohibetur à Salvatore *cap. Matth. 5. vers. 39. Ego dico vobis, ne resistatis malo, sed quisquis impegerit alapam in dextram tuam maxillam, obverte illi & alteram: Et ei, qui te velit in jus trahere ac tunicam tuam tollere, permitte illi & pallium.* Cujus locutionis proverbialis hic est sensus, ut aliquis prius patiatur injuriam duplicati, quàm vindictam p.283 privatam exerceat. Quod verò exemplum Christi attinet, qui percussus à Ministro Pontificis non obvertit ipsi maxillam alteram, sed de injuria sibi facta conqueritur, distincta esse, vindictam privatam & innocentiæ contestationem, vel etiam super injuria sibi facta querelam & defensionis implorationem, tenendum. CHRISTUS non exercuit vindictam privatam, sed innocentiam suam testatus fuit, & de injuria sibi facta conquestus Magistratus auxilium imploravit. Sic Paulus *Roman. 12. vers.* 18. & sequentibus, vindictam privatam & retaliandi studium prohibet: *Si fieri potest, quantum in vobis est, cum omnibus hominibus in pace vivite, non ulciscentes vosmetipsos, dilecti, quin potius date locum iræ. Scriptum est enim (Deuter. 31.): Mihi ultio, ego rependam, dicit Dominus.* Vindictam autem publicam DEUS exercet per Magistratum, cui gladium commisit, prout Apostolus hicipse dicit *Roman. 13. vers. 4. Magistratus DEI minister est, ultor ad iram ei, qui malum fecerit.* Hîc misericordia in malos crudelitas est in bonos, ut dicunt JCti. Relatio injuriæ verbalis est proprie dicta retorsio, quæ Christiano etiam, si vult imitari Salvatoris sui exemplum, non comperit, secundum istud Petrinum in 1. *epistola cap. 2. vers. 21. CHRISTUS passus pro nobis reliquit nobis exemplar, ut insequeremini vestigia ejus, qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ipsius, qui cùm maledictis incesseretur, non regessit maledicta: cùm malis afficeretur, non minabatur, sed tradidit vindictam ei, qui judicat justè.*

§. 2. *Usus* aphorismi hujus *in didacticis* est, ut veram doctrinam de vindicta privata, & ita verum præcepti quinti sensum teneamus.

§. 4. *In polemicis* adversus eos Politicos, qui non tantùm retaliationes & retorsiones probant, verùm etiam ad eadem alios extimulant, usus aphorismi hujus esse potest.

APHORISMUS X.

Cœlibatus suaderi potest, cogi non potest. Vel: Cœlibatus consilio, non præcepto regitur.

SCHOLIUM.

§. 1.

Sensus. Notum est, quod in Papatu juvenes, vel etiam adolescentes 16. aut 18. annorum, priusquam seipsos noscant, votorum vinculis, quæ sunt apud ipsos insolubilia, irretiantur. Quantumvis autem probationis annum præmittant, donum continentiæ tamen personale p.284 temporarium esse soler. Unde Paulus viduam non nisi sexagesimum ætatis annum prætergressum ministeriis sacris vult adhiberi 1. *Timoth. 5. vers. 9.* veritus, si

minor ætate, laſcivire incipiat. Quando verò idem Apoſtolus *1. Cor. 7. verſ. 25. 26.* inquit: *De Virginibus præceptum Domini non habeo: Conſilium tamen do tanquam miſericordiam conſecutus à Domino, in hoc, ut ſim fidelis. Arbitror igitur hoc bonum eſſe* (ſcil. manere virginem) *propter præſentem neceſſitatem. Nam bonum eſt homini, ſic eſſe, &c.* verbis iſtis virginitatem, aut Cœlibatum non præcipit, ſed ſuadet. Γνώμη enim, quæ ſocia eſt prudentiæ, ut Philoſophus docet l. 6. Eth. ſignificat ſententiam, quam quis conſultus dat alteri, & opponitur τῇ ἐπιταγῇ i.e. præcepto, uti & in v. 6. capitis hujus: Hæc dico κατὰ συγγνώμην, οὐ κατ' ἐπιταγήν i. e. ſecundum indulgentiam, non præceptum. Quia nimirum Conjugium eſt liberum, bonum eſſe dicit ſcil. τινὶ alicui, perſecutionem paſſo, vel afflictionis tempore, uxorem non attingere *verſ. 1. capitis hujus.* Attamen ſubnectit *verſ. 2. propter fornicationem vitandam, ſuam quisq; uxorem habeat, & ſuum quaq; maritum habeat. Et v. 9. Melius eſt nubere, quàm uri.* Ea etiam, quæ Dominus dicit præcipiendo, & quæ Paulus conſulendo *verſ. 10. & 12.* ſibi opponit. Quod ſi jam γνώμη & ἐπιταγὴ i.e. conſilium & præceptum ſibi opponūtur (prout ipſi Pontificii conſilium definiunt, quòd ſit opus non mandatum, ſed commendatum) mirari ſubit, quomodo Pontificii ſummum legis gradum, ut ſcil. DEUM diligamus ex toto corde, non præcipi, ſed conſuli; non imperari, ſed indicari dicant. Mandatum enim expreſſè vocat Salvator *Matth. 22. verſ. 38.* & verba Decalogi verbis imperativis efferuntur.

§. 2. *Vſus* aphoriſmi hujus *in didacticis* eſt, ut quid differant conſilium & præceptum, & quibus in objectis, illud in liberis, hoc in neceſſariis, occupetur, inde diſcamus.

§. 3. *In polemicis* adverſus Pontificios uſus aphoriſmi hujus eſſe poteſt.

APHORISMUS XI.

Uſuræ non ſint mordentes, ſed compenſatoriæ.

SCHOLIUM.

§. 1.

Enſus. De uſuris, an ſint licitæ, non parum in ſcholis Theologicis diſputatur. Sunt enim qui prorſus rejiciunt & furtis accenſent: ſunt, qui cauſam ipſa- p. 285 rum orant. Si diſtinxerimus inter objecta & uſuras ipſas, non procul à recto veritatis tramite nos aberraturos, confidimus. Objiciuntur nobis, qui pecuniâ juvari poſſunt, vel pauperes oſtiatim panē quærentes, vel ſortis tenuioris quidem, victum tamen operâ manuum ſuarum quærentes, vel ditiores, aliorum pecuniis lucra ſua quærentes. Pauperes & mendici potiùs eleemoſynis, quàm creditâ pecuniâ ſunt juvandi: tenuiores & mediæ ſortis levari quidem poſſunt aliquâ pecuniâ mutuâ juſto tempore refundenda, ſed abſque interuſurio: à ditioribus autem, qui pecuniis aliorum ſua commoda quærunt, ut qui lucroſas exercent artes, uſuræ poſſunt accipi. Uſuræ ipſæ vel ſunt mordentes, immoderatæ, ſubſtantiam debitoris exugentes (prout apud Hebræos נֶשֶׁךְ i. e. morſus dicuntur) vel compenſatoriæ, moderatæ, Magiſtratus autoritate conceſſæ, ut ſunt in ditionibus noſtris viceſimæ, de ſorte ſcil. 300. florinorum quinque. Poſteriores ab iis, qui pecuniis aliorum

aliorum ſuas artes lucratorias exercent, accipi poſſunt 1. quia cujus incomodum, illius etiam eſt commodum. Jam verò pecuniam ſuam credens & cedens aliis, patitur incommodum, quia ſibimetipſi vel fundum, vel agrum, ex quibus proventus annuos ſperaret, acquirere, vel ſuam in rem convertere pecuniam illam poſſet, potuiſſet. Æquum itaque eſt, ut propter damnū hoc aliquod ſentiat commodum. 2. quia gratitudo poſcit aliquod ἀντίδωρον & compenſationem. 3. quia in ſacris uſuræ non ſimpliciter, ſed quatenus à fratribus accipiuntur, ſunt prohibitæ. 4. quia nec cenſûs annui ad ſuſtentationem Eccleſiarum, Scholarum, Xenodochiorum facientes hâc ratione poſſent exigi, cùm etiam de certa ſorte penſiones fiant annuæ, debitoribus perinde graves, quicunq; tandem illas acceperit. Inter uſuras itaque & uſurariam pravitatem, ſub cujus nomine venit etiam anatociſmus i. e. uſuræ uſuratum, Zinß von Zinß / oder der Jüden-Zinß / diſtinguendum. Ex charitate verò Chriſtiana fit, quando ſortis tenuioris hominibus abſq; intereſſe moræ pecunia creditur.

§. 2. *Uſus* aphoriſmi hujus *in didacticis* eſt, ut de uſuris veram ſententiam teneamus, & quid faciendum, quid intermittendum ſit hac in re, conſcientiam noſtram probè muniamus.

§. 3. *In polemicis* adverſus eos, qui ſententias extremas hac in controverſia tuendas ſibi ſumunt, uſus aphoriſmi hujus eſſe poteſt.

APHORISMUS XII.

p.286

Cùm falſum à ſciente dicitur, procul dubio mendacium eſt, ſive illo quisquam, ſive nemo lædatur.

SCHOLIUM.

§. 1.

Enſius. Quandoquidem mendacium non omni; ſed Ethicæ veritati, quæ veracitas alio nomine dicitur, opponitur, ut plus lucis accedat huic aphoriſmo, diverſas vocis veritatis acceptiones in medium afferemus. Eſt autem veritas vel Methaphyſica, vel Logica, vel Ethica. Methaphyſica eſt congruentia τῶν πραγμάτων καὶ ἐννοιῶν i. e. rerum & conceptuum & huic opponitur ignorantia; Logica eſt ignorantia τῶν πραγμάτων καὶ ῥημάτων i. e. rerum & verborum, cui falſiloquium opponitur; Ethica congruentia τῶν νοημάτων καὶ ῥημάτων i. e. conceptuum & verborum, concordia cordis & oris, cui mendacium opponitur. Hoc vulgò dividunt in jocoſum, officioſum & pernicioſum. Jocoſum finem habet irriſionem, aut illuſionem alterius, citra noxam, cujusmodi ſunt circumventiones Aprilis. Officioſum finem præfixum habet damni alterius averſionem, ut erat obſtetricum Ægyptiacarum, *Exodi 1. v. 19.* & Rahabcauponariæ *Joſuæ c. 2. v. 5.* Pernicioſum in alterius detrimentū vergit, ut erat Judaicum Suſannam deferentium in *l. Suſannæ v. 37.* De jocoſo & officioſo, quibus nemo lædituir, ſcrupulus moveri poſſet: verùm læſio non eſt de eſſentia mendacii, ſed diſcordia cordis & otis, quando aliter loquor, quàm ſcio, vel ſentio. Philoſophus 4. Eth. ἀλαζονείαν facit ſpeciem mendacii. Mendacium interim quando ſpectatur, ut naturam ſuam ſpargit in ſubjectas ſpecies, videtur eſſe

genus ἀφ' ἑνὸς πρὸς ἕν, quod κατὰ πρότερον mendacio pernicioso καθ' ὕστερον jocoso & officioso sese communicat.

§. 2. *Usus* aphorismi hujus *in didacticis* est, ut veram de mendacio doctrinam teneamus.

§. 3. *In polemicis*, ut inter duos scopulos oppositos rectâ viâ tutiùs incedamus.

APHORISMUS XIII.

Lex Mosis alicubi permittebat non bonum, ad cavendum majus malum.

SCHOLIUM.

p.287

§. 1.

S*Ensus.* Per non bonum polygamia & ἀποφάσιον i. e. libellus repudii à nobis h. l. innuitur, de quibus Salvator adversus Pharisæos disputans *c. 19. Matt. v. 4. 5. & seqq.* & quidem de polygamia: *Nonne legistis, quod is, qui fecit ab initio, masculum & fœminam fecit eos? Et dixit: Propterea deseret homo Patrem & Matrem & agglutinabitur uxori suæ, & erunt duo in carnem unam. Jam itaq; non sunt duo, sed una caro. Quod ergo DEUS conjunxit, homo ne separet.* De libello divortii *v. 7. & seqq. Moses ob σκληροκαρδίαν vestram permisit vobis repudiare uxores vestras: caterum ab initio non fuit sic.* Legem itaque Mosis *Deut. 24. v. 1. & seqq.* Salvator de permissione saltem intelligit. Et si penitius istam legem Deut. inspicimus, hoc potissimum intendit, quod repudiata, si facta est uxor alterius, post hujus mortem, non possit nubere priori. Majus malum evitandum, Salvator notat voce σκληροκαρδίας, ex qua mala plura, ut occulta homicidia, durior tractatio, & omnis generis insidiæ promanare potuerunt. Fuerunt enim Judæi populus in affectus maximè proclivis. De divortiis autem istis Salvator suam sententiam pronunciat dicto *cap. Matth. 19. v. 9. Dico, vobis, quicunq; repudiaverit uxorẽ suam, nisi propter stuprum & aliam duxerit, is committit adulterium, & qui repudiatam duxerit, committit adulterium.* Ubi causam Salvator unicam saltem divortii, stuprum, vel fornicationem (cui malitiosa desertio æquipollet 1. *Cor. 7. v. 15.*) adducit.

§. 2. *Usus* aphorismi hujus *in didacticis* est, ut legem *Deut. 24.* de divortiis rectiùs teneamus, &, quid, destructâ politiâ Judaica, de illa sentiendum, cognoscamus.

§. 3. *In polemicis* adversus Pontificios, qui varias repudii & divortii causas fingunt, cùm ex Salvatoris & Apostoli sententia duæ tantùm sint, fornicatio & malitiosa desertio, usus aphorismi hujus esse potest. Id quod tamen de solutione in totum, non in tantum; quoad vinculum, non quoad mensam & thorum, quæ posterior etiam alias ob causas, ut sævitiem, fieri potest, intellectum volumus.

APHORISMUS XIV.

Destructo templo & foro Mosaico, legibus ceremonialibus & forensibus Mosaicis non amplius locus est in N. T.

SCHOLIUM.

p.288

§. 1.

S*Ensus.* Cum leges istæ profectæ sint à justissimo legislatore, non desunt, qui easdem in usum revocandas sentiant. Verumenim-

nèmenimverò justissimus iste Legislator tulit istas leges, ad certum duntaxat tēpus duraturas, quamdiu nimirum staret templum & forum Mosaicum. Unde sæpius hâc loquendi formâ scriptura V. T. utitur: Hæc servabitis in generationibus vestris. De abrogatione quoq; legum ceremonialium *Jerem.* 3. & *Dan.* 9. forensium *Gen.* 49. prædicitur. Quod autem post ascensionem Salvatoris in Cœlum nihilominus adhuc ab Apostolis observatæ fuerint istæ leges, id propterea factum fuit, ût cum honore sepeliretur Synagoga Mosaica. Sic Paulus *Timotheum circumcidi voluit*, *Actor.* 16. *vers.* 3. *Titum circumcidi non voluit propter falsos fratres obiter subingressos ad explorandam libertatem nostram, quam habemus in Christo JESU Galat.* 2. *v.* 3. 4. Ut res itaq; indifferentes coleràrunt, donec doctrina de Christiana libertate radices altiores ageret, & ipsæ intermissione usus sensim evanescerent. Si quis autem ex necessitate circumcidi voluisset, de illo pronunciat Apostolus *Galat.* 5. *v.* 2, 3, 4. quòd à Christo sit evacuatus, quòd debitor sit totius legis servandæ, quòd à gratia exciderit. Præterea, destructo templo & foro Judaico, leges ceremoniales & forenses ad Ecclesiam & Rempublicam Christianam applicari non possunt. Ubi tamen distinctiones inter genus & speciem, inter id, quod morale ac ceremoniale, vel forense in istis legibus occurrit; inter observationem & significationem; inter necessitatem & libertatem observationis sunt repetendæ.

§ 2. *Usus* aphorismi hujus *in didacticis* est, ut doctrinam de legibus ceremonialibus & forensibus rectè teneamus.

§. 3. *In polemicis* adversus Judæos, Carolstadium & Anabaptistas quosdam, jus ex Mose in foro Christiano dicendum esse statuentes, usus aphorismi hujus esse potest.

p. 289

Locus XI.

De

EVANGELIO.

§. 1.

ETymologia. Cum lex per fidem stabiliatur, doctrinam de lege doctrina de Evangelio sequitur. Vox *Evangelii* origine Græca est à verbo εὐαγγέλλω i. e. lætum nuncium affero descendens, propterea, quòd lætitiam animis perterrefactis afferat: civitate verò Latinâ propter emphasin, ut alia vocabula multa τῆχτήσει Græca, fuit donata. Hebræis vocatur בְּשׂוֹרָה i.e. *nuncium* à radice בָּשָׂר i.e. *mollia, carnea dixit.* בָּשָׂר enim carnem significat. In Piel בִּשֵּׂר i.e. *evangelizavit, bonum nuncium attulit.* Inde מְבַשֵּׂר i.e *Evangelista*, bonus nuncius. *Homonymia.* Vox *Evangelii* stylo Biblico τῆχῶς potissimum accipitur 1. generaliter pro tota doctrina cœlesti, quatenus Legem & Evangelium strictè dictum ambitu suo complectitur, ita tamen ut à potiori fiat denominatio. Ita

sumitur

sumitur *Marci 16. vers. 15. Ite in mundum universum & prædicate Evangelium omni creaturæ.* 2. specialiter pro doctrina de Christo, vel gravita peccatorum remissione propter Christum. In hoc significatu prima promissio Protoplastis facta de semine mulieris contritu: o caput serpentis πρωτευαγγέλιον, promissio Abrahæ & ipsius posteris facta de semine benedicto, in quo benedicendæ sunt omnes familiæ terræ πρωτευαγγέλιον *Gal. 3. v. 8.* dicitur. In hoc significatu speciali opponitur legi. 3. specialissimè pro concione de Christo exhibito & opponitur τῇ ἐπαγγελίᾳ i.e. promissioni, quę est concio de Christo exhibendo. In hac significatione non fuit in V.T. Ex oppositione itaque de significatione statuendum. Specialissimus hic significatus occurrit *Act. c. 13. v. 32.* Ἡμεῖς ὑμᾶς εὐαγγελιζόμεθα τὴν ἐπαγγελίαν τὴν πρὸς τοὺς πατέρας γινομένην. i.e. *Nos vobis annunciamus promissionem, quæ Patribus facta est.* Ut etiam *Rom. 1. v. 1. & 2.* Paulus servus JESU CHRISTI segregatus εἰς εὐαγγέλιον Θεοῦ, ὃ προεπηγγείλατο διὰ τῶν προφητῶν i.e. *ad Evangelium, quod ante promiserat per Prophetas.* In hac itaque significatione non fuit Evangelium in V.T. sed promissum. Ita verbum εὐαγγελίζομαι in strictissima significatione pro concione de CHRISTO exhibito sumitur *Luc. 2. v. 10.* cùm Angelus ad Pastores inquit: Ἰδοὺ γὰρ εὐαγγελίζομαι v. 10. *Ecce enim annuncio vobis* actu completam promissionem de Messia exhibendo.

p. 290

§. 2. *Definitur Evangelium*, quòd sit doctrina de gratuita peccatorum remissione propter CHRISTUM. Hæc lucem capit *ex c. 4. Luc. v. 18.* quando Salvator dictum Propheticum *Es. 61. v 1.* in se completum dicit: *Spiritus Domini super me, propterea quòd unxit me, ad evangelizandum pauperibus* (Spiritu) *misit me, ut sanem contritos corde, ut prædicem captivis remissionem & cæcis visum, ut emittam confractos per remissionem, ut prædicem annum Domini acceptum.* Nec enim ut Sociniani somniant, gratuita peccatorum remissio & satisfactio sibi repugnant. Gratuita siquidem non respectu meriti CHRISTI, sed nostri dicitur. Ideò scriptura CHRISTI redemptionem cũ gratia conjungit, ut *Rom. 3. v. 24. Justificamur gratis per gratiam, per redemtionẽ CHRISTI JESU, quẽ proposuit DEUS propitiatorium per fidem in sanguine ipsi.* Ubi nulla est ἀδολεσχία, cùm particula gratis cum gratia conjungitur. Prior enim καθ' ἄφεσιν meritũ ex nostra parte tollit: posterior χάριν veram justificationis causam efficientem gratuitum DEI favorem, ponit. In fontibus ἀδολεσχία locum minus invenit. Ibi enim legitur δωρεὰν τῇ χάριτι, Lutherus: Und werden ohne Verdienst gerecht/ durch seine Gnade &c. Fuerunt ex sociis Aug. Confessionis, qui per concionem pœnitentiæ Evangelium descripserunt. Verùm quia vox Evangelii nõ accipitur in significatione stricta & propria, sed lata, quatenus totam doctrinam cœlestem lege & Evangelio prestè dicto cõstantem ambitu suo complectitur, vox etiam pœnitentiæ ambigua est, quippe quæ vel ὁλικῶς de tota pœnitentia, vel μερικῶς de parte istius contritione sumitur, sententiam hanc non immeritò missam facimus, prout etiam in Form. Conc. strictè dicta art. 5. fuit rejecta. Pontificiis Evangelium definitur, quòd sit nova lex gratiæ viribus aucta. Ex Christo siquidem novum Legislatorem faciunt, qui legibus Mosaicis novas adjecerit.

§. 3. Præter

§. 3. Præter differentiam genericam, quòd nova lex sit, specificam etiã addunt, quòd gratiæ viribus sit aucta, quasi Patres V. T. gratiam & vires implendi legem nõ acceperint. Hinc etiam V. T. Sacramenta gratiam non contulisse, sed tantùm significâsse, nec ex opere operato, sed opere operantis profuisse volunt. Quidam auxilia gratiæ per Evangelium intelligunt. Sed Evangelium in legem mirâ μεταμορφώσει commutant, & articulum de justificatione peccatoris coram DEO, unum ex præcipuis, miseris modis corrumpunt. Inter
p. 291 alias hujus erroris hypotheses non ultima fuisse videtur, quòd passionis Dominicæ fructum post peractũ demũ redemtionis negocium cœpisse volunt, & per gratiam dona talẽ gratiæ intelligũt. V. g. Quando legunt *Joh. 1. v. 17. Lex per Mosen data est, gratia & veritas per Christũ facta*, per gratiã dona gratiæ & hæc demũ post prolatũ in cruce verbum, Consummatum est, orta capiunt, cùm inter actũ & fructũ satisfactionis Dominicæ limitibus accuratis distinguere deberent. Satisfactionis actus quidẽ in plenitudine temporis cœpit, sed fructꝰ antrorsum & retrorsum valet. *Jesus Christus heri & hodie & idem in secula Hebr. 13 v. 8.* Promissiones certè Patres V. T. habuerunt de semine mulieris cõtrituro caput serpẽtis, de semine benedicto, in quo benedicendæ erant omnes familiæ terræ, de Jehovah justitia nostra, σωτήριον promissum exemplo Jacobi *Gen. 49. v. 18.* & Davidis *Ps. 119. v. 116.* fide apprehenderunt, futurum Messiam in sacrificiis occidi & comburi viderunt, & conjiciendo peccata sua in has ipsas victimas à peccati reatu liberati fuerunt. Prævaricationes etiam eorum, qui erant sub V. T. Christus suâ morte sustulit, *Hebr. 9. v. 15.* Unde Petrꝰ *Act. 4. v. 12.* dicit, *non esse aliud sub cælo nomen, in quo nos oporteat salvari, quàm nomen JESU*, & *Act. 10. v. 43. Huic JESU Prophetas omnes testimonium perhibere, peccatorum remissionem in nomine ipsius accipere, quotquot crediderint in eũ.* Quibus adde caput *Act. 15. v 10. Quid tentatis Deum imponendo jugum super cervices discipulorum, quod nec nos, nec Patres nostri* (sc. V. T.) *portare poteramus. sed per gratiam Domini nostri Jesu Christi credimus nos salvos fieri, quemadmodum & illi.* Hoc tantùm inter fidem nostram & Patrum V. T. fidem interest, quod hi crediderint in promissum, nos in missum: hi crediderint in exhibendum, nos in exhibitum secundum versiculum:

Tempora sunt Patribus, non variata fides.

Nec obstat canon iste Topicus: Effectus nõ est prior suâ causâ, quia tantùm in naturalibus obtinet: in moralibus autem & voluntariis effectus suã causam multoties antecedit. Sic captivos dimitti videmus, antequam λύτρον actu persolvatur, modò sufficienter caveatur. Sed decreta & promissiones divinę de futuro liberatore certitudine suâ nexum omnem, qui est inter causam & effectum physicum, superant. Nec voce gratiæ semper gratia secunda, vel sanctificans i. e. donum gratiæ, sed maximè gratia prima, vel justificans, vel gratuitus DEI favor CHRISTI merito nixus, peccata nobis remittens, intelligitur.

§. 4. Socinianis Evangelium est do- p. 292
ctrina de danda immortalitate iis, qui novis Christi præceptis obediunt. Sed easdem propemodum tibias cum Pontificiis inflant, ex Christo novum legislatorem, qui præceptis Mosaicis adjecerit, facientes. Hic error cùm in præcedente loco refutatus fuerit, nihil amplius adjicimus.

De gradibus obedientiæ tantùm monemus, quòd Sociniani, rigidissimam in V. T. à DEO requisitam fuisse obedientiam præceptorum Mosaicorum; in N. T. aliquali studio præceptorum Christi contẽtum esse DEUM, velint. Verum enim verò, si per justitiam legalem coram tribunali divino justificari velimus, rigidissima tam in V. quàm N. T. requiritur obedientia, ut sc. DEUM ex toto corde, ex tota anima & omnibus virib. nostris diligamus & proximum nostrum, sicut nos ipsos *Matt.* 22. *v.* 17. ut permaneamus omnibus præceptis legis, *Gal. 3. v.* 10. nobis opus est.

§. 5. Alias *differentias legis & Evangelii* nos; alias Pontificii constituũt. Nobis lex & Evangelium differunt 1. patefactione. Legis doctrina magnam partem est naturalis: Evangelii verò doctrina tota est supernaturalis. Gentes ostendunt, opus legis scriptũ in cordibus suis, simul attestante illorum conscientiâ & cogitationibus inter se accusantibus, aut etiam defendentib., Apostolus inquit *Rom. 2. v. 15.* De doctrina Evangelii Johannes in hęc erumpit verba *c. 1.* historiæ suæ Evangelicæ *v. 18. DEUM nemo vidit unquam, unigenitus filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit* Et Paulus *Rom. 16. v. 25. 26. Ei, qui potens est vos confirmare secundùm Evangelium meum, & præconium Jesu Christi juxta revelationem mysterii temporibus aternis taciti, manifestati verò nunc, & per scripturas Propheticas juxta delegationem aterni Dei, in obedientiam fidei in omnes gentes patefacti, soli sapienti Deo per Jesum Christum gloria in secula, Amen.* 2. Lex & Evangelium differunt doctrinæ formâ. Lex vitam promittit operantibus: Evangelium credentibus: lex omnibus numeris completam obedientiam requirit: Evangelium remissionem peccatorũ propter Christum annunciat. *Lev. 18. vers. 5. Qui fecerit ea homo, vivet in eis. Rom 2. v. 13. Factores legis justificabuntur. Rom. 3. v. 21. 22. Ei, qui non operatur, credit autem in eum, qui justificat impium, reputatur fides ejus ad justitiam secundum propositum gratiæ.* Sunt, qui legis tantùm promissiones non Evangelii conditionatas volunt. Sed inter conditionem operis & organi distinguendum est. Qui conditionem promissionib. Evangelicis denegant, conditionem operis, non organi volunt intellectam. 3. Lex & Evangelium distinctis officiis differunt. Lex peccatum arguit & Pædagogus ad Christum fit: Evangelium per obedientiam Christi nos justos constitui dicit. *Rom. 3. v. 19. Scimus, quòd quæcunq; lex dicit, his, qui in lege sunt, dicat, ut omne os obturetur & totus mundus reus fiat DEO.* Propterea, quòd *ex operibus legis non justificabitur ulla caro in conspectu ejus. Per legem enim agnitio peccati. Rom 5. v. 19. Quemadmodum per inobedientiam unius hominis peccatores constituti fuimus multi: Sic per obedientiam unius justi constituuntur multi.* p. 293

§. 6. Pontificii præsupponentes per legem scripta Mosis & Prophetarum, per Evangelium scripta Evangelistarum & Apostolorum intelligi, differentias alias inter legem & Evangelium constituunt. Primo differunt iisdem, ut inchoatum & consummatum. 2. quòd lex per Mosen data sit, qui Legislator tantùm fuit: Evangelium per Christum, qui non Legislator solùm, sed & Redemtor fuit, & gratiam (dona gratiæ) nobis attulit. 3. quòd lex Mosis uni tantùm genti, Judæis scil. Lex Christi omnibus gentib. data fuit. 4. quòd lex umbras & figuras rerum futurarum,

Evange-

Evangelium ipsum corpus complectatur. 5. quòd Lex Mosis, adveniente Christo, mutanda fuit, legi Christi nulla succedat. 6. quòd lex Mosis non habeat vim justificandi, neque data sit, ut justificaret, sed ut morbum ostenderet & ad quærendū Medicum nos compelleret: lex autem Christi vim justificandi habeat. Hinc etiam cælum usq; ad Christi ascensum occlusum fuisse, tum temporis autem de mortuos in limbo Patrum pœnam damni passos fuisse volunt. 7. quòd lex Mosis lex timoris & servitutis fuerit, Evangelium lex amoris & libertatis sit. 8. quòd lex Mosis fuerit onus ἀβάστακτον i.e. portatu impossibile: lex Christi sit jugum suave ac onus leve.

§. 7. Hæ sunt differentiæ inter legem & Evangelium ex Pontificiorum sententia intercedentes, quibus pars non exigua systematis Theologici Pontificii lucem accipit. Nos reponimus ad differentiam primam, si perfectum sumatur ratione claritatis, quòd sc. N. Test. sit lucidius vetere, nos concedere posse, novum veteri Testamento esse perfectius: si ratione finis, quasi salutem ex doctrina divinitus patefacta Patres ante Christum exhibitū consequi non potuerint, negamus. Ad secundam, quòd Christus nullatenus novas leges tulerit, sed Mosaicas à corruptelis Pharisaicis repurgaverit: nec gratiam tantùm secundam, sed & primam; non sanctificantem duntaxat, sed & justificantem acquisiverit. Ad tertiam, quòd licet DEUS Judæos λαὸν περιούσιον i.e. peculiarem populum sibi legerit, alias tamen gētes ab hujus aggregatione non excluserit. Unde duplicis generis proselyti, justitiæ
p.294 & portæ, dabantur. De quibus alibi. Ad quartam, quòd de differentiis legis moralis & Evangelii, non ceremonialis agatur: umbræ verò pertinent ad legem ceremonialem. Ad quintam, quòd lex moralis tanquam æterna & immota justitiæ divinæ regula nullatenus, adveniente Christo, fuerit mutanda, sed potius istius observatio à Christo & Apostolis nobis præcepta. *Cælum prius & terra transire debēt, quàm jota, vel apex unus de hac lege in terrā decidat, Matth. 5. v. 18.* Ad sextam, quòd lex in se doctrina vivifica sit secundum illud *Lev. 18. v. 5. & Gal. 3. v. 12. qui fecerit ea homo*, sc. præcepta legis, *vivet in eis*, prout etiam in statu integritatis Protoplasti per observationem legis fuissent justificati, sed quod non amplius sit doctrina vivifica, per accidens fit, propter corruptionem nostræ naturæ, prout in hanc ipse Apostolus *Rom. 9. v. 4.* causam conjicit, cùm inquit: *Quod impossibile erat legi, siquidē per carnem infirmabatur, id præstitit Deus, misso Filio &c.* Si per legem Christi doctrina Christi de gratuita peccatorum remissione intelligitur, prout vocabulum תּוֹרָה in genere doctrinam significat, nō negamus, ex eadem vitam nos habere, sed illa doctrina Patrib⁹ etiam V. T. non fuit ignota. Ad septimam, quòd lex Mosis sit doctrina timoris & servitutis, non inficias, sed quòd Christus fuerit novus Legislator, negamus. Ad octavam, si esset eo modo, quo Pontificii volunt, onus esset gravius lege Mosaicâ.

§. 8. Ad doctrinam de lege ac Evangelio doctrina de pacto legali & Evangelico non exigui usus pertinet. Pactum Hebræis vocatur בְּרִית, quod à quibusdam per vocabulum συνθήκης, à quibusdam per vocabulum διαθήκης redditur. Si tamen usum Græcorum autorum respicimus, συνθήκη propriè pactionem fœderalem, διαθήκη voluntatis ultimæ dispositionem significat. Interpres LXX.

viralis & Nov. Test. vocem quidem διαθήκης semper habent, sed sub diversa significatione. Pro pactione siquidem fœderali sumitur *Ex. 24. v. 8.* & ad *Hebr. 9. v. 20.* ubi citatur hic locus: Τοῦτο τὸ αἷμα τῆς διαθήκης i. e. *hic est sanguis Testamenti*: ad quæ verba Exodi Christi alludens *Matth. 26 v. 28.* in eadem significatione vocem διαθήκης accipit, quod vocabulum καινῆς ibidem additum ostendit. Pro dispositione voluntatis ultimæ ad *Gal 3. v 15.* sumitur: Διαθήκην hominis confirmatam, scil. morte, nemo facit irritam. Vox Testamenti licet ut plurimum in usu communi pro dispositione voluntatis ultimæ sumatur, priorem tamen significationem non excludit.

§. 9. In Theologia nostra vocabulum V. & N. T. τριχῶς potissimum accipi-
p. 295 tur. 1. Vox Veteris Test. pro pacto legali, quod DEUS fecerat cum populo Israëlitico *Ex. 24. v. 8. Gal. 4. v 24. Hebr. 9. v. 15.* 2. Pro scriptis Mosis & Prophetarum *2. Cor 3 v 14. Usq; in hunc diem idem velamen in lectione V. T. librorum Mosis & Prophetarum* (à potiori factâ denominatione) *manet.* Sed instrumentum commodiùs in hac significatione appellaretur. 3. Pro tempore umbrarum, quod opponitur tempori τῆς ἐπανορθώσεως i. e. correctionis. Sic dicimus, hoc vel illud factum fuisse in V. T. i. e. ante Christum exhibitum, Patres V. T. fuisse circumcisos Christum in sacrificiis vidisse, in Messiam exhibendum credidisse &c. Novum Testamentum pariter triplici modo potissimum sumitur 1. pro fœdere gratiæ, vel Evangelico Christi sanguine in ara crucis acquisito ut *Matth. 26. v. 28. Hebr. 8. v. 13. Dicendo novum antiquavit vetus.* 2. Pro libris Evangelistarum & Apostolorum, denominatione rursus à potiori facta. 3. Pro tempore correctionis, quod exhibitionem Messiæ fuit secutum, in qua significatione dicimus, nos non amplius esse in Ver. sed Novo Test. sacrificiis materialibus in N. T. non esse locum &c.

§. 10. *Definitur Testamentum Vetus*, quòd fuerit pactum sanguine brutorum per Mosen stabilitum, quo DEUS populum Israëliticum ad servandam legem moralem, ceremonialē & forensem sibi obstrinxit, eidemque rursus promittendo terram Canaan & omnis generis bona temporalia, his verò, qui legem perfectè adimplent, vitam æternam, semet obligavit. *Testamentum novum* est pactum sanguine Filii DEI firmatum, quo DEUS Evangelio, credentibus peccatorum veniam æternamque salutem se daturum promisit. Præsupponimus hîc, aliud fuisse fœdus, quod DEUS cum primis Parentibus nostris in Paradiso iniit. Hoc enim perfectissimam obedientiam & legis cordis tabulis inscriptæ adimpletionem numeris omnibus perfectam, sed ab iis, quib⁹ inerant adimplendi vires sufficientes, requirebat, nec habebat adjunctas legi morali ceremoniales & forenses leges, nec sanguine sanciebatur, nec Mediatore opus habebat.

§. 11. Testamentum vetus quod attinet, ut ipsius natura penitius cognoscatur, inter partes istius fœderis, cujus *Ex. 24.* & *Deut. 5.* mentio fit, & ipsum fœdus ipsum, præsertim quoad formale spectatum, distinguimus. Partium, ex quibus materiale fœderis integratur, vel conditionum fœderalium vestigia quædam cōparent in Genesi priusquam DEUS ex Ægypto populum suum eduxisset, & quidem ceremonialium, quòd Patres ante &

post cataclysmũ sacrificia sua obtulerint,
p.296 quòd non peregrino, sed cœlitus delato igne sacrificia sua cremaverint *Genes.22. vers.6.* quòd inter animalia munda & immunda discrimen observaverint, *Gen.7. v 2.* quòd habuerint suos Sacerdotes primogenitos *Gen.49.v.3.* quòd officio Sacerdotali præfecti vestibus distinctis usi fuerint, *Gen.27.v.15.* Sic legum forensium rudimenta quædam *Gen.39.* conspiciuntur, quòd fratri ducere licuerit fratriam, & ita fratri defuncto semẽ suscitare, prout Thamari cum tribus fratribus successivè (uno post alterum extincto) consuescere licuit. Circa legis moralis observationem minus adhuc alicui subnasci potest scrupuli, cùm vel ex sola Genesi facilè Decalogus Ante-Mosaicus extrui queat. Sic promissiones etiam temporales de terra Canaan, de multiplicatione seminis, de protectione divina, de beneficiis aliis hanc vitam spectantibus, antequam exirent ex Ægypto, Israëlitæ habebant. Conditiones dictæ post egressum ex Ægypto solenniter fuerunt repetitæ, literis consignatæ, auctæ (præsertim cùm jam ad Ecclesiam & Politiam certam dirigerẽtur) & certi fœderis formâ comprehensæ. Forma fœderis *Ex.24.v 3. & seqq.* describitur: *Venit Moses, & populo narravit omnia verba DOMINI, & omnia judicia: & respondit omnis populus unâ voce, dixitq; : Omnia verba, quæ locutus est Dominus, faciemus.* Post pauca: *Et accepit Moses dimidium sanguinis,* sc. brutorum, *& posuit in cratere, & dimidium sanguinis sparsit super altare. Accipiens etiam librum fœderis legit in auribus populi, qui dixit: Cuncta, quæ locutus est DOMINUS, faciemus & obtemperabimus. Tulit quoque Moses sanguinem & sparsit super populum dicens: Hic est sanguis fœderis, quod pepigit DOMINUS vobiscum.* Locum hunc autor epistolæ ad *Hebræos c.9.v.19. & 20.* adducit, & illustrat: *Postquam Moses omne præceptum juxta legem expositisset omni populo, sumto sanguine vitulorum & hircorum cum aqua & lana coccinea & hyssopo simul & ipsum librum & totum populum adsperst dicens: Hic est sanguis fœderis, quod mandavit vobis DEUS.* Forma itaque fœderis in postulatione ac conditione obedientiæ, nec non sanguinis sparsione constitit. Quod non tantùm observatio legis moralis, sed & ceremonialis ac forensis fœderi fuerit inclusa, non tantùm ex universali particula, sed & voce judiciorum, inprimis locis parallelis *Lev.26.v. 45.46. & c.18.v.5.* patescit.

§. 12. Ex hoc ultimo loco, & verbis quidem sæpius in N.T. repetitis, qui fecerit ea, vivet in eis, quòd DEUS perfectè servantibus legem ad quandam vitam æternam sese obstrinxerit, liquet. Cùm autem propter intimam naturæ humanæ corruptionem Israëlitæ, &, qui jungebantur istis Proselyti, quin & nemo mortalium, pactis istis fœderalibus stare poterat, fœdus istud primum evasit μεμπτὸν p.297 i.e. reprehensibile, ut Autor epistolæ ad *Hebr.c.8.v.7.* loquitur, non culpâ ipsius Autoris sapiẽtissimi, vel fœderis in se spectati, sed partis alterius pacisscentis, hominis scilicet per cujus carnem infirmabatur *Rom.8.v.3.* & novo quæsitus fuit locus. Hoc novum spectatur, vel ut promissum fuit Patrib⁹ V.Test. vel ut à CHRISTO sancitum fuit in ara crucis. De promisso *Jerem.31.vers.31,32. & seqq.* agitur: *Ecce dies veniunt, dicit DOMINUS, & percutiam cum domo Israel, & cum domo*

Juda fœdus novum. Non ſicut fœdus, quod pepigi cum Patribus eorum, in die, quo apprehendi manum eorum, ut educerem eos de terra Ægypti, quia ipſi diſſolverunt pactum meum, etiam cùm ego quaſi Maritus dominium haberem in eos, dicit DOMINUS. Iſtud autem eſt fœdus, quod percutiam cum domo Iſrael poſt dies illos, dicit DOMINUS: Dabo legem meam in interiora eorum, & ſuper cor eorum ſcribam eam, & ero DEUS eorum, ipſiq; erunt populus meus. Et non docebit ultra unusquisque proximum ſuum & Vir fratrem ſuum dicens: Cognoſce DOMINUM, quoniã ipſi omnes cognoſcent me à minore uſq; ad majorem eorum, dicit DOMINUS. Propitiabor enim (ſc. per CHRISTUM ἱλαστήριον, vel ἱλασμὸν) *iniquitati eorũ, & peccati eorum non amplius recordabor.* Hoc fœdus Evangelicum, ut promiſſum fuit Patribus V. T. non rarò, ſed peræram, cũ fœdere legali confunditur, quia totâ definitione differunt. Opponitur autem cognitio iſta promiſſa informationi per umbras & quòd ſuperſtites futuri ſint θεοδίδακτοι i.e. *à DEO docti.* Cum enim *DEUS πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως ad Patres V. T. locutus fuiſſet, in noviſſimis nobis locutus eſt per Filium. Hebr. 1. v. 1, 2.*

§. 13. De fœdere novo ſancito, aut jamjam ſanciendo, quod nobis applicatur in cœna, Chriſtus loquitur *Matth. 26. v. 28. Hoc eſt ſanguis meus N. T. qui pro multis effunditur in remiſſionem peccatorum.* Verba Salvator ex ore Moſis depromit, quæ leguntur *Exod. 24. Hoc eſt ſanguis Teſtamenti*, quibus Salvator addit, eſſe ſuum (non pecudum) & novi Teſtamenti ſanguinem. Sic Paulus *2. Cor. 3. verſ. 6* dicit: *DEUS idoneus nos fecit Miniſtros Novi Teſtamenti, non literæ, ſed Spiritus. Nam litera occidit, Spiritus autem vivificat.* Clariùs de utroque fœdere *Gal. 4. v. 21 & ſeqq.* idem Apoſtolus ait: *Dicite mihi, qui ſub lege vultis eſſe, legem ipſam non auditis? Scriptum eſt enim, quòd Abraham duos filios habebat, unum ex ancilla & unum ex libera. Verùm is, qui natus erat ex ancilla, ſecundum carnem natus erat: qui verò ex libera per promiſſionem. Quæ per allegoriam dicuntur. Nam hæc verba ſunt duo Teſtamenta; unum quidem à monte Sinai, generans in ſervitutem, qui eſt Agar. Nam Agar Sina mons eſt in Arabia, confinis eſt autem ei, quæ nunc vocatur Hieroſolyma: Servit autem cum filiis ſuis. At, quæ ſurſum eſt, Hieruſalem, libera eſt, quæ eſt mater omnium noſtrùm. Scriptum eſt enim: Lætare ſterilis, quæ non paris: erumpe & clama, quæ non parturis: quoniam multi ſunt liberi deſertæ magis, quam ejus, quæ Virum habet. Nos autem, fratres, ſecundum Iſaac promiſſionis filii ſumus.* In his verbis Apoſtolus per allegoriam talem (ex myſtico hiſtoriæ illius ſenſu literalem h. l. faciens) duo Teſtamenta ſiſtit, quorum unum ſervitutis, alterum libertatis: unum finibus anguſtioribus, laxioribus alterum contentum: unum deſiturum, alterum permanſurum. De quibus fuſius alioloco ac tempore nobis erit agendum. p. 298

§. 14. Hoc tantùm, cur DEUS duo fœdera poſt lapſum cum hominibus pepigerit, & unum quidem μεμπτὸν i.e. *reprehenſibile*, quod abrogãdum erat, quærimus. Cauſam quidem hujus rei à priori ſcimus nullam, ſed voluntatem facientis totam factiirationem putamus. A poſteriori tamen ἄνευ προχείματος, redd' forſan hæc poſſet, quòd DEUS eandem fecerè, quam cum perſonis ſingulis, cum Eccleſia

ſua

sua rationem observaverit. Hominem convertendum per malleum legis primũ conterit, antequam dulcissimæ gratiæ suæ gustum per fidem ipsis faciat: purulenta peccatorum vulnera vino peracri prius eluit, antequam lenissimum gratiæ oleum infundat: Ita voluisse DEUM durissimo legum jugo prius exercere Judæos videtur, ut infirmitatem suam agnoscerent, eoq; anxius ad Messiam & liberationem ab onere isto anhelarent, secundum tritum istud:

Dulcia non sentit, qui non gustavit amara.

APHORISMUS I.

Evangelium est breve verbum de Verbo abbreviato. Bernhardus in serm. super fest. nat.

SCHOLIUM.

§. 1.

Sensus. Propter duplicem significatum vocis Verbi, quod semel προφορικὸν, semel ὑποστατικὸν denotat, ut & vocis abbreviati aphorismus hic est obscuriusculus. Sensum autem hunc habet: Evangelium esse brevem concionem de DEI Filio incarnato. Non quòd DEUS in sua natura fuerit imminutus, aut deterior factus, sed quòd humanam naturam, se minorem & inferiorem non respuendo illam in unitatem ὑποστάσεως suæ assumse-
p.299 rit. Quorsum etiam nonnulli referunt vocem יָהּ ex initiali & finali nominis יְהוָה litera contractam, quod nimirum hâc ipsâ respectus ad incarnationem Filii DEI habeatur. Paucis Evangelium esse concionem de Christo. Licet enim lex moralis Pædagogus noster sit ad Christũ, non tamen directè, sed indirectè nos ad Christum ducit, dum scil. ostendit nobis morbum periculosissimum & jubet quærere Medicum, ubi ubi tandem ægrotus illum inveniat. Medicum autẽ istum nobis monstrat Evangelium. Sacrificia quod attinet, vel considerantur, ut actus onerosi, sive ut sarcina δυσβάστακτα i.e. *portatu difficilis*, vel, ut typi futuri Messiæ. Priore modo spectata pertinent ad legem, & rigorem legis moralis obsignant: posteriore ad Evangelium. Quare, cùm Angelus lætum nuncium de nato Messia erat allaturus, verbum εὐαγγελίζομαι usurpat *Luca 2. v.* 10. Nec voce Christi tantum persona ejus, sed & officium, quin & omnia, quæ fuerunt ab ipso parta, beneficia, præprimis gratuita peccatorum remissio, quam satisfactione suâ perfectissimâ nobis acquisivit, veniunt. Nec enim in carnem DEI Filius venisset, nisi nos à peccatis salvos facere voluisset. *Venit Filius hominis servare, quod perierat Matth. 18 v. 11. Non venit, ut sibi ministraretur sed ut ipse ministraret, & daret animam suam λύτρον ἀντὶ πολλῶν* i.e. *precium redemtionis pro multis. Matth. 20. v. 28. Venit in mundum, ut peccantes salvos faceret 1. Tim 1. v. 15. carnis & sanguinis, non secus ac pueri, particeps factus est, ut per mortem destrueret eum, qui mortis habebat imperium, Hebr 2. v. 14. ad hoc apparuit, ut opera Diaboli dissolveret 1. Johan. 3. vers 8.*

§. 2. *Usus* aphorismi hujus *in didacticis* est, ut objectum Evangelii verum, Christum scilicet contritorem capitis serpentini, semen benedictum, in quo benedicendæ sunt omnes familiæ terræ, Jehovam justitiam nostram, vel quod perinde se habet, remissionem peccatorum propter Christum, rectè teneamus.

§. 3. *In*

§. 3. *In polemicis* adversus Pontificios, qui novas leges cum auxiliis gratiæ, nec non Socinianos, qui dandam immortalitatem obtemperantibus novis CHRISTI legibus objectum Evangelii volunt, usus aphorismi hujus esse potest. Ubi videmus Bernhardum Doctorem mellifluum, qui circa initium seculi duodecimi vixit, de doctrina Evangelii rectius sensisse, quàm Scholastici temporibus subsequentibus, qui legem & Evangelium miscuerunt, & ex duobus integris unum fecêre corruptum.

APHORISMUS II.

p.300 Evangelium est longum & breve.

SCHOLIUM.

§. 1.

SEnsus. Adscribitur hic aphorismus *Bartholomæo à Dionysio Areopagita in Theologia mystica c. 1.* Εὐαγγέλιον εἶναι πλατὺ καὶ μέγα καὶ ἄυθις συντετμημένον. h.e. *Evangelium esse latum & magnum, rursumq; concisum.* Ubi dubio procul Autor ad duplicem tractandi modum, qui vel brevior, vel longior esse potest, respicit. Evangelium breve potest esse vel ipsum nomen JESU suavissimum, quod Salvatorem significat, prout Angelus ipse nobis etymologiæ rationem suppeditat *Matt. 1. v. 21. vocabis nomen ejus JESUM, quia salvum faciet populum suum à peccatis.* Cùm itaque JESUM nominamus, autorem & consummatorem salutis nostræ intelligimus, ut usum nobis monstrat B. *Bernhardus* in hac precatione jaculatoria: *Domine JESU, esto mihi JESUS: propter nomen tuum fac mihi secundùm nomen tuum.* Vel etiam Evangelium breve potest esse brevis illa concio, quâ in gentilium & Judæorum conversione utebantur Apostoli, credere nimirum JESUM esse Christum, DEI Filium. Ubi notandum, vocabulum JESU esse nomen proprium Salvatoris nostri, quod in circumcisione ipsi fuit impositum, & quo discernebatur ab aliis hominibus, nomen autem CHRISTI appellativum, cui vocabulum Messiæ respondet in lingua Hebræa, ita ut sensus sit, credere JESUM esse Christum, DEI Filium, credere JESUM Nazarenum Hierosolymis crucifixum esse promissum Messiam, eumq; non nudum hominem, sed DEI Filium. Sic Paulus Damasci probabat, *JESUM hunc esse Christum*, daß dieser sey der Christ / *Actor. 9. v. 22.* Et hanc summam credendorum tum temporis fuisse docet *Joh c. 20.* historiæ suæ Evangelicæ *v. 31. Hæc scripta sunt, ut credatis, JESUM esse Christum, DEI Filium, & ut credentes vitam habeatis per nomen ipsius.* Sic Petrus à Salvatore quæsitus, quis sit, respondet: *Tu es CHRISTUS, Filius DEI vivi, Matth. 16. v. 16.* Et propter hanc causam morti addicebatur, tanquam blasphemus, quòd se CHRISTUM DEI Filium dixisset, *Matth 26. vers. 65.* Quantumvis autem tum temporis sufficere poterat hæc summa, quam tamen concionibus prolixis illustrabant Apostoli: quia tamen hodie Syncretistæ & omnis generis versipelles in religione sub eadem delitescere possunt, non immeritò fusiores Evangelii descriptiones de CHRISTI persona, officio & beneficiis, inprimis satisfactione p. 301 pro peccatis nostris & parta peccatorum remissione gratuita jungimus.

§. 2 *Usus*

§. 2. Usus aphorismi hujus esse potest, si, præsertim in periculis, aut morbis vehementioribus constituti, & verborum non multum facere queamus, ut nomen Domini JESU, parvum Evangelium, invocemus; ad imitationem Stephani Protomartyris ingemiscentes: *Domine JESU*, (qui secundum nomen tuum à peccatis salvum me fecisti:) *suscipe Spiritum meum, Act. 7. v. 59.*

§. 3. In polemicis, cum Evangelium parvum & magnum JESUM Salvatorem nostrum non novas leges, objectum habeat, adversus Pontificios & Socinianos idem usus, qui prioris, esse potest.

APHORISMUS III.

Lex & Evangelium sunt duæ doctrinæ diversæ, non adversæ.

SCHOLIUM.

§. 1.

UTraque enim est DEI verbum, utraque DEUM Autorem habet, utraque in se vim habet vivificandi. Quod autem lex post lapsum non vivificet, id fit per accidens, propter naturæ nostræ corruptionem, prout Apostolus inquit *Rom. 8. v. 3. Quod impossibile erat legi, siquidem per carnem infirmabatur, id præstitit Deus misso Filio &c.* Lex moralis est æterna & immota divinæ justitiæ regula, de qua Salvator *Matth. 5. v. 18. quod cælum & terra prius transire debeant, quam jota unum, vel apex unus de lege in terram decidat.* Et *v. 17. quod non venerit solvere, sed implere legem.* Evangelium est doctrina de gratuita peccatorum remissione per & propter Christum. Vel decretum Dei temporibus æternis absconditum, nunc autem patefactum de mittendo Reparatore generis humani, qui justitiæ divinæ peccatis ejusdem læsæ λύτρον ἰσόρροπον persolvat. Si DEUS justissimus citra satisfactionem peccata liberaliter dimittere, vel quid pro quo acceptillare diceretur, tunc Evangelium doctrinæ legis adversari videretur: Sed temperamentum justitiæ, & misericordiæ hic conspicitur. Justitiæ peccata citra plenariam satisfactionem non remittentis: Misericordiæ, satisfactionem illam à Christo, ac si à nobis præstita fuisset, accipientis. Hinc utraque doctrina in usu debet esse conjunctissima. Quod Lex nobis mandat, id Evangelium præstitum esse annunciat. *Legem per fidem destruimus? Absit: sed legem stabilimus*, Apostolus *Rom. 3. v. 31.* inquit. Et *capite 10. v. 4. Christum* πλῆρωμα i. e. πλείωσιν & νόμου i. e. *perfectionem legis ad salutem omni credenti pronunciat.* 302.

§. 2. Usus aphorismi hujus in didacticis est, ut media via inter Legistas tantum & puros putos Evangelicos, legem ex Ecclesia proscribentes incedamus, & veram non tantum de lege, sed & Evangelio doctrinam teneamus.

§. 3. In Polemicis adversus Pontificios & Socinianos conciones legales tantum crepantes, ut & Antinomos, Islebii Sectatores, legem ex Ecclesia in Curiam, quin & patibulum amandantes, usus aphorismi hujus esse potest.

APHORISMUS IV.

Lex ligat & damnat: Evangelium solvit & salvat.

SCHOLIUM.

§. 1.

UTut lex & Evangelium in se non sint doctrinæ adversæ, sed diversæ, con-

Digitized by Google

trarios tamen effectus habere videntur. Lex enim ligat & damnat : Evangelium solvit & salvat. Lex ligat & damnat, cum de peccato nos convincit, & iram DEI, pœnasque tum temporales, tum æternas annunciat. Evangelium verò peccata per Christum expiata, credentibus remissa, DEUM propitium & salutem cum temporalem, tum æternam annunciat. De duabus clavibus, ligante ac solvente, Christus agit, *Matth. 16. v. 19. Dabo tibi claves regni cœlorum, & quicquid alligaveris in terra, erit alligatum in cœlis: & quicquid solveris in terra, solutum erit in cœlis.* Quantumvis autem ad Petrum Christus hæc verba pronunciet, quia tamen is, tanquam Os Apostolorum (quæstio enim ad omnes erat directa,) reliquorum nomine respondit, non tantum ad omnes Apostolos, verum etiam ad eorum in ministerio successores hoc pertinet. Id quod patet ex *c. 18. v. 18. Matth.* ubi oratio Christi ad omnes dirigitur : *Amen dico vobis, quæcunq; ligaveritis super terram, ligata erunt in cœlo: & quæcunq; solveritis super terram, soluta erunt in cœlo.* Nec non *Johannis 20. c. v. 22. Accipite Spiritum S. quorumcunq; remiseritis peccata, remittuntur eis; quorumcunq; retinueritis, retenta sunt.* Clavem ligantem Ecclesia (quæ tanquam Domina, Petrus & Ecclesiæ ministri tanquam Oeconomi claves has habent,) per
303. conciones legales exercet, peccatorem impœnitentem, scandalosum & notorium de peccato convincens, eidemque iram DEI & pœnas cum temporales, tum æternas, nisi resipiscat, annuncians: solventem per Evangelium, pœnitentibus & in Christum credentibus peccata remittens, & cœlum iisdem aperiens. Clavis utraque vel generalis est, vel specialis, quarum illa peccatores in genere concernit, & pro concione sæpius exercetur: hæc ad certas personas extenditur. Utramque Pontifex R. in suis insignibus decussatim sibi superimpositam, unam auream solventem, alteram ferream ligantem, cum superimminente corona triplice super cœlestia, terrestria & infernalia, vel, ut alii volunt, super Europam, Africam & Asiam, tanquam Petri successor & cœli claviger, à quo potestas retinendi & solvendi peccata derivetur in inferiores, gerit; sed propter satisfactiones pro pœnis temporalibus, & recclusiones regnorum mundanorum adulterinas.

§. 2. Ut abusus hic ex legis & Evangelii turpissima confusione oritur: Sic missum facimus, & usum aphorismi hujus in distinctis & penè contrariis utriusque doctrinæ legis & Evangelii effectis monstramus.

§. 3. In polemicis adversus dictos Caupones Pontificios, qui contritionem etiam ad Evangelium pertinere voluit, usus aphorismi hujus esse potest.

APHORISMUS V.

Pro-Evangelium idem quod Post-Evangelium docet.

SCHOLIUM.

§. 1.

SUnt ex Theologis, qui loci Paulini ad *Gal. 3. v 8.* quadam ἀφορμῇ adducti Evangelium in Pro-Evangelium & Post-Evangelium dividunt. Locus autem iste Paulinus ita sese habet : *Providens autem Scriptura quod Deus ex fide justificet gentes, προευηγγελίσατο τῷ Ἀβραάμ,* i.e.

prius

priùs rem lætam annunciavit, vel προευαγγέλιον attulit Abraham, *in semine tuo benedicentur omnes gentes.* Per Pro-Evangelium itaque dicti Theologi promissionem hanc Abrahæ & ipsius posteris factam, per Post-Evangelium promissionem de Propheta magno cœlitus, ut audiatur, nobis commendato, imò cum pœnæ comminatione demandato, *Deuter.* 18. *v.* 20. quod post sancitum fœdus hæc posterior facta fuerit, intelligunt. Notandum autem particulam πρὸ vel ad fœdus legale post migratam Ægyptum formaliter cum Israelitis ictum,
304 vel ad εὐαγγέλιον strictissimè sic dictum, ut est concio de Messia jam exhibito, respectum habere. Si respectum habet ad fœdus legale, promissio de Propheta magno Post-Evangelium non incongruè vocatur: Si verò ad Evangelium in strictissima significatione acceptum, promissio ista, *Deut.* 18. facta, non secus ac vel prima promissio de semine mulieris contrituro caput serpentis, vel Abrahæ & posteris de semine benedicto, in quo benedicendæ sunt omnes familiæ terræ, vel omnes εὐαγγελίαι reliquæ, ut conciones sunt de Messia exhibendo, *Act.* 13. *v.* 32. *Rom.* 1. *v.* 1, 2. & Evangelio strictissimè sumto contradistinguuntur, προευαγγέλιον dici potest. Utramque promissionem de CHRISTO agere, citatio in N. T. quod clavis veteris est, facta docet. Priorem enim promissionem de Christo Paulus *Gal.* 3. *v.* 16. posteriorem Petrus, *Act.* 3. *v.* 22. exposuit. Hoc tantum interest, quod prior ad officium magis Sacerdotale, posterior ad Propheticum respiciat. Quam ob causam *CHRISTUS Propheta magnus Luc.* 7. *v.* 16. & *Propheta in mundum mittendus, Joh.* 6. *v.* 14. dicitur, & *à Patre cœlitus Matth.* 17. *v.* 5. *nobis audiendus* commendatur.

§. 2. Usus aphorismi hujus in didacticis esse potest, ut CHRISTUM πρὸ Scripturæ σπερμάτων agnoscamus prout ipse ἐν κεφαλίδι i. e. in primo capite, in prima sectione Scripturæ V. T. ubi promissio prima continetur, de se scriptum esse, *Ps.* 40. *v.* 10. & ad *Hebr.* 10. *v.* 7. testatur. Christus ipse Scripturas, quas scrutari jubet, nominatim Mosen testimonium sibi perhibere dicit, *Joh.* 5. *v.* 39. 48. Paulus in fundamento doctrinali, quod Prophetæ & Apostoli posuerunt, Christum λίθον ἀκρογωνιαῖον i. e. *lapidem angularem* vocat, *Eph.* 2. *v.* 20. Petrus omnes Prophetas de Christo testari *Act.* 10. *v.* 43. statuit. *Autor epistolæ ad Hebræos* doctrinis variis nos circumferri prohibens, Jesum Christum Heri & Hodie fuisse *c.* 13. *v.* 8. asserit.

§. 3. Usus in Polemicis adversus Socinianos, qui conciones legales totius Scripturæ scopum esse volunt, ut etiam Pontificios fructum Dominicæ liberationis ad N. T. tempora restringentes, esse potest.

APHORISMUS VI.

Consilia Pontificiorum Evangelica sunt minus consulta.

SCHOLIUM. 305.

§. 1.

CONsilium ejusmodi definiunt Pontificii, quod sit opus à Christo non imperatum, sed indicatum; non mandatum, sed commendatum. Vocantur ab ipsis Evangelica, quod in Evangelio, scriptis Evangelistarum & Apostolorum

Digitized by Google

nobis commendentur : & perfectionis, quod perfectos nos faciant & religiosos præprimis deceant: opera verò consulta supererogationis (rectius superarrogationis,) quod plus faciant, quam lex à nobis requirat. Differunt ipsis consilium & præceptum secundum quatuor causarum genera, & 1. quidem ratione causæ efficientis, quod præcepta sint omnium, consilia perfectorum, quales sunt religiosi. 2. ratione materiæ, quod præceptum sit facilius, consilium difficilius: præceptum sit bonum, consilium sit melius & perfectius. 3. ratione formæ, quod præceptum obliget, consilium sit liberum. 4. ratione finis, quod præceptum observatum habeat præmium, non observatum inferat pœnam : Consilium si non servetur, pœnam nullam pediſſe quam habeat, si verò servetur, majus præmium consequatur. Consilia quidem ipsa non negamus, cum Paulus ipse inter præceptum Domini, suumque consilium distinguat 1. *Cor.* 7. *v.* 25. *De virginibus præceptum Domini non habeo : Consilium autem do*, sed Pontificia repudiamus. Hæc enim falsis nituntur hypothesibus, quod homo non tantum legem implere, sed plus etiam, quã in lege mandatum est, præstare possit: neve perpluat, hypothesin hanc hypothesi nova tegunt, quod summus legis gradus nobis à Deo non imperetur, sed ut finis tantum, ad quem tendere debeamus, ostendatur, propterea quod impossibilia non nisi Tyrannus præcipiat.

§. 2. Hypothesin primam quod attinet, tantum abest, ut homo in statu corruptionis plus præstare queat, quàm lex præcipit, ut ne quidem injunctorum satagere, vel tantum quantum lex à nobis requirit, facere queat. *Volentibus enim facere bonum κακὸν παράκειται Rom.* 7. *v.* 21. *ἁμαρτία ἐνοικοῦσα* ibid. *v.* 17. *καὶ ἐνοικοῦσα τῷ Hebr.* 12. *v.* 1. congruentiam nostrarum actionum cum lege non parum collitulat, ut Paulus citatis locis desuper queritur, & quilibet pravæ conscientiæ motus in se sentiens expetitur. Hinc Ecclesia Israelitica suam justitiam cum panno menstruatæ comparat, *Esa.* 64. *v.* 6. Secundam hypothesin, quòd summus legis gradus nobis à DEO non præcipiatur, vel unicus locus *Gal.* 3. *v.* 10. ex *Deut.* 27. *v. ult.* desumtus destruit: *Maledictus omnis, qui non permanserit in omnibus verbis legis.* In quo singula verba singula pondera. Nec enim duntaxat universalitas duplex 306
ibidem habetur, sed & permanentia in lege requiritur, ita, ut natura hominis cum lege congruat, nec ulla cogitatiuncula per omnem vitam *παραμορίαν* cum lege turbet. Jam inter 10. verba legis etiam duo præcepta de concupiscentia continentur, de qua Paulus dicit *Rom.* 7. *v.* 7. *Concupiscentiam non novissem*, sc. peccatum esse, *nisi lex dixisset: Non concupisces.* Addo, quod *impingens in uno, reus sit omnium, Jacobi* c. 2. *v.* 10. Nec tertia hypothesis recto stat talo, quod sc. impossibilia præcipiens sit Tyrannus. Quoties enim debitores, præsertim decoctores, qui solvendo non sunt, creditoribus sua restituere jubentur, quod tamen factu ipsis est impossibile? Nisi sc. DEUS possibilitatem istam homini concessisset, & ipse propria malitia impossibilitatem istam sibimet accersivisset, tunc forsan hypothesis aliquid obtineret. Sed homo in creatione prima vires implendi legem accepit, quas sua malitia perdidit.

§. 3. Sed, ut revertamur intra oleas, nos consilia in rebus liberis & indifferentibus,

rentibus, non autem divinitus præceptis, (cùm præceptum DOMINI & Consilium Pauli sibimet opponantur) locum habere, statuimus, e. g. si quis consilium alterius secutus, à certo genere cibi, potus, vestitus, à conjugio (si continentiæ dono præditus sit,) à manupretio pro labore, vigiliis & lucubrationibus abstineat, quæ non mandata, sed in manu facientis sunt relicta, cultus & meriti rationem nullatenus habentia. Circa numerum consiliorum ejusmodi non convenit inter Pontificios, unde dubio procul Bellarminus controversiam hanc non attigit. Tribus Consiliis Evangelicis, sive perfectionis, quæ sunt paupertatis, castitatis & obedientiæ, alii plura jungunt, ut vindictæ intermissionem, & percussionis tolerantiam, *Matth. 5. v. 39. Luca 6. v. 29.* eleemosynarum in obvios quosque petentes largam distributionem, *Luc. 6. v. 30.* fugam occasionum peccandi, *Matth. 18. v. 9.* neglectum curæ victus, *Matth. 6. v. 31.* ἀβλεψίαν mulieris, orationem pro persecutoribus, & plura, quæ recensentur à Christo in concione *Matth. 5. & Luca 6.* habita. Paucis: Consilia quidem admittimus, sed in rebus indifferentibus, non divinitus mandatis: nec perfectionis, vel commoditatis & utilitatis, πρὸς τὸ συμφέρον, ut Apostolus inquit, *1. Cor. 7. v. 35.*

§. 4. Usus aphorismi hujus in didacticis est, ut doctrinam de consiliis non parum à Pontificiis intricatam, nec Evangelio, quod est doctrina de Christi, propriam rectius teneamus.

§. 5. In Polemicis adversus dictos Pontificios usus esse potest.

APHORISMUS VII.

Evangelium nec præceptiones, nec comminationes, sed suaves invitationes habet. Item: Promissionibus Evangelicis conditio non operis, sed organi est annexa. 307

SCHOLIUM.

§. 1.

CUm Pontificiis Evangelium nova lex sit, ut quidam errori huic obviam fiant, videntes quod Evangelium etiam aliquid ex nostra parte requirat, non præcepta, sed consilia, in alia tamen subjecta materia occupata, Evangelio transscribunt. Propter abusum tamen termini, &, ne quid consiliis Evangelicis Pontificiorum tribuere, vel commune quid cum iisdem habere videamur, alii abstinentiam ab hac locutione suadent. Dicunt itaque non præceptiones, sed invitationes suaves Evangelium habere. Vide disp. H. Höpfneri de fide justificante, respondente Johanne Hülsemanno Anno 1627. h. l. habita. Chemnitius super pericopam Evangelicam Dominica XXIV. in Ecclesia explicari solitam sic loquitur: Wenn wir weder durch des Gesetzes Drohung/ noch durch des Evangelii Locken zu Christo kommen wollen ꝛc. Ejusmodi suavis invitatio habetur *Matth. 11. v. 28. Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis. Ego reficiam Vos &c.* Sunt etiam ex orthodoxis, ut ipse Lutherus, qui promissiones Evangelii non conditionatas volunt. Sed cum sine fide nobis nihil prosint, inter conditionem operis & organi quidam distinguunt. Conditionem operis Lutherus ab Evangelii promissionibus excluſit, non

organi. Quod autem fides in circulo justificationis nostræ non ut opus consideretur, i.e. quod meriti rationem habeat, aut in se tam dignum sit, ut propter hoc ipsum Deus hominem justificet, ex oppositione operum & fidei patet, ut *Rom. 3. v. 28. Colligimus igitur, fide justificari hominem, absq; operibus legis.* Et ad *Gal. 2. v. 12. Scimus, non justificari hominem ex operibus legis, nisi per fidem Jesu Christi, & nos in Christum Jesum credidimus, ut justificaremur ex fide Christi, & non ex operibus legis: propterea quod non justificabitur ex operibus legis omnis caro.* E. Fides non ut opus legis primo præcepto mandatum, sed quia refertur ad suum objectum Christum tanquam medium & organum apprehendens, consideratur. Operis autem nomine meritum oppositum gratiæ intelligi, ex *cap. 11. Epistolæ ad Rom. v. 6.* liquet: *Quod si per gratiam, non jam ex operibus: quandoquidem gratia jam non est gratia. Sin ex operibus, jam non est gratia: quandoquidem*
308. *opus non est opus.* Hinc Theologi observarunt, opera vel gratiæ, vel fidei opponi: Si gratiæ, denotent merita, & sic ad justificationem sint imperfecta: Si fidei, denotent organa, & sic sint inepta. Operibus enim legis Christum applicare sibi velle, nihil aliud esset, quam calcaneo eleemosynam accipere velle.

§. 2. Usus aphorismi hujus in didacticis est, ut Evangelium & legem, nec non utrumque pactum, vetus & novum, probè discernamus, & quæ vera doctrina de utroque sit, rectè teneamus.

§. 3. In Polemicis adversus Pontificios legem in Evangelium transformantes, usus esse potest.

APHORISMUS VIII.

Lex Evangelica videtur esse σιδηρόξυλον.

SCHOLIUM.

§. 1.

NIhil frequentius Pontificiis est in ore, quàm lex Evangelica, nova sc. illa, quam Christus novus legislator tulit. Verum cum lex & Evangelium sint duæ doctrinæ diversissimæ, longius, quam duo disparata illa, ferrum & lignum, à se invicem remotæ, tutius ab hac locutione abstinemus. Non quidem fugit nos, legis fidei mentionem in scriptis Paulinis fieri, sed stylo Hebræis usitato per vocem legis doctrinam Apostolus intelligit, prout apud Hebræos vox תּוֹרָה & doctrinam & legem significat. Pontificios autem per Evangelium legem propriè dictam intelligere, notius est, quam ut filo prolixiore probandum sit impræsentiarum.

§. 2. Quare cum in superioribus de discrimine utriusque doctrinæ pluribus actū fuerit, crambem eandem recoquere nolentes usum aphorismi hujus in didacticis, quod faciat ad meliorem legis & Evangelii cognitionem, & utriusque in theoria differentiam; in polemicis, quod adversus Pontificios nobis prosit, exertis digitis monstramus.

APHORISMUS IX.

Juramenta per Evangelia præstita cum grano salis sunt accipienda.

SCHOLION. 309.

§. 1.

NOta est clausula juramentis ex Papatu ad nos translatis annexa, (quæ observantur adhuc in Ecclesiis cathedralibus reformatis, & ritus inde promanans etiam in Consistoriis & aliis Evangelicorum col-

Digitized by Google

collegiis, ut nimirum ad initium Evangelii Johannis apponantur duo digiti,) ſic me Deus adjuvet per ſancta Evangelia: vel, ſic me ſervent ſancta Evangelia. Quia nimirum Evangelii voce quatuor Evangeliſtarum ſcripta intelligunt, vel initia quatuor horum librorum formulæ juramenti ſubjungunt, vel, cum Johannes Theologus, qui præ cæteris Evangeliſtis Chriſti deitatem aſſeruit, inter hoſce quatuor præcipuus haberur, ad initium Evangelii Johannis duos digitos apponi volunt. Verum cum dicti libri & legalia & Evangelica in ſe contineant, magis probatur illa clauſula juramentis annecti ſolita: Sic me Deus adjuvet per Jeſum Chriſtum, Filium ſuum dilectum, vel, ſic me Deus adjuvet per ſanctum Evangelium ſuum, quod eſt doctrina de Chriſto Salvatore, vel de gratuita peccatorum remiſſione per & propter Chriſtum. *Nec enim in alio ſalus eſt, nec aliud nomen hominibus ſub cœlo datum eſt, in quo nos oporteat ſalvari, quam nomen Jeſu Chriſti, Act. 4. v. 12.*

§. 2. Uſus aphoriſmi hujus in didacticis eſſe poteſt, ut non tantum de propria ſignificatione vocis Evangelii ſimus certi, ſed etiam verum ſenſum clauſulæ juramentis annexæ teneamus.

§. 3. In polemicis adverſus Pontificios uſus aphoriſmi hujus eſſe poteſt.

APHORISMUS X.

Paulus proprium quoddam Evangelium non ſcripſit.

SCHOLIUM.

§. 1.

CUm Paulus dicit *Rom. 2. v. 13. Judicabit Dominus ſecundum Evangelium meum*, colligere quis poſſet, Paulum etiam peculiarem hiſtoriam Evangelicam à reliquis 4. diſtinctam ſcripſiſſe. Sunt, qui per hoc Evangelium Paulinum intelligunt Evangelium Lucæ, qui comes fuerit itinerum Pauli, & ab ipſo materiam contentam acceperit. Sed rectius Evangelium, quod Paulus inter gentiles docuit, doctrinam ſc. de Chriſto, cujus reſpectu quatuor Evangelia ſunt unum, nos hic intelligimus: Conſonantiam nimirum & nucleum doctrinæ ſuæ, *quod nihil ſciverit, niſi Jeſum crucifixum*, 1. *Cor.* 2. *v.* 2. & *quod pro rejectamentis omnia*, ſi conferantur ad excellentiam cognitionis hujus, *habuerit*, hac loquendi formula ſignificare voluit. 310.

§. 2. Uſus aphoriſmi hujus in didacticis πληροφορίαι & certitudo fidei noſtræ circa perfectionem Scripturæ S. eſſe poteſt.

§. 3. In polemicis adverſus eos Pontificios, qui libros quosdam Paulinos, ad arguendam imperfectionis Scripturam, amiſſos objiciunt, uſus aphoriſmi hujus eſſe poteſt.

APHORISMUS XI.

Evangelii promiſſiones ſunt univerſales.

SCHOLIUM.

§. 1.

CAlviniani, prout conſignatū reliquerunt, qui de conſolandis ægrotis (ut Joh. Spinæus Gallus, in linguā tamen Germanicam translatus) ſcripſerunt, licet dicta ſcripturæ claſſica de Chriſti redemtione, de juſtificatione per fidē, excluſis operū meritis, moribundis proponant, propter particularitatē tamē nulla fieri poteſt applicatio. Si enim ægrotus hypotheſiū Calvinianarū gnarus opponat, ſibi quidem de dictis hiſce optimè conſtare, ſed tamen didiciſſe,

per

per absolutum aliquod decretum divinum ad pauciſſimos pertinere, fluctuare ſe, an promiſſiones gratiæ ſibi emolumento ſint futuræ; Conſolator ejusmodi parum proficiet, niſi fidem ægroti, velut in ollam ſortilegam manum, in objectum incertum ferri juſſerit. Firmiori fide noſtra fundamento nititur, quippe quæ ſub univerſalibus promiſſionibus indubitanter ſubſumit, ſibique Chriſtum redemtorem Catholicum eum ſuis beneficiis applicat. Hac ratione credens cum Paulo dicere poteſt *Gal. 2. v. 10. Filius Dei dilexit me & tradidit ſemetipſum pro me. Chriſtus in me ſuam miſericordiam & clementiam ſpectandam exhibuit* 1. *Tim.* 1. *v.* 16. Promiſſiones autem Evangelicas univerſales eſſe, uno vel altero probabimus exemplo. Promiſſio Abrahæ & ipſius poſteris facta communis eſt omnibus familiis terræ: *In te & in ſemine tuo benedicentur omnes familiæ terræ, Gen.* 12. *v.* 3. *c.* 18. *v.* 18. *c.* 22. *v.* 18. *c.* 26. *v.* 4. *c.* 28. *v.* 14. *In Chriſtum conjecta dicuntur omnium hominum peccata, Eſ.* 53. *v.* 9. *Agnus Dei portaſſe dicitur peccata mundi Joh.* 1. *v.* 29. *Propitiatio dicitur, non pro noſtris tantum, ſed pro totius mundi peccatis* 1. *Joh.* 2. *v.* 2. *Chriſtus promittit, ſe crucifixum omnes ad ſe pertractarum Joh.* 12. *v.* 32. *Se veniſſe, ut ſalvum faceret, quod perierat Matth.* 18. *v.* 11. *Se veniſſe, ut animam ſuam daret pretium redemtionis pro multis*, non pro paucis ex abſoluto decreto ad vitam æternam electis, *Matth.* 20. *v.* 28. *Multi enim vocati & pauci electi* ſibimet opponuntur, *Matth.* 22. *v.* 14. *In* 1 *Tim.* 2. *v.* 6. dicitur ſemetipſum dediſſe ἀντίλυτρον i. e. *pretium redemtionis vicarium pro omnibus.* Neve quis de ſufficientia potentiali, vel hypothetica excipiat, potuiſſe Chriſti meritum eſſe ſufficiens pro omnibus hominibus, ſi Deus voluiſſet, adjicienda ſunt loca, quæ de voluntate Dei univerſali agunt, ut *Joh.* 3. *v.* 16. *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam.* 1. *Tim.* 2. *v.* 4. *Deus vult omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis pervenire.* 2. *Petr.* 3. *v.* 9. *Deus non vult ullos perire, ſed ut pœnitentiam agant omnes.*

§. 2. Uſus aphoriſmi hujus in tentationibus circa particularitatem, præſertim in ultimo cum Satana conflictu, eſſe poteſt.

§. 3. In Polemicis adverſus Calvinianos abſolutarios, ſive Supralapſarii, ſive Sublapſarii ſint, uſus ejusdem eſſe poteſt.

APHORISMUS XII.

Summa Chriſtianorum ars eſt legem ignorare.

SCHOLIUM.

§. 1.

PErſuaſum ſibi aliquis habere poſſet, hoc dictum *Lutheri* Antinomis legem ex Eccleſia in Curiam, quin & patibulum relegantibus favere, ſed tandem abeſt, ut Theander iſtis Schiſmaticis patrocinetur, ut etiam vivus adhuc Johannem Agricolam Islebienſem acriter confutaverit. In certo vero caſu, quando nimirum conſcientia noſtra fulminibus legis propter peccata terretur, aphoriſmus hic locum habet: Tunc enim homo legem poſtponere, inque Chriſtum tantum πλήρωμα τοῦ νόμου i. e. perfectionem legis reſpicere debet, ac ſi neſciret, eſſe legem. *Juſto enim lex poſita non eſt*, ſc. ratione maledictionis & condemnationis, 1. *Tim.* 1. *v.* 9.

311.

§. 2. Uſus aphoriſmi hujus rurſus in tenta-

tentationibus, cum lex in cordibus noſtris fulgurare incipit, eſſe poteſt.

§. 3. In Polemicis adverſus Legiſtas Pontificios, Evangelium in legem transformantes; & Socinianos conciones tantum legales primarium Scripturæ ſcopum venditantes, uſus eſſe poteſt.

Locus XII.

De

POENITENTIA.

§. 1.

312. POſtquam hominem in ſtatu integritatis & corruptionis vidimus, & media reſtitutionis propoſuimus, jam ad ipſam reſtitutionem, vel reparationem, acceſſum faciemus. Quod naufragis eſt portus, lapſis eſt pœnitentia. *Reſipiſcite & credite Evangelio*, prima Salvatoris erat concio, poſtquam officium ſuum Prophetricum immediatum in hiſce terris aggreſſus erat, *Marci* 1. *v.* 15. *Sic, antequam in cœlum aſcenderet, pœnitentiam & remiſſionem peccatorum in omnes gentes prædicare juſſit, Lucæ* 24. *v.* 47.

§. 2. Vox pœnitentiæ Pontificiis, ad ſatisfactiones ſuas reſpectum habentibus, à pœna dicitur, quod homo propter peccata ſua fiat Heautontimorumenus, deque ſeipſo pœnam ſumat. Rectius autem à pone tenendo, quod cogitationes hominis in ſemetipſum deſcendentis poſteriores ſint meliores, derivatur. Et hac ipſa deductione propius ad Græcum μετανόια, quod eſt à μετὰ & νοῦς quaſi poſterior mens, acceditur. Habent & Græci vocabulum μεταμέλεια, quod à priori τῆς μετανοίας nonnulli differre volunt in hoc, ac ſi μετάνοια pœnitentiam ſalutarem, μεταμέλεια exitioſam, qualis fuit Judæ, denoter. Sed, licet vocabulum prius utplurimum in bonam, poſterius μεταμελείας in malam ſumatur, aſſertio tamen non eſt ἀνένστατος, cum in bonam de Filio frugi, qui prius ad mandatum Parentis in vineam abire, ut ibidem operaretur, nolebat, ſed tamen μεταμεληθεὶς, i. e. pœnitentia ductus abiit, *Matth.* 21. *v.* 29. ſumatur. Calvinianis vocabulum reſipiſcentiæ forſan propter abuſum vocis pœnitentiæ apud Pontificios, vel quod contritionem pro parte pœnitentiæ non habeant, uſu tritius eſt & frequentius. Hebræis pœnitentia vel potius converſio ad Deum תְּשׁוּבָה à radice שׁוּב i. e. converſus eſt, litera ת ab initio & ה à fine appoſita, deſcendit.

§. 3. Vocabulum pœnitentiæ vel ἐλικῶς pro tota pœnitentia, contritione ac fide conſtante, vel μερικῶς, pro contritione, pœnitentiæ parte, ſumitur: Et in hac ſignificatione poſteriore, quando vel fidei, vel remiſſioni peccatorum contradiſtinguitur, (ut *Marci* 1. *v.* 15. *Pœnitentiam agite, & credite Evangelio, vel Luc.* 24, 47. 313. cum Chriſtus pœnitentiam & remiſſionem

nem peccatorum annunciare jussit) accipitur. Non enim per contritionem, quæ degenerare potest in desperationem, sed per fidem remissionem peccatorum consequimur. Interim, nisi remissionis peccatorum indigentiam agnoscamus, id quod operatur contritio, de fide non erimus admodum soliciti.

§. 4. Definitur pœnitentia, quod sit hominis peccatoris ad Deum conversio, qua propter admissa peccata contristatur & doler, Christi meritum fide apprehendit, vitamque emendare setio sibi proponit.

§. 5. Generis loco pœnitentiæ assignatur conversio, quæ totam ex statu iræ in statum gratiæ translationem significat & pœnitentiæ voce aliquantulum latius patet. Differentiæ loco pœnitentiæ partes contritio propter peccata commissa, fides in Christum & vitam emendandi propositum, in definitione adducuntur.

§. 6. Notandum h. l. quosdam Theologos torum per *διχοτομίαν* dividentes duas pœnitentiæ partes cum Augustana Confessione facere, contritionem & fidem: quosdam per *τειχοτομίαν* dividentes contritioni & fidei propositum emendandi vitam adjungere. Divisionem hanc posteriorem amplectentes inter propositum emendandi vitam, & inter emendationem ipsam, quæ differant, ut decretum & executio, ut immanens & emanans, distinguunt. Priori, non posteriori locum inter partes pœnitentiæ concedunt, cum bona opera tanquam fructus pœnitentiæ non immerito ab ipsa pœnitentia distinguantur. Qui *διχοτομίαν* cum *τειχοτομία* conciliare student, inter partes essentiales & integrales discrimen faciunt, contritionem & fidem partibus essentialibus, propositum novæ obedientiæ integralibus accensentes. Alii propositum hoc non pœnitentiæ, sed conversionis, quæ latius patet pœnitentia, partem constituunt. Contritionis terminus metaphoricus est, à rebus durioribus, sed contusis metaphora desumta: prout corda nostra cum lapidibus *Ezech. 36. v. 26.* Lex arguens peccata cum malleo conterente petras, *Jer. 23. v. 29.* comparatur. Ipse terminus contritionis Biblicus est, cum v. g. Rex Ezechias in agone, si causas morbi naturales spectamus, constitutus ingemiscit, *Es. 38. v. 13. Quasi leo contrivit omnia ossa mea.*

§. 7. Contritio definitur, quod sit verus pavor & terror conscientiæ, sentientis iram Dei adversus peccata, dolentis propter peccata commissa, Deum offensum & pœnas promeritas. Dolor iste oritur ex lege, quando sc. vitam nostram ad normam legis examinamus & nos totum inversum Decalogum deprehendimus. Quia vero lex fulmen maledictionis in transgressores vibrat, & pœnas 314.
cum temporales, tum æternas iisdem annunciat, secundum istud ad *Gal. 3. v. 10. Maledictus omnis, qui non permanserit in omnibus verbis legis*: fieri aliter non potest, quam ut pavor & terror conscientiæ sequatur. Si quis vero examine hoc neglecto, certis signis cum suo signato non correspondentibus fingit pœnitentiam, malè in scripturis audit. Tales hypocritæ in populo Dei plures erant, qui scissione vestimentorum, cilicio, sacco, cinerum adspersione, jejunio &c. simulabant pœnitentiam, sed cor ipsorum procul erat: quos etiam reprehendit divina Majestas *Joelis 2. v. 13. Scindite corda vestra & non vestimenta.*

§. 8. Est

§. 8. Est autem contritio vel stantium, vel lapsorum. Illa fidem sequitur, & peccatorum reliquias concernit, quando v. g. renatus aliquis propter concupiscentiæ motus, quos in se sentit, dolet: hæc fidem antecedit, & est eorum, qui peccata contra conscientiam patrarunt, aut adhuc sunt irregeniti. Prior, cum sit justificatorum, in censum bonorum operum venire potest, secundum istud Augustini: Bona opera non præcedunt justificandum, sed sequuntur justificatum: nec non aliud: Placente persona, demum placet opus. Jam vero *sine fide impossibile est placere Deo*, *Hebr.* 11. *v.* 6. Posterior bonis operibus propter adductas jam rationes accenseri nequit. Etiamsi autem proficiscatur à Spiritu S. propter peccata mundum arguente, non tamen cor peccatoris pœnitere incipientis inhabitante (quod fit per fidem) sed assistente ac per malleum legis pulsante, prout Filius Dei *Apocal.* 3. *v.* 20. inquit: *Ecce, ego sto ad ostium & pulso: Si quis aperuerit mihi januam, intrabo ad eum & cœnabo cum eo & ipse mecum.* Addo, quod Spiritus S. arguens mundum de peccato faciat opus alienum, ut tanquam Paracletus facere possit proprium.

§. 9. Consideratur etiam contritio vel ut dolor secundum mundum, vel ut dolor secundum Deum. Illa tantùm propter admissa peccata contristatur & dolet, sæpiusque in desperationem degenerat, ut erat contritio Judæ: hæc fidem habens subsequam salutaris est, ut Petri. De hac distinctione Apostolus 2. *Cor.* 7. *v.* 9. & 10. *Nunc gaudeo, non quod contristati fueritis, sed quod contristati sitis ad pœnitentiam. Nam contristati estis secundum Deum, sic, ut nulla in re detrimento sitis affecti per nos. Nã dolor secundum Deum pœnitentiam* (ἀμεταμέλητος sumtam) *ad salutem non pœnitendam parit:* Contra mundi dolor mortẽ adfert. Dolor, qui est in contritione, suos habet gradus, in aliis major, in aliis minor existens. Nec enim est 315. meritorius, ceu volunt Pontificii, sed eo nos adigit, ut indigentiam remissionis peccatorum agnoscamus. Christus, qui vim legis & iram Dei ardentissimam adversus peccata sensit, nostro loco fuit contritus *Esa.* 53. *v.* 5. *Contritus est propter peccata nostra*: & *v.* 10. *Dominus voluit eum conterere. Tristis facta est ipsius anima usq; ad mortem*, *Matth.* 26. *v.* 38. in summo isto angore calicem à Patre sibi porrectum deprecatur, non simpliciter, sed conditionate, si fieri possit, ut alio modo genus humanum redimatur *v.* 39. semper tamen voluntatem suam voluntati Patris subordinando: *v.* 42. *Veruntamen non mea, sed tua voluntas fiat! sudorem etiam sanguineum emittit Luca* 22. *v.* 44. & *ab Angelo solatium accipit v.* 43. Notandũ etiam contritionem nostram, ut Lutherus in articulis Smalcaldicis parte articulorum tertia, art. 3. inquit, non esse activam, sed passivam. Qua stante assertione, boni operis, multo magis adhuc meriti opinio contritioni detrahitur. Verba Lutheri citato loco sic habent: *Hic malleus est, ut Jeremias inquit c.* 23. *Verbum meum quasi malleus conterens petras. Hac non est activa contritio, seu factitia & accersita, sed passiva contritio, conscientiæ cruciatus, vera cordis passio & sensus mortis.*

§. 10. Opus præterea Dei ab accidentario effectu, quem Satanas & caro nostra iugerunt, est disterminandum. Contritio in se quidem est opus Spiritus Sancti, nec peccatum, per accidens tamen ratio-

ne nativæ corruptionis noſtræ eſt fremitus adverſus Deum, via eſt ad deſperationem. Sicut timor ſervilis in ſe non eſt malus, licet ſit hominum malorum: Ita contritio in ſe non eſt mala, ſed hominum malorum. Veruntamen, licet fuga Dei & fremitus adverſus eum non ſit eſſentialis contritioni, ſed per accidens ſuperveniat, intrinſece tamen ineſt ſubjecto contritionis, homini ſc. peccatori. Uno verbo: Extrinſeca eſt ratione formæ, intrinſeca ratione ſubjecti. Contritionis & deſperationis confinium per fidem eſt diſterminandum. Hanc Taulerus Monachus Dominicanus, qui Coloniæ ante 300. præter propter annos Concionator egregius floruit, pœnitentiæ ſaccharum vocat, quod ſc. dolores ex agnitione peccati orti, conſolationibus Evangelicis fide apprehenſis edulcentur.

§. 11. Cum itaque contritio anteceſſit, (nec enim cauſæ, ſed anteceſſus ratione prærequiritur, niſi quis cauſam fidei, ſine qua non, ut remotio putis eſt cauſa ſine qua non curari poteſt vulnus, nominare vellet) ſequitur fides altera pœnitentiæ pars, imò nucleus & anima quaſi veræ pœnitentiæ. Hanc licet Pontificii
316. & Calviniani ſuas ſequentes hypotheſes ex numero partium pœnitentiæ conentur expungere, partem tamen & quidem præcipuam eſſe probamus 1. ex eo, quod per pœnitentiam remiſſionem peccatorum conſequamur. Sed illam nec per contritionem, nec per aliud medium ex noſtra parte, quam per fidem conſequimur. Dico ex noſtra parte: Quia ex Dei parte non tantum applicationis media, verbum & Sacramenta, ſed & acquiſitionis, Chriſti ſc. obedientia tam activa, quam paſſiva, dantur, quibus juſtitiam & ſalutem conſequimur. 2. Fides inter pœnitentiam ſalutarem, cujusmodi fuit Petri, & exitioſam, cujusmodi fuit Judæ, diſterminat. 3. Quod ſine fide impoſſibile ſit placere Deo, cum tamen pœnitentia ſit ſacrificium Deo placens, *Pſ.* 51. *v.* 19. 4. Quod per pœnitentiam homo peccator erigi debeat. Sed per legem, unde contritio ſuum ortum habet, homo non erigitur, verum proſternitur. Quæ ratio eſt, quod non legis duntaxat, ſed etiam Evangelii doctrina circa converſionem hominis peccatoris occupetur. 5. Quod pœnitentia & fides promiſcue ſumantur. E. g. Quando Auditores Petri quærunt de ſalutis remedio *Act.* 2. *v.* 37. Petrus reſpondet: *Pœnitentiam agite.* Quando cuſtos carceris de ſalutis remedio quærit, *Act.* 16. *v.* 31. Paulus reſpondet: *Crede in Chriſtum.* 6. Quod exempla pœnitentium id doceant, v. g. mulieris peccatricis *Luca* 7. *v.* 38. quæ dolorem ex commiſſis peccatis ſubortum lachrymis teſtatam faciebat, & tamen Chriſtus fidei ſalutem ipſius adſcribit, cum inquit: *Fides tua ſalvam te fecit. Vade in pace.*

§. 12. Definitur fides, quod ſit fiducialis apprehenſio miſericordiæ divinæ, qua per & propter Chriſti meritum gratis, ſine ullo noſtro merito, peccata nobis remitti, firmiter credimus. Cum per fiducialem meriti Chriſti apprehenſionem fidem definimus, notitiam & aſſenſum non excludimus, ſed præſupponimus. Niſi enim nobis conſtaret, quid Chriſtus vice ac bono noſtro fecerit ac paſſus fuerit, & huic notitiæ aſſentiremur, nec nobis id applicare poſſemus. Ignoti nulla cupido. Hinc & ſcriptura συνεκδοχικῶς à notitia vel cognitione Chriſti deſcribitur, ut *Eſ.* 53. *v.* 11. *Cognitione ſui*

ſervum

servus meus justus justificabit multos. Zacharias *Johannem ante faciem Domini præcessurum* dicit, *ad dandam scientiam salutis plebi ejus, quæ est in remissione peccatorum, per viscera misericordiæ Dei nostri, quibus visitavit nos oriens ex alto, Lucæ* 1. *v.* 77. Imò, quod Medicis in ore natat dictetium, Ἰατρὸς ἄριστα γνοὺς ἄριστα διαγνώσεται i. e. *Medicus optimam notitiam* (morborum & remediorum,) *habens, optimè curat ægrotos*; paucis mutatis nostrum hic facere possumus, χριστιανὸς
317. ἄριστα γνοὺς, ἄριστα πιστεύει i. e. *Christianus optimam notitiam rerum Theologicarum habens, optimè credit.* Præsertim in tentationibus spiritualibus, cum fortis ille armatus fidei columnas subruere conatur, plenior & certior cognitio rerum ad salutem nostram pertinentium requiritur. Id quod propter Pontificios, fidem per ignorantiam potius, quàm per notitiam describentes, & Laicos, (quibus ex manibus codicem Biblicum excutiunt, & lingua peregrina in cultu sactorū fascinant,) ad fidem implicitam & carbonariam remittentes, hic notandum.

§. 13. Forma fiducialis apprehensionis consistit ἐν τῷ λαμβάνειν i. e. accipiendo & applicando, quando sc. id, quod pluribus, vel omnibus partum est, nostrum facimus, ita, ut cum Paulo dicere possimus, *Gal.* 2, *v.* 20. *Filius Dei dilexit me & tradidit semetipsum pro me.* Item 1. *Tim.* 1. *v.* 16. *In me Jesus Christus omnem misericordiam suam exhibuit ad exemplum eorum, qui crediturisunt.* Λαβὼν hanc innuit Johannes *cap.* 1. *v.* 12. *Quotquot receperunt eum, dedit eis potestatem, filios Dei fieri sc. his, qui credunt in nomen ejus.* Non autem putandum, apprehensionis hunc actum in se tam dignum esse, ut propterea peccatorum remissionem consequamur, sed hoc habet ab objecto, quod apprehendit, Christi merito. Est enim fides nostra interdum nimis languida, linum potius fumigans, quàm lux ardens; arundo potius quassata quam firma columna, & ramen nihilominus justificat, quàm fides firma: quia non ipsa in se considerata, sed objectum, quod apprehendit, justificat: Annulum & gigas, & puer apprehendunt, sed licet ille fortius, hic imbecillius, unum tamen objectum apprehendunt. Quando verò *fides Rom.* 4. *v.* 5. *ad justificationem imputari* dicitur, concretivè sumitur, quatenus sc. cum objecto, quod apprehendit, Christi sc. merito concrescit. Objecti hujus nomine obedientia CHRISTI tam activa, quam passiva intelligitur. Nec enim essentiali justitia Filii Dei habitantis in nobis, ut circa medium seculi superioris Andreas Osiander, in Monte Regio Prutenico tum temporis Professor sibi persuasum habuit, sed meritoria, quæ fuit agendo & patiendo acquisita; nec hac partiali duntaxat, obedientia passiva, ut Georgius Parsimonius, vel Karge dictus, Pastor Onoldinus circa 70. seculi superioris annum, circa convergia seculi superioris & currentis ex Reformatis Johannes Piscator, Professor Gymnasii Herbornensis, nostra tempestate Wendelinus scholæ Servestanæ Rector senserunt; sed activa simul justificamur.

§. 14. Hoc meritum cum gratia in de- 318.
finitione fidei conjunximus, ut fecit Apostolus Paulus *Rom.* 3. *v.* 24. *Justificamur gratis per gratiam, per redemptionem, quæ facta fuit per Christum Jesum.* Non itaque particula gratis merito Christi ceu volunt Socinian, sed operum nostrorum

meritis opponitur. Cum firmiter hoc credendum diximus, fidem in idea definivimus, quia fides infirma non secus, quam firma, ut diximus, justificat & salvat. Imò etiam desiderium fidei, vel τὸ velle credere, ut declaratio Formulæ Concordiæ inquit, justificat. Est enim jam initium fidei à Deo, qui dat velle & posse, *Phil. c. 2. v. 13.* accensæ. Interim cum discipulis Domini orandum: *Domine, adauge nobis fidem. Luc. 17. v. 5.* Et cum Patre Lunatici: *Credo, Domine, succurre incredulitati meæ* i. e. fidei tam parvæ, ac si esset nulla, *Marci 9. v. 24.* Interim si firma non semper sit fides, vera tamen esse debet, quæ non aberret ab objecto suo, Christi merito. Propositum corrigendi vitam vel contritionem sequitur, (ut in Theologia Pontificiorum,) vel fidem. Prius, antequam fides accedat, in censum bonorum operum non venit, multò minus aliquid meretur sive ex congruo, sive ex condigno: posterius autem quod fidem sequitur, bonis operibus accenseri potest.

§. 15. Pontificii partes pœnitentiæ tres faciunt, contritionem cordis, confessionem oris & satisfactionem operis, omissa fide, quæ cœcus ipsis est assensus Ecclesiæ Romano-Catholicæ dogmatibus præbitus. Partes hasce in pœnitentiam Judæ quadrate, non facilè quis ibit inficias. Habuit is contritionem cordis, quando propterea doluit, quod sanguinem innocentem tradiderit: habuit confessionem oris, quando dicit, se malè feciisse prodendo sanguinem innocentem: habuit satisfactionem operis, quando propter hoc factum laqueo in semetipsum animadvertit. Videtur hæc divisio promanasse inde, quod cum corde, ore ac opere peccemus, Patres quidam tres renovationis partes, contritionem (quam nos stantium vocamus) cordis, confessionem oris & satisfactionem vel benefactionē operis fecerint, quæ temporis progressu, doctrinæ puritate magis magisq; vergente, in partes pœnitentiæ fuerunt commutatæ. Contritionem, quia meritoriam ex congruo faciunt & dispositionibus ad justitiam accensent, ab attritione, quam levem contritionem esse volunt ex metu pœnæ subortam, distinguunt. Attritionem autem virtute clavium, quando sc. intervenit absolutio, contritionem fieri posse, censent. Contritionem ipsam in appretiativè i. e. æstimativè talem (termino ex vulgata Latina vetere, *Zach. c. 11. v. 13.* tanti appretiatus sum, desumto,) & intensivè talem distinguunt. Appretiativè talem definiunt, quando voluntas pluris æstimat detestationem alicujus mali, quam boni cujuscunque finiti consecutionem, aut alterius mali evitationem. Intensivè talem, quando etiam summo conatu & studio aliquis propter peccata dolet. Sed quia hæc omnia ex falsis hypothesibus profluunt, recto talo subsistere non possunt. Tantum enim abest, ut contritio sit meritoria, ut ne quidem bonis operibus, si fidem antecedat, annumerari queat. 319.

§. 16. Prærequiritur autem contritio ratione antecessus, ut peccata nostra ex lege agnoscamus, propterea doleamus & indigentiam remissionis peccatorum inde colligamus. In confessione oris specialem enumerationem omnium & singulorum peccatorum secundum circumstantias exigunt, hoc nexo laqueo, quod peccatorum in confessione non expressorum nulla sit remissio. Quantumvis autem enumerationem peccatorum tantum mortalium necessariam velint, (propterea quod peculiaria pro peccatis venialibus præ-

Digitized by Google

præscribant remedia:) consultum tamen ducunt, etiam horum facere mentionem, ne mortalia pro venialibus habeantur. Irrepsit hæc conscientiarum carnificina ex publica peccatorum pœnitentium, qui delictis suis enormibus offenderant Ecclesiam, antequam reciperentur in communionem, exomologesi, & in *Concilio Lateranensi* magno circa Χρισοχοΐας annum 1215. celebrato verbis sequentibus stabilita fuit: *Omnis utriusq; sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua peccata solus confiteatur fideliter, saltem semel in anno, proprio Sacerdoti, & injunctam sibi pœnitentiam* (satisfactionem,) *studeat pro viribus adimplere, suscipiens reverenter ad minus in Pascha Eucharistiæ Sacramentum. Caveat autem Sacerdos omnino, ne verbo, vel signo, vel alio quovis modo prodat aliquatenus peccatorem, sed si prudentiorum consilio indiguerit, illud absq; ulla expressione personæ cautè requirat. Quoniam qui peccatum in pœnitentiali judicio sibi detectum præsumserit revelare, non solum à Sacerdotali officio deponendum decrevimus, verum etiam ad agendam perpetuam pœnitentiam in arctum Monasterium detrudendum.* Hactenus verba decreti. Verba posteriora de sigillo confessionis, ut vocant, quod sc. ea, quæ Confessionario concredita fuere in confessione, silentio regenda sint, agunt. Sed licet Pontificii multum de hoc sigillo glorientur, revera tamen specialis hæc enumeratio peccatorum, à Magnatibus præsertim requisita, medium est investigandi arcana regnorum & imperiorum. Unde postmodum, suppressis licet confitentium nominibus, deliberationes suas instituere, & ad scopum, quem volunt, consilia sua flectere possunt. Quem in finem Jesuitæ dicuntur habere suos libros vitæ, in quibus ejusmodi sibi concredita consignent. Videatur D. Daniel Cramerus in tractatu, de fide hæreticis servanda. 326

§. 17. In nostris Ecclesiis quibusdam, licet etiam privata confessio & absolutio propter suos usus insignes, juniorum informationem, dissolutorum correctionem, specialem remissionis peccatorum applicationem retineatur, omnium tamen, & singulorum peccatorum memoriæ succurrentium enumerationem secundum circumstantias non requirunt, sed sufficit, ut aliquis in genere se totius Decalogi transgressorem fateatur. Interim tamen urgente conscientiâ, speciale quoddam delictum detegere, sibique solatium expetere, cuivis libertum relinquitur. Ipsa specialis enumeratio peccatorum est impossibilis secundum dictum Psalmographi, *Ps. 19. v. 13. Delicta quis intelligit? Ab occultis munda me.* Lutherus: Wer kan mercken / wie offt er fehlet? Verzeihe mir die verborgene Fehle. Manasses in oratione sua peccata, quæ commisit, numerum arenæ maris excedere dicit. Unde Lutherus specialem illam enumerationem peccatorum vocat, den Sand zehlen. Lateat, quod sit tormentum conscientiarum, præsertim apud sexum teneriorem, & interdum ad libidines, ut exemplis non destituimur, incentivum. In communi[illegible] tium pœnitentiæ confessio venire nequit quia potius partium signum est & speculum, cum v. g. quis fatetur, se non tantum in peccatis esse conceptum & natum, sed etiam totius legis moralis transgressorem pœnas cum temporales, tum æternas promeritum; nihilominus erigi gratiâ Dei,

mer to

merito Christi, quod fide apprehendat, nixa &c.

§. 18. Tertia pœnitentiæ Pontificiæ pars est satisfactio pro pœnis temporalibus, vel in hac vita, vel in Purgatorio luendis. Fingunt enim remissa pœna æterna, remanere debitum luendæ pœnæ temporalis. Pro hac satisfieri dicunt operibus laboriosis, quæ reducunt ad tria capita: jejunium, orationem & eleemosynam. Ad jejunia disciplinas varias v. g. flagellationem, cilicium, humicubationem, aspersionem cinerum, peregrinationes ad limina sanctorum, ad orationem, patriloquia, vel rosaria, ad eleemosynas, donationes inter vivos & mortuos referunt. V. G. Si quis helluationibus, aut compotationibus indulsit, illi jejunia; maledicis, orationes Dominicas & salutationes Angelicas; raptoribus & avaris, eleemosynas imponunt. Quod si verò satisfactiones non impleantur in hac vita, purgatorii flammis expiandas dicunt. Sed tamen adhuc remedium ipsis suppetit, indulgentiæ sc. satisfactionum Canonica-
321. rum relaxationes, certa pecuniæ summa comparandæ, quarum fundamentum ponunt Ecclesiæ thesaurum, superfluis Christi & sanctorum meritis repletum. Verum cum sancti sibimetipsis non sufficiant, nec ausint meritis suis nixi apparere coram tribunali divinæ justitiæ, quomodo superflua sua merita communicabunt aliis? Indulgentias pias Ecclesiæ fraudes ex ipsis Pontificiis aliqui, ut Bonaventura Doctor Cherubicus & Seraphicus, agnoverunt. Inprimis autem horribilis earum abusus est, quod in annos plures futuros adhuc certo pretio venum exponantur. Satisfactiones autem lubricum fundamentum, quali pœnarum afflictiones sint pœnæ pro-

prie dictæ, præsupponunt. Sed uberiorem de dogmatibus hisce differendi materiam aphorismi forsan suppeditabunt.

§. 19. Calviniani plerique duas faciunt pœnitentiæ partes, mortificationem & vivificationem. Contritionem enim tantum προηγούμενον i. e. antecedens pœnitentiæ volunt, fidem verò (propter hypothesin de absoluto decreto,) partem pœnitentiæ negant, quia, per peccata contra conscientiam, licet sint enormissima, non posse ab electis eandem amitti, fingunt, quos tamen mortificatione carnis & vivificatione Spiritus pœnitentiam agere posse concedunt, ita, ut fides, quæ prius instar favillæ sub cineribus delituit, elucescat, seque conspiciendam iterum præbeat. Sic Davidem per fornicationem & homicidium Spiritum S. & fidem amisisse negant, quem tamen pœnitentiam egisse, concedunt. Verum quod *Quintilianus* de alia quidem subjecta materia dicit: *Nisi fundamentum probè fuerit jactum, quicquid superstruxeris corruet*, illud ipsum & h. l. nostrum facere possumus. Everso siquidem absoluto prædestinationis decreto, doctrina hæc de pœnitentia & ipsius partibus superstructa pessum ibit. Mortificationem & vivificationem renovationis, non pœnitentiæ partes agnoscimus. Quando verò Apologia Confessionis Augustanæ articulo 12. mortificationem & vivificationem pro pœnitentiæ partibus accipit, earum nomine contritionem ac fidem intelligit, prout in duabus his partibus posterioribus explicandis admodum prolixa est. Socinian vi suarum hypotheseων in nova obedientia pœnitentiam occupari statuunt. Confessionem, quæ fit coram Ecclesiæ Ministro, non quidem partem pœnitentiæ

distin-

distinctam à reliquis, sed partium junctim sumtarum signum in superioribus diximus. Hanc Calviniani (non quidem eam ob causam, quod indifferens sit ratione præcepti, licet exempla in sacris habeat, ut in quibusdam Ecclesiis Lutheranis in-
322. termittitur, sed) propter doctrinam de particularitate meriti Christi, quod nemini in individuo hoc applicare ausint, ex Ecclesiis suis eliminarunt. Confessioni respondens absolutio potestatem clavium præsupponit.

§. 20. Est autem clavis in hoc articulo vel solvens, vel ligans. Utraque fundamentum habet, *Matth. 16. v. 19. & c. 18. v. 18.* ut & *Joh. 20. v. 23.* Hæ claves vel sunt ἀνακεφαλαιωτικὴ, vel διακονικὴ i. e. vel autoritativæ, vel ministeriales. Ἀνακεφαλαιωτικὰς habet Christus, qui *solus aperit & nemo claudit : solus claudit & nemo aperit, Apoc. c. 1. v. 18.* Διακονικὰς habent Ecclesiæ ministri. Paucis: Christus, (θεάνθρωπος,) has claves habet, ut οἰκοδεσπότης; Ecclesiæ Ministri, ut οἰκονόμοι i. e. dispensatores gratiæ; Ecclesia, ut Sponsa. Clavis utraque vel est generalis, vel specialis. Generalis est communis, nec ad individua certa sese extendit, cum v. g. Ecclesiæ Ministri pro concione peccatoribus pœnitentibus gratiam; impœnitentibus iram divinam annuncient: Specialis circa individua certa, peccatis notoriis (de occultis enim non judicat Ecclesia,) alios scandalizantia, cum sacrorum communione v. g. Eucharistia & officio sponsorum in baptismo ad tempus prohibentur, occupatur. Ubi tamen gradus admonitionum (nisi peccata sint nimis atrocia, Ecclesiam prima vice insigniter scandalizantia,) sunt præmittendi, *Matth. 18. vers. 15. & seqq.* nec in casu necessitatis, instante mortis hora, qui sunt excommunicati, salutis mediis privandi.

§. 21. Excommunicatio, vel clavis ligantis exercitium, dividitur in majorem & minorem. Minor est, quando mysteriorum usu peccatoribus notoriis propter scandalum interdicitur. Abusus verò majoris est, quando Pontifices Ducem & Antesignanum suum Gregorium VII. secuti supremos Magistratus de solio suis deturbarunt, & à juramento, quod præstiterunt, subditos suos absolverunt. Has claves ad regna & Imperia mundana, quando dejectis quibusdam summis Magistratibus, Pontifices suffecerunt alios, adulterinas Lutherus vocat. Nec enim vinculum, quod non colligavit Ecclesia, (cujusmodi est inter Magistratum & subditos, inter Parentes & liberos, inter Conjuges.) solvit. Ambrosius Imperatorem Theodosium propter cædem commissam excommunicavit quidem, sed factis tantum interdixit, non Imperatoria dignitate ipsum exuit. Per sacra verò non auditum verbi, qui medium est concipiendi fidem, *Rom. 10. vers. 17.* sed usum Sacramentorum intelligimus. Quam ob causam in constitutionibus Ecclesiasticis harum ditionum certus locus excommunicatis ad templi valvas assignatur, &, ut, finita concione per ædituum extrahantur, jubetur. Quod si peccatores ejusmodi notorii & excommunicati, præsertim si videntur incorrigibiles, etiam ab honestioribus congregationibus, conviviis
323. nuptialibus, opificiis &c. arcentur, pœna est politica, quam Magistratus imponit.

APHORISMUS I.

Pœnitentia non eſt ſecunda naufragi tabula.

SCHOLIUM.

§. 1.

Dictum quidem hoc eſt *Hieronymi*, ſed in ſenſu Pontificio minus probandum. Fingunt enim Pontificii duas tabulas, quibus homo naufragus (caro de carne ac filius iræ natus,) ad æternæ ſalutis portum adnatare queat, baptiſmum & pœnitentiam. Quo ipſo fœdus baptismale per peccata irritum fieri, novoque fœdere opus eſſe ſtatuunt. Noſtra verò ſententia orthodoxa eſt, etiamſi ex noſtra parte per peccata contra conſcientiam fœdere baptiſmali excidamus, illud tamen ex Dei parte ſtare immotum, ita ut per pœnitentiam, vel partem illius potiorem, fidem, regreſſus ad idem detur. Quam ob cauſam non cum tabula naufragi, ſed cum arca Nohæ, vel nave firmiſſima, ex qua ſi exciderimus, ad eandem per pœnitentiam adnatamus, à Petro 1. *c.* 3. *v. penult.* baptiſmus comparatur. Quod ſi tamen aliquis ratione novi medii δολικῦ, verbi ſc. audibilis, pœnitentiam ſecundam naufragi tabulam vocare, ſenſumque locutionis hujus Hieronymianæ mitigare vellet, nos non habebit adverſos. Media via ſententia noſtra inter Scyllam Pontificiam, de qua jam diximus, & Charybdin Calvinianam, quæ peccatis contra conſcientiam, licet enormiſſimis, electos gratiâ Dei, ac fide poſſe excidere negat, incedit.

§. 2. Contra Pontificios ſententiam noſtram probamus 1. ex eo quod toties in Scripturis ad id, unde per peccata excidimus, reverti jubeamur, ut *Apocal.* 2. *v.* 5. *Recordare, unde excideris, & age pœnitentiam.* 2. quod fœdus pacis immobile dicatur, *Eſ.* 54. *verſ.* 10. ſc. ex parte Dei. *Montes quidem commovebuntur, & colles loco cedent, miſericordia verò mea non recedet; & fœdus pacis meæ non movebitur, dicit miſerator tuus Dominus.* 3. quod deſponſatio inter Deum & animam fidelem in æternum fieri dicatur, *Oſea* 2. *v.* 19. *Deſponſabo te mihi, dicit Dominus, in ſempiternum, in juſtitia & judicio* (ἐν δικῇ δίκης i. e. in judicio juſto,) *in miſericordiis te mihi deſponſabo.* 4. quod in- 324
credulitas noſtra fidem DEI non evacuet, 2. *Tim.* 2. *v.* 12. *Si non credimus, ille fidelis permanet, ſeipſum negare non poteſt.* 5. quod dona DEI ſint ἀμεταμέλητα i. e. quorum pœnitentia non ducatur, *Rom.* 11. *v.* 29. 6. quod ad DEUM, veluti maritum noſtrum, reverti jubeamur, *Cantici Canticorum c.* 6. *v.* 12. Sed conjuges, quando reconciliantur, non novum fœdus feriunt, ſed ad primum fœdus conjugale revertuntur. Sic Eccleſia Iſraelitica, *Oſ.* 2. *v.* 7. inquit: *Revertar ad virum meum, apud quem benè habebam.* 7. quod hac ratione conſultius eſſet, baptiſmum ad agonem usque differri, vel Clinicum baptizari. Sed ex aphoriſmo ſequenti plus lucis hic noſter accipiet.

§. 3. Uſus ipſius in didacticis eſt, ut de fine baptiſmi, quod fœdus cum Deo pangamus æternum, & quod in peccata poſt baptiſmum prolapſi, revertamur ad illud per pœnitentiam, aut fidem, certiſſimus.

§. 4. In Polemicis adverſus Pontificios, quorum ſententiam jam adduximus, uſus aphoriſmi hujus eſſe poteſt.

APHO-

APHORISMUS II.

Pœnitentia eſt exercitium Baptiſmi.

SCHOLIUM.

§. 1.

Dictum hoc eſt *Lutheri*, quod habet in Catecheſi majore ſuper locum de Baptiſmo circa finem, cum in hæc verba erumpit: *Pœnitentia nihil aliud eſt, quam Baptiſmus, aut ejus exercitium.* Poſt aliqua: *Baptiſmus ſemper ſubſiſtit, & quanquam aliquis ab eo peccatorum procellis abreptus excidat, nobis tamen ſubinde ad eum regreſſus patet, ut veterem hominem reſipiſcentiæ jugo iterum ſubjiciamus: verum ut iterum aqua perfundamur, non eſt neceſſe. Nam etſi centies in aquam mergeremur, non tamen niſi unus Baptiſmus eſt. Caterum opus & ſignificatio durat & permanet. Ita reſipiſcentia, aut pœnitentia nihil aliud eſt, quam regreſſus quidam, aut reditus ad Baptiſmum, ut illud iterum petatur & exerceatur, quod antea quidem acceptum, ſed tamen negligentia intermiſſum.* Rurſus poſt paucula: *Hoc inde quoq; evenit, quod Divus Hieronymus ſcriptum reliquit, pœnitentiam ſecundam eſſe tabulam, qua nobis ex hujus mundi pelago natandum & trajiciendum eſt, fracta jam navi, in quam tranſcendimus, in Chriſtianitatem delati. Sed hiſce verbis Baptiſmi uſum Hieronymus nobis ſuſtulit, ut nobis amplius utilis eſſe nequeat. Quamobrem nequaquam rectè docuit: nec enim navis*
325. *frangitur, quando (ut diximus,) DEI ordo, ſeu conſtitutio, non noſtrum opus eſt. Illud verò non rarò fieri ſolet, ut labentes excidamus. Jam ſi quis exciderit, ille det operam, ut iterum adnatet, huicque adhæreſcat, donec iterum in navem recipiatur, inq; ea iterum perinde verſetur, ut primum inceperat.* Hactenus Lutherus, allegoriam Hieronymianam de ſecunda naufragi tabula dilucide ſatis evolvens. Ad fœdus itaque baptiſmale, quoties per peccata gratia DEI excidimus, per pœnitentiam revertimur, & vel in mortis agone fœdere iſto nos erigimus, prout in periculo mortis conſtituti pii Veteris Teſtamenti exemplo Jonathanis & ipſius armigeri, quando cum Palæſtinis erant congreſſuri, 1. *Sam.* 14. *v.* 6. & Davidis ad monomachiam cum Goliatho ſe accingentis, 1. *Sam.* 17. *v.* 16. ex fœdere, quod in circumciſione cum DEO inierant, ſolatium capiebant. Vocatur circumciſio fœdus æternum, *Gen.* 17. *v.* 13. & baptiſmus, circumciſio ἀνερωτήματος, ſtipulatio bonæ conſcientiæ, 1. *Pet.* 3. *v.* 21.

§. 2. Uſus aphoriſmi hujus tam in didacticis, quàm polemicis, idem, qui prioris eſſe poteſt.

APHORISMUS III.

Peccata remiſſa redeunt poſt nova commiſſa.

SCHOLIUM.

§. 1.

Dictum hoc Scholaſticorum fundamentum habet in dicto, *Ezech.* c. 18. *v.* 24. *Si juſtus averſus fuerit a ſua juſtitia, & fecerit iniquitates, juſtitiæ illius non amplius memorabuntur*, & c. 18. *Matth. v.* 34. cum 10000. talentorum ſervo nequam prius fuiſſent remiſſa, nihilominus, cum ſuam adverſus conſervum immiſericordiam exercuiſſet, & Regem creditorem iterum offendiſſet, ad aſſem ſatisfacere cogitur. Hinc homo ſemel tantum juſtificari ſc. cum effectu, ſalutis conſecutione, quibusdã Theologis dicitur. Diximus pœnitentiam non eſſe ſecundam naufragi tabu-

lam, propterea, quod fœdus baptismale, quod cum DEO inimus, stet ἀκλινῶν ex Dei parte. Sed cum locis de fœdere perpetuo, de gratia DEI præ montibus & collibus stante nonnulli abutantur εἰς τὸ ναῦλον inclinantes, ac si gratia Dei, ne quidem ex nostra parte, postlimus excidere, si simus electi, licet etiam peccata nostra totius mundi peccatis præponderent, aphorismum hunc adjicere voluimus. Cum autem pœnitentia sit hominis peccatoris ad Deum conversio, per peccata utique prius
326. conversus à Deo fuit aversus, consequenter gratia Dei ex sua parte, licet electus sit, excidit, & sic reatus priorum peccatorum rediit. Germanus consueta & penè proverbiali sententia inquit: Es wird das alte mit dem neuen heimgesucht. Probatur id insuper exemplo Davidis, qui post commissum peccatum poenitentiam agens, ne Spiritus S. à se auferatur iterum & à facie Dei rejiciatur, petit *Ps.*51.*v.*13. Sic Paulus stantem posse cadere 1.*Cor.*10.*v.*13. per peccata contra conscientiam fidei naufragium facere, 1.*Tim.*1.*v.*19. per incredulitatem exscindi *Rom.*11.*v.*21. dicit.

§. 2. Usus aphorismi hujus in didacticis est, ut statum gratiæ & iræ discernere, vimq; peccatorum cognoscere discamus.

§. 3. In polemicis adversus Calvinianos Prædestinatianos, qui gratiam Dei, Spiritum Sanctum & fidem per peccata contra conscientiam, licet enormissima sint, ab electis amitti posse negant, usus esse potest.

APHORISMUS IV.

Tota Christiani hominis vita debet esse pœnitentia quotidiana.

SCHOLIUM.

§. 1.

AB hoc dicto *Lutherus* disputationem suam, quam indulgentiarum abusui anno 1517. Wittebergæ opposuit, orditur, & subjungit: Quod verbum de poenitentia Sacramentali, Confessionis & satisfactionis, quæ Sacerdotum ministerio celebratur, non potest intelligi. Ut enim non septies, sed centies, millies & amplius quotidie peccamus, imò nostris etiam bonis operibus peccatum adjacet: ita pœnitentia quotidie opus habemus. Sunt autem peccata vel regnantia, conscientiam vastantia, vel infirmitatis, ut pravæ cogitationes, quas tantopere deprecatur Apostolus, *Rom.*7.*v.*24. Per priora gratiam Dei, Spiritum S. & fidem amittimus: per posteriora statu quidem gratiæ non excidimus, nec fidem amittimus, nihilominus propter has reliquias peccatorum pœnitere, nec non peccatorum remissionem ex oratione Dominica identidem petere debemus. Posteriora hæc peccata venialia vulgò dicuntur, non quod veniam ex se mereantur, sed quod propter Christi meritum credentibus imputatum remittantur. *Nulla siquidem est condemnatio his, qui sunt in Christo Jesu, Rom.*8.*v.*1. Ex hac etiam distinctione peccatorum fluit distinctio
327. contritionis, quod alia sit stantium, alia verò lapsorum; hæc peccata contra conscientiam præsupponat, illa peccatorum reliquias concernat. Sed quia de his verborum aliquid, cum de pœnitentiæ partibus ageremus, fecimus, dicta repetendo actum hic agere nolumus.

§. 2. Usus aphorismi hujus in didacticis est, ut & peccatorum gradus, & statū gratiæ ac iræ discernere, inq; peccata prolapsi de remedio nobis prospicere discamus.

§. 3. In

§. 3. In polemicis adversus Perfectionarios, cujusmodi fuerunt etiam ex Anabaptistis, & justitiarios, qui pœnitentiâ & remissione peccatorum se non indigere censent, ut & Pontificios peccatorum extenuatores, quibus φορτικὸν ἄκυρμα videtur, quod bona nostra opera propter adhærentem imperfectionem peccata dicamus, & qui peccatorum in Confessione non expressorum nullam esse remissionem volunt, usus aphorismi hujus esse potest.

APHORISMUS V.

Vera pœnitentia nunquam est sera.

SCHOLIUM.

§. 1.

QUantumvis, ut jam dictum est, tota Christiani hominis vita esse debeat pœnitentia quotidiana, & præstet, statim post lapsum ad pœnitentiæ portum confugere, quàm eandem comperendinare, si tamen differatur, & quis circa mortis agonem demum convertatur, nec illa pœnitentia, modò vera sit, & quis propter admissa peccata seriò doleat, Christique meritum fide apprehendat, sera nimis dici potest. Quamdiu enim sumus in via, gratiæ porta patet: & exemplo potest esse Cruciarius cum Christo suspensus, qui paulò ante vitæ finem pœnitentiam agebat. Dolebat enim propter peccata sua commissa, Deum iratum, seque dignas factis suis pœnas sustinere confitebatur, veraque fide in Christum ἀναμάρτητον & Regem æternum recumbebat, Ideò à Christo absolutoria sententia penetrantissima erigitur: *Amen, amen dico tibi, Hodie mecum eris in Paradiso, Luc. 23. v. 43.*

§. 2. Usus aphorismi hujus in didacticis est, ut tempus gratiæ ac justitiæ suis limitibus discernamus, nec damnatorium calculum adversus eos, qui pœnitentiæ signa, priusquam egrederentur ex hac vita, licet prius peccatis notoriis contaminati 328.
fuissent, ediderunt, præcipitanter feramus. Hic autem exercet regnum gratiæ, quod tunc exercebit regnum justitiæ. Hic gratiæ porta patet, prout αὐτόχειρες, quod regnum gratiæ sibi decurtent, Germanis vocantur die Gnadenschänder: tunc hiatus ingens omnem reditum intercludens erit firmatus. Hic vita vel amittitur, vel tenetur.

§. 3. In Polemicis adversus Socinianos (cujus erroris Schlusselburgius etiam quosdam Calvinianos poscit,) interfectis à Carnifice, vel brevi post commissa peccata vita functis, propterea quod destituantur tempore contrahendi pietatis habitum, gratiam, peccatorum remissionem & salutem denegantes, usus aphorismi hujus esse potest.

APHORISMUS VI.

Sera pœnitentia rarò est vera. Quomodo in morte recordabitur Dei, qui non reminiscitur sui? Latet unus dies, ut observentur omnes. Qui veniam promisit, crastinum non promisit.

SCHOLIUM.

§. 1.

NE quis ad fomentum securitatis abutatur aphorismo proximè præcedente, sequentes addere voluimus. Etiamsi tempus gratiæ duret, quàm diu durat tempus vitæ, & vera pœnitentia nunquam sit sera, nequaquam tamen ad horam usque mortis hanc differre debemus, quod casu aliquo, vel etiam adventu judicis supremi, priusquam de pœnitentia cogitemus, præoccupari possimus. *Nescit homo tempus*

ſuum, ſed ut piſces ab hamo noxio, volucres à laqueo capiuntur: Sic homo, qua minimè cogitaſſet, hora ſapè per mortem ſubtrahitur, inquit *Eccleſiaſtes c. 9. v. 12.* Quorſum dubio procul reſpexit Salvator, quando *Luca 21. v. 35.* diem ſupremum cum aucupis laqueo inſidioſo comparavit. Quod de adventu ad judicium univerſali Salvator prædixit, de particulari quoque gratiæ porta poſt mortem clauſa, venit exaudiendum. Unde vigilare jubemur, quia neſcimus, quando venerit Dominus, *Luca 12. v. 40.* & auribus noſtris inſonare *πίλτυσμα* iſtud ad *Hebr. 4. v. 7.* ex *Pſ. 94.* deſumtum: *Hodie, hodie, ſi vocem ejus audiveritis, ne obturetis corda veſtra.* Qualem Dominus inveniet, talem judicabit. Nec ipſi Medici pœnitentiam
329. in lectulum emortualem differri volunt, cum vis morbi ſæpius tanta ſit, ut nec ſenſus externi, nec interni ſuum amplius officium faciant.

§. 2. Uſus aphoriſmi hujus in didacticis, ut adverſus ſecuritatem nos & alios præmuniamus, eſſe poteſt.

§. 3. In polemicis adverſus eos, qui ſpem veniæ poſt mortem extendunt, ut cum Græcis Calixtini, nec non Pontificii remedia poſt mortem præſcribentes, & ita peccatoribus frigidam ſuffundentes, (unde Lutherus Pontificios vocavit Todten-pfeiffer / quod mortuis magis quam vivis ſerviant,) uſus aphoriſmi hujus eſſe poteſt.

APHORISMUS VII.

Χιλιάκις μετανοήσας, χιλιάκις εἰσιλθε, h. e.

Millies pœnitentiam agens, millies ingredere.

SCHOLIUM.

§. 1.

Dictum hoc eſt *Chryſoſtomi*, quod Novatianis lapſis poſt baptiſmum veniã negantibus oppoſuit. Nomen habent Novatiani vel à Novato Afro, vel Novatiano Presbytero Romano, qui *σύγχρονοι* fuerunt, & in eundem errorem conſpiravarunt. Occaſionem ſumſerunt ex Chriſtianorum tempore perſecutionis Decianæ metu ſupplicionũ ad Ethniciſmum relapſu, cujusmodi erant Libellatici, Traditores, Thurificati. Libellatici pecunia ſibi libellos comparabant, ac ſi ſacrificaſſent idolis gentilũ, licet res aliter ſe haberet, & ita ſimulabant Ethniciſmum, licet adhuc eſſent Chriſtiani, nec fidem abnegaſſent. Traditores libros ſacros Chriſtianorum comburendos tradebant. Thurificati Deaſtris gentilium thure litabant. Cum vero pœnitentia ducti à Chriſtianis conſtantibus in Eccleſiam recipi peterent, Novatus & Novatianus obſtiterũt. Alio nomine Novatiani dicti fuerunt Cathari quaſi puri, labis expertes: unde Germanicum Ketzer / vel idiomate Saxonico Ketter deſcendere quibusdam videtur. Horum uni, qui dictus fuit Aceſius, Conſtantinus M. Imperator illuſit his verbis eum allocutus: Aceſi, ſume ſcalam, & ſolus in cœlum aſcende. Refutatur hic error imprimis ex *c. 18. Matth. v. 22.* cum Petrus à Salvatore quæreret, *num ſufficeret, ſi ſepties condonet in ſe peccanti?* reſpondit Chriſtus: *non ſepties, ſed ſeptuagies ſeptiesi.* e. quoties frater in te peccat; & exempli loco ſiſtit Patrem cœleſtem, qui 10000. talentorum ſervo debitori remiſit. Sic, quotis orationem Dominicam fundimus, remiſſionem peccatorum pe 330.
tere jubemur, *Matth. 6. v. 12.* Sed illam non ſemel, verum multoties (ut indeſinenter orare jubemur, *1. Theſſ. 5. v. 17.*) vel ſingulis diebus ac horis repetere debemus. *Ut ſanguis Chriſti ab omnibus peccatis nos emundat, 1. Joh. 1. v. 7. Sic omnia noſtra peccata*

peccata Deus nobis remittere dicitur, *Pſ.* 130. *v.* 3. Sic & reconciliationes per ſacrificia & mundationes Leviticas in V. T. ſæpius repetebantur. Quantumvis autem Apoſtaſia peccatum dicitur irremiſſibile, *Hebr. c.* 6. *v.* 6. inter illam tamen inchoatam & conſummatam, per impœnitentiam ſc. finalem, diſtinguendum.

§. 2. Uſus aphoriſmi hujus in didacticis eſt, ut doctrinam de gratuita peccatorum remiſſione, de gratia Dei quolibet mane nova, Chriſtique merito tam ratione peccatorum, quam peccantium univerſali, rectè teneamus.

§. 3. In polemicis adverſus dictos Novatianos uſus illius eſſe poteſt.

APHORISMUS VIII.

Pœnitentia nec cum, nec ſine abſolutione Sacramentum eſt.

SCHOLIUM.

§. 1.

NOtum eſt, quod in Papatu ſeptem ſint numero Sacramenta, ſequenti verſiculo incluſa:

Abluo, firmo, cibo, piget, ordinat, ungit & uxor.

i. e. Sacramentum Baptiſmi, Confirmationis, Euchariſtiæ, poenitentiæ, ordinationis, extremæ unctionis & matrimonii. De quo numero 7. Sacramentorum, vel 7. elementorum, materia ſc. Sacramentorum terreſtri, formula imprecandi, vel maledicendi, ut aliæ plures, apud nos adhuc ſupereſt. Quantumvis autem numerus numeratus Sacramentorum quoad totidem literas & apices in Scripturis Sacris non ſit determinatus, numerus tamen numerabilis, quod nec plura, nec pauciora ſint γνήσια, quibus requiſita Sacramenti competant, quam duo Baptiſmus & Cœna, in iſsdem continetur. Circa methodum venandi prædicata eſſentialia, Scriptores quidam Pontificii nobiſcum conſentiunt, quod ex natura eorum Sacramentorum, quæ omnium conceſſione talia ſunt, Baptiſmo & Cœna ſint eruenda. Jam in his duobus ritibus ſacris verbum inſtitutionis & promiſſionis una cum elemento externo, aqua, pane ac vino continentur. Unde regala extructa fuit: Accedat verbum ad elementum, & fit Sacramentum. 331.

Jam verò ſi regulam hanc ad poenitentiam accommodare volumus, elementum externum deeſſe deprehendimus. Nam quod χειροθεσίαν i. e. manuum impoſitionem Sacerdotalem attinet, actus potius eſt, & quidem communiſſimus, quam elementum externum, cujusmodi eſt aqua in Baptiſmo, panis & vinum in Cœna. Quando verò Confeſſionis Auguſtanæ Apologia pœnitentiam Sacramentis accenſet, in ſtrictore quidem ſignificatione vocabulum Sacramenti accipit, quam generali pro quovis ſigno ſacro, propterea quod individualem promiſſionis gratiæ applicationem poenitentia cum Sacramentis duobus Baptiſmo & Cœna communem habeat, nullatenus tamen in ſignificatione ſtrictiſſima propter elementi externi ac viſibilis defectum.

§. 2. Uſus aphoriſmi hujus in didacticis eſt, ut ritus alios & alia ſalutis media rectius à Sacramentis γνησίως talibus diſcernere diſcamus.

§. 3. In polemicis adverſus Pontificios uſus illius eſſe poteſt.

APHORISMUS IX.

Contritio, ſi ſeria eſt, tanta eſt, quantam pœnitentia requirit.

SCHO-

SCHOLIUM.

§. 1.

QUomodo Pontificii contritionem meritoriam facientes, inter atritionem & contritionem, & hanc vel appretiative, vel intensive talem distinguant, jam in superioribus diximus. Sed istis distinctionibus supersedere possent, si naturam contritionis rectius tenerent. Tantum abest, ut in censum meritorum veniat, ut ne quidem bonis operibus, si peccata contra conscientiam præsupponat & fidem antecedat, annumerari queat. Requisita meriti continentur trito versiculo:

Da tua, sed quæ non debes, proportio & adsit.

Non aliter meritum dixeris esse tuum.

Sed si tantum requisitum ultimum attendimus, cujus dolor super peccatis tantus est, ut justitiæ divinæ, cujus speculum lex moralis est, satisfacere queat. Requisita boni operis sunt, ut à persona reconciliata proficiscantur, & ex fide fluant. Unde dicimus: Placente persona, demum placet opus. Item cum Augustino: Bona opera non præcedunt justificandum, sed sequuntur justificatum. Sed contritio justificationem antecedit, nec est personæ placentis, sed adhuc in statu iræ positæ, antequam salvifica fides Christi meritum apprehendens accedat. Cum itaque scriptura conversionem ex toto corde *Joel. 2. v. 12.* requirat, & unus tamen altero plusve minusve doleat, quid hic sentiendum, aut, quis gradus hic sufficiat, quæris? Succurrit aphorismus hic salutaris, contritionem, si seria sit, tantam esse docens, quantam pœnitentia requirit. Est autem contritio seria, quæ caret hypocrisi, prout etiam vocabulum totius cordis h. l. non imperfecto, manco & mutilo, sed duplici (prout à corde duplici describuntur in sacris hypocritæ) opponitur. Signa enim cilicium, adspersio cinerum, scissio vestimentorum multoties erant falsa, signatum nullatenus referentia. Ideo divina Majestas per Prophetam *Joelem c. 2. v. 13.* subjungit: *Scindite corda vestra, & non vestimenta.* Contritio vero ratione antecessus prærequiritur ante fidem, ut miseriam nostram spiritualem & indigentiam remissionis peccatorum agnoscamus. Non facile ignoti petitur curatio morbi. Et, ubi non est agnitio culpæ, ibi non est desiderium gratiæ.

§. 2. Usus aphorismi hujus in didacticis est, ut quanta contritio esse debeat, (i. e. quod certus gradus illi præscriptus non sit) teneamus, nec, quod alio tempore major, alio minor sit, scrupulum propterea nobis injici patiamur,

§. 3. In polemicis adversus Pontificios, contritionem meritoriam facientes, usus aphorismi hujus esse potest.

APHORISMUS X.

Tunc optimè sumus dispositi, cùm pessimè videmur dispositi.

SCHOLIUM.

§. 1.

UTut prima fronte dictum hoc *Lutheri* sibimetipsi repugnare videatur, pugna tamen non vera est, sed apparens. Tunc enim pessimè videmur dispositi, cũ nullum in nobis meritum invenimus. Pontificii dispositiones ad gratiam & justitiæ habitum, quidam plures, quidam paciores, faciunt: Meritum etiam vel congrui, vel condigni fingunt. Illud est, cum facit homo, quod per naturam facere potest, & nomen exinde accepit, quod tunc

332.

con-

congruum sit, Deum ejusmodi homini dare gratiam. Meritum vero condigni,
333. quod etiam nomen ipsum innuit, est, cum inter opus & mercedem proportio aliqua intercedit, vel quod sua mercede dignum est. Contritio, ceu dicti volunt Operarii, sponte suscepta, nec in censum dispositionum, nec meritorum venit. Non dispositionum, quia nulla in nobis est ἱκανότης i. e. idoneitas vel ad gratiam, vel ad justitiam *2. Cor. 3. v. 5.* & contritio nostra potius est passiva, malleo legis excitata, quam activa, sponte suscepta. Pædagogicas quidem actiones, ut sunt audire verbum Dei, adire conciones sacras, legere scripturas, ante conversionem hominis admittimus, sed illæ non sunt dispositiones ad gratiam, sed irregenitis etiam competunt, prout *Herodes ἡδέως i. e. libenter* & cum delectatione quadam *audivit Johannem Baptistam, Marci 6. v. 20. Sergius Pro-Consul ἐπεζήτησε i. e. desiderabat audire Paulum, Act. 13. v. 7.* Nec meritorum, quia gratia non esset gratia ullo modo, nisi gratuita sit omni modo. *Gratia servamur per fidem, idque non ex nobis. Dei donum est, Eph. 2. v. 8. Quod si per gratiam, jam non operibus*, (sive justificationem antecedentibus, sive consequentibus) *quandoquidem gratia non esset gratia: sin ex operibus, jam non ex gratia, quandoquidem opus non esset opus, Rom. 11. v. 6.* Meritum condigni, quod justificatorum operibus tribuunt Pontificii, excludit in terminis Apostolus *Rom. 8. v. 18. Non sunt condignæ passiones* (quibus tamen Pontificii plus tribuunt, quam operibus,) *vitæ hujus futuræ gloriæ.* Et *2. Cor. c. 4. v. 17. Passiones nostræ momentaneæ ac leves κατεργάζονται* i. e. *operantur*, vel consequi faciunt, *αἰώνιον βάρος δόξης καὶ ὑπερβολὴν εἰς ὑπερβολήν*, i. e. *æternum & superabundans gloriæ pondus.* Ubi, quæso, proportio? Non negamus interim, unum ad gratiam magis indispositum esse, quam alterum, prout lignum humidius ad combustionem magis est indispositum, quam id, quod minus est humidum: non autem hoc magis dispositum, quam illud, quia, sicut humiditas non disponit ad combustionem, ita nec peccatum ad gratiam. Sic verba Salvatoris de juvene isto, *Marci 12. v. 34.* quem non procul à regno Dei dicit abesse, de minore indispositione veniunt intelligenda.

§. 2. Usus aphorismi hujus in didacticis est, ut totum conversionis & salutis nostræ negotium divinæ gratiæ in solidum adscribamus.

§. 3. In polemicis adversus Pontificios usus esse potest.

APHORISMUS XI. 334.

Per miserere mei tollitur ira Dei.

SCHOLIUM.

§. 1.

CUm itaque nulla in nobis resideat ἱκανότης activa *2. Cor. 3. v. 5.* ad gratiam & misericordiam Dei confugiamus, necessum est. Viam nobis præit Psalmographus regius *Ps. 51. v. 3. Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam.* Et Publicanus *Luc. 18. v. 13. Deus, esto propitius mihi peccatori.* Est autem misericordia Dei vel generalis, qua salus amissa sit reparabilis: vel specialis, merito Christi nixa. Illa gratia commiserationis, hæc complacentiæ dicitur. De illa Zacharias Pater Johannis Baptistæ *Luc. 1. v. 78.* loquitur, *cum σπλάγχνα ἐλέους*, i. e. *viscera misericordiæ vocat, quibus nos*

Digitized by Google

visitavit oriens ex alto. Ut & Salvator *Ioh. 3. v. 16. Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.* Item Apostolus *Rom. 5. v. 8. Commendat Deus charitatem suam erga nos, quod cum adhuc essemus peccatores, Christus pro nobis mortuus fuit.* De hac Apostolus *Eph. 1. v. 6. Dilexit nos in dilecto.* Posteriorem involvit Publicanus *Luca 18. v. 13. Deus ἱλάσθητι* i. e. *propter ἱλαστήριον* Christum *miserere mei.* Posteriorem hanc fide complectimur, rogantes, ut Deus propter meritum Filii sui nostri misereri & peccata condonare nobis velit. Hinc fidei objectum quibusdam gratia & misericordia Dei, quibusdam Christi meritum citra contradictionem ponitur. Ubi notetur obiter, fidem vel spectari prout est in corde, vel prout in os erumpit. Cum spectatur, ut est in corde, fiducialis apprehensio est gratia Dei, vel meriti Christi: cum posteriori modo, vel petit peccata sibi remitti, inque gratiam se recipi propter Christum, vel in objectis aliis semet exercet. Si priori modo, justitiam impetrat; si posteriori, justitiam indicat. Oratio siquidem remissionem peccatorum à Deo petens, aut misericordiam divinam invocans nihil aliud est, quam fides forinsecus prodiens & in objecto suo principali sese exercens. Cum itaque *Romanorum* 10. *v.* 10. inquit Apostolus: *Corde creditur ad justitiam, ore fit confessio ad salutem*, vel oralis illa confessio in objecto primario gratia Dei & Christi merito, vel secundariis objectis, v. g. bonis ad vitam hanc tuendam necessariis, aut avertendis calamitatibus aut beneficiis aliis occupatur. Si priori salutem, i. e. jus ad æternam salutem per eandem consequitur; si posterioribus, jus ad salutem æternam sibi collatum indicat.

§. 2. Usus aphorismi hujus in didacticis est, ut causam salutis nostræ efficientem principalem rectè agnoscamus, & conscientiæ stimulis acti, vel malleo legis contriti ad eandem, ceu salutarem portum confugiamus. 335

§. 3. In polemicis adversus Pontificios, fidem ex numero partium pœnitentiæ excludentes, & dispositiones de congruo meritorias fingentes, usus aphorismi hujus esse potest.

APHORISMUS XII.

Non variant veram plusve minusve fidem.

SCHOLIUM.

§. 1.

FIdem esse vel firmam, vel infirmam pluribus scripturæ dictis informamur. *Matth. 6. v. 30.* Salvator suos auditores & *Matth. 8. v. 26.* suos discipulos vocat ὀλιγοπίστους i. e. parvæ fidei. Cananææ vero fidem, ut firmam, commendat *Matth. 15. v. 28.* cum inquit: *O mulier, μεγάλη σου ἡ πίστις* i. e. *magna est fides tua*, prout etiam Centurionis Capernaumici fidem laudat *Matth. 8. v. 10.* in hæc erumpens verba: *Τοσαύτην πίστιν* i. e. *tantam fidem in Israel non inveni.* Interim quantum ad ipsam formam, objectum & effectum firma & infirma fides non variant. Utriusque enim forma *ἐν τῷ λαμβάνειν*, i. e. in apprehendendo consistit. Utraque circa idem objectum gratiam Dei Christi merito nixam, vel ipsum Christi meritum occupatur. Utriusque affectus est justificatio. Sic Gigas & infans unum annulum, ille quidem fortiùs, hic imbecillius, apprehendunt. Nec enim

fides

fides qualificativè, ut virtus est, nec quantitive, ut magna est, vel parva, sed relativè, ut ad objectum suum refertur, vel quatenus objectum suum apprehendit, justificat, i. e. fides non ex sua dignitate, sed objectum, Christi meritum, justificat. Hinc, quotquot justificantur, ex æquo, (non unus plus, alter minus) justificantur, quia una Christi justitia meritoria, patiendo & agendo acquisita, credentibus omnibus imputatur. Sed tamen cum discipulis Domini *Luc.* 17. *v.* 5. incrementa fidei petere debemus ingemiscentes: *Domine, adauge nobis fidem.* Et cum Patre Lunatici *Marci* 9. *v.* 24. *Credo, Domine, succurre incredulitati meæ* i. e. fidei tam parvæ, ac si nulla esset. Dicit enim se credere, petitque succursum. In voce proinde τῆς ἀπιστίας particula α non privativa, sed minutiva est. *Linum fumigans non extinguet, nec arundinem quassatam conteret Dominus, Es.* 42. *v.* 3. *Matth.* 12. *v.* 20. sed illud potius suscitabit, hanc firmabit.

336. §. 2. Usus aphorismi hujus in didacticis esse potest, ut fidei naturam rectius agnoscamus, &, cum sensum fidei nullum deprehendimus, non statim animum abjiciamus, cum & desiderium fidei jam sit ipsa fides, licet infirma. *Deus enim in nobis operatur velle & perficere Phil.* 2. *v.* 13.

§. 3. In polemicis adversus Pontificios, justificationi pro virtutibus vel intensis, vel remissis incrementa sua tribuentibus, (quibus proinde φορτικὸν ἄκυσμα videtur, aliquem eodem gradu, quo Maria θεοτόκος justum esse posse:) usus aphorismi hujus esse potest.

APHORISMUS XIII.

Confessionis sigillum non est rescindendum.

SCHOLIUM.

§. 1.

Quantumvis specialem enumerationem peccatorum, secundum circumstantias, qualem Pontificii requirunt in confessione, minus probemus, quia tamen proprer usus insignes, inter quos est conscientiæ in gravioribus delictis informatio, & nimis dolentium consolatio, confessionem privatam in Ecclesiis nostris retinemus, sigillum etiam confessionis salvum esse volumus. Quare nec ipsi Magistratui ab Ecclesiæ Ministris, ut in confessione sibi concredita revelent requirenti parendum, cum, dicente Luthero, aliud sit der Beichtstuhl/ aliud eine Marterkammer/ nec Ministris Ecclesiæ, ut hominibus, sed ipsi Christo secreta talia confessionalia credantur. Ecquis enim alias, urgente in gravioribus delictis conscientia solatium ab ejusmodi Confessionariis peteret? Interim casus quidam, futura damna publica, ut præcaveri possint, concernentes, cujusmodi esse possunt incendia futura, fontes, pascua veneno inficienda, vel infecta, cujusmodi etiam fuit conjuratio pulveraria, contra Regem Angliæ & Parlamentum suscepta, (nec tamen effectui data,) excipiuntur.

§. 2. Usus aphorismi hujus in didacticis est, ut secreta confessionalia tegamus, nec consilia desuper petentes non nisi fictis nominibus, aut signis individui vagi utamur.

§. 3. In polemicis, vel potius in praxi adversus quosdam Pontificios, qui magno publici malo sibi concredita eliminarunt, vel casus damna publica concernentes & adhuc futuros occultarunt; ut & nostros quosdam ministros rimarum plenos hac atque illac perfluentes, usus aphorismi hujus esse potest.

Digitized by Google

APHORISMUS XIV.

337. Casus reservati nota sunt Anti-Christi.

SCHOLIUM.

§. 1.

POntificii fundamento satis arenoso nixi, quod soli Petro traditæ sint claves regni cœlorum *Matth.* 16. *v.* 19. & quod Pontifex Romanus successor sit Petri, potestatem remittendi peccata soli Pontifici adscribunt, à quo derivetur in Episcopos & Presbyteros inferiores, ita tamen, ut iste cœli claviger casus quosdam sibi reserver, à quibus alii peccatores absolvere minimè possint. Verum præterquam quod Petrus tanquam os Apostolorum nomine reliquorum responderet, *Matth.* 16. (Christus enim non ex solo Petro, sed discipulis omnibus, quis sit, quærebat:) & ita reliquorum etiam nomine claves regni cœlorum acceperit; Salvator discipulis omnibus & eorum in ministerio successoribus potestatem remittendi peccata dedit *Matth.* 16. *v.* 18. cum inquit: *Amen dico vobis, quæcunque ligaveritis in terra, ligata erunt in cœlis, & quæcunque solveritis in terra, soluta erunt in cœlis.* Ita post resurrectionem suam *Joh.* 20. *v.* 22. discipulos suos afflat in hæc verba erumpens: *Accipite Spiritũ S. quorũ remiseritis peccata, remissa sunt eis, & quorũ retinueritis peccata, retenta sunt eis.* Quod vero potestas remittendi peccata non sit privilegium personale duntaxat Apostolorum, sed etiam ad ipsorum in ministerio successores pertineat, ex *c.* 24. *Luca v.* 47. cum Salvator, pœnitentiam & remissionem peccatorum prædicare jussit inter omnes populos, & quidem in extremo die judicandos, *Act.* 17. *v.* 31. & quod remissio peccatorum fructus sit resurrectionis Dominicæ in Ecclesia semper duraturus, patet. Ex eo vero conspicitur ὁ ἄνομος καὶ ἀποκείμενος ille magnus, qui sedens in templo Dei se tanquam Deum ostentat, 2. *Thess.* 2. *v.* 4.

§. 2. Usus aphorismi hujus in didacticis est, ut sciamus, omnes Ecclesiæ ministros, licet gradibus & ordine differentes, æqualem remittendi peccata potestatem habere, nec propter vilipendium ministri peccata nobis remittentis scrupulum nobis injici patiamur.

§. 3. In polemicis adversus Pontificios aphorismi hujus usus esse potest.

338.

APHORISMUS XV.

Taxa pœnitentiaria mercaturæ Papalis tessera.

SCHOLIUM.

§. 1.

TAxa Cameræ Papalis, quam sacræ pœnitentiariæ dixerunt, flagitiis omnibus, ut veniam consequantur, certum pretium præscribit. V. G. Si quis in Ecclesia cognovit mulierem & alia mala commisit, solvat 6. grossos: Presbyter, qui personas quasdam matrimonio clandestinè junxit, aut clandestinis matrimoniis interfuit, solvat 7. grossos: Pro Laico, qui res sacras de loco sacro rapuit, dentur 7. grossi: ut absolvatur, qui matrem, sororem, aut aliam consanguineam, vel affinem suam, vel commatrem carnaliter cognovit, grossi quinque: pro eo, qui virginem defloravit, 6. grossi: pro perjuro 6. grossi: pro Laico, qui Presbyterum minorem Episcopo, Monachum, vel Clericum interfecit, grossi septem, 8. vel 9. super homicidio Laicali, & quidam pro Laico 5. grossi, pro Presbytero, Decano

aut

aut Clerico, 18. vel 15. gr. Pro eo, qui Patrem, matrem, fratrem, sororem, uxorem, aut alium consanguineum Laicum interfecit, 5. aut 7. grossi: si tamen aliquis eorum esset Clericus, teneretur interfector visitare sedem Apostolicam: Pro marito, qui percussit uxorem, ut abortum faceret ante tempus, 6. grossi & sic deinceps. Videtur huc respexisse *Johannes c. 13. Apocalypseως, ubi vers.16 & 17.* dicitur, *quod bestia fecerit omnes pusillos & magnos, divites & pauperes, liberos & servos accipere characterem in manu sua dextra, vel in frontibus suis, ne quis posset emere, aut vendere, nisi qui habeat characterem, aut nomen bestiæ, aut numerum nominis ejus.* Et *Petrus 2. c. 2. v. 3.* quod Pseudo-Doctores futuri sint, per avaritiam fictitiis sermonibus de suis auditoribus negotiaturi. Nullatenus autem nummum Confessionarium hoc aphorismo perstringimus, quia pro certis peccatis non est determinatus, nec necessario exigitur, sed gratitudinis loco, & ut pars salarii tenuioris à confitentibus liberè datur.

§. 2. Usus aphorismi hujus in didacticis esse potest, quod pietas non debeat esse quæstui, nec peccatorum remissio certo pretio emi. Nihilominus, qui *prædicat Evangelium, ex Evangelio vivere debere*, cum Apostolo *1. Cor. 9. v. 14.* asserimus.

§. 3. In polemicis adversus mundinatores & criminipendas Pontificios, aphorismi hujus usus esse potest.

339. APHORISMUS XVI.

Afflictiones piorum non sunt pœnæ propriè dictæ.

SCHOLIUM.

§. 1.

CUm post remissionem peccatorum pii nihilominus variis ærumnis & afflictionibus exerceantur interdum, non tantum Doctores in Papatu, verum etiam ex nostris quidam, post remissionem peccatorum remanere debitum luendæ pœnæ temporalis, collegerunt, Pontificii certas etiam satisfactiones pro expiandis pœnis temporalibus vel in hac vita, vel in purgatorio constituerunt. Verum afflictiones istas non esse pœnas propriè dictas, sed castigationes paternas, probamus 1. ex eo, quod *Matth. 18. v. 32.* Deus totum debitum, & sic non tantum æternas, verum etiam temporales pœnas remisisse dicatur. 2. quod non à Deo irato, sed Patre placato proficiscantur, & παιδεῖαι i. e. castigationes paternæ dicantur, ut *ad Hebr. 12. v. 6. Pater filium, quem diligit, παιδεύει* i. e. *castigat.* Et *1. Cor. 11. v. 32. quando corripimur, à Domino παιδευόμεθα* i. e. *castigamur, ne cum mundo damnemur.* 3. quod meritum Christi alias argui posset imperfectionis alicujus, quasi pro pœnis omnibus non satisfeciisset. 4. quod, experientia teste, non omnibus pus sed aliquibus duntaxat immittantur. Quantumvis autem quoad materiale, quod ægrè faciant carni, cum pœnis propriè dictis afflictiones istæ conveniant, quoad formale tamen differunt, quod sc. non habeant adjunctam maledictionem, nec ab irato, sed placato Deo proficiscantur. Licet etiam propter antegressa peccata interdum immitti dicantur, non tamen propter illa expianda, sed magis agnoscenda, deploranda & imposterum vi-

Digitized By Google

tanda. Quia τὰ παθήματα μαθήματα, i. est quæ nocent, docent, & qui pavet, cavet.

§. 2. Stantibus his, insufficiens specierum enumeratio est, cum in libellis methodicis quatuor crucis species ποινὰ i. e. pœna, δοκιμασία, μαρτύριον & λύτρον ponuntur. Omittitur enim παιδεία, quæ non potest ad ullum divisionis hujus membrum reduci. Quod de castigationibus piorum diximus, de morbis & morte quoque piorum est intelligendum. Ab his enim formale, sc. maledictio in credentibus est sublatum, ita ut non sint pœna propriè dicta, sed mors piorum sit pretiosa, dulce lucrum & janua vitæ cœlestis. Quare nec satisfactionibus vel
340 sponte susceptis, vel à Sacerdote impositis opus est, licet deprecatorias, quæ propter scandalum datum fiunt Ecclesiæ, non negemus.

§. 3. Usus aphorismi hujus in didacticis est, ut doctrinam de partibus pœnitentiæ ac speciebus crucis rectius teneamus, nec crucem nobismetipsis sculpamus.

§. 4. In polemicis adversus Pontificios, & quosdam A. C. socios, aphorismi hujus usus esse potest.

APHORISMUS XVII.

Bullæ indulgentiariæ verè sunt bullæ.

SCHOLIUM.

§. 1.

ADversus satisfactiones non adimplentas remedia sunt indulgentiæ, quæ Pontificiis sunt relaxationes satisfactionum Canonicarum. Sed istæ indulgentiæ, de quibus in Canonibus, non à satisfactionibus expiatoriis, quæ DEO fieri dicuntur ad avertendas pœnas temporales, sed deprecatoriis, quæ fiebant Ecclesiæ propter datum scandalum, relaxabant. Priores pro fundamento supponunt thesaurum Ecclesiæ, in quo merita Christi & sanctorum superflua colligantur, aliis postmodum deficientibus applicanda. Licet autem κοινωνίαν i. e. communionem sanctorum non negemus, non tamen in hoc, quod unus alteri superflua sua merita communicet, sed quod habeant unum Dominum, unam fidem, unum baptisma, unum DEUM & Patrem omnium, unum Spiritum, unum corpus, eandem confiteri, Apostolus *Ephes. 4. v. 4. & seqq.* docet. Si sancti sibimetipsis non sufficiunt, *Matth. 25. vers. 9.* quomodo superflua sua merita communicabunt aliis. Non audent apparere suis meritis nixi coram tribunali divino, *Psal. 143. vers. 2.* suamque justitiam pannum menstruatæ vocant, *Esa. 64. vers. 6.* Imò qui sunt cordatiores inter Pontificios, pro piis fraudibus habent, cum pomo, quod infanti monstratur quidem, sed non porrigitur, easdem comparantes. Nos in solo Christi merito nostras indulgentias i. e. peccatorum veniam, quærimus.

§. 2. Usus aphorismi hujus in didacticis est, ut, in quibus relaxationes à peccatorum pœnis quærere debeamus, in quibus secus, nobis constet.

§. 3. In polemicis adversus Stationarios Pontificios bullarum venditores & cum auro plumbum permutantes, usus aphorismi hujus esse potest.

APHO-

341. ## APHORISMUS XVIII.

Excommunicationes debent esse medicinales, non exitiales.

SCHOLIUM.

§. 1.

EXcommunicationes suum fundamentum habent, *Matth.* 18. *v.* 15. 16. & 17. *Si peccaverit in te frater tuus, vade, & argue eum inter te & ipsum solum: Si te audiverit, lucratus es fratrem tuum. Si verò te non audiverit, adhibe tecum adhuc unum aut duos, ut in ore duorum, aut trium testium consistat omne verbum. Quod si non audiverit eos, dic Ecclesiæ: quod si non audiverit Ecclesiam, sit tibi velut Ethnicus, aut publicanus.* Et in 1. *Cor. c.* 5. *v.* 3. 4. & 5. *Ego quidem, ut absens corpore, præsens autem Spiritu, jam decrevi, tanquam præsens, ut qui sic* (ducendo novercam uxorem v. 1.) *peccavit, in nomine Domini nostri Iesu Christi, congregatis vobis & meo Spiritu, cum potestate Domini nostri Iesu Christi tradatur Satanæ ad interitum carnis, ut Spiritus salvus sit in die Domini Iesu.* Et 1. *Tim. c.* 1. *v.* 20. *Quorum in numero* (qui sc. repulsa conscientia, fidei naufragium fecerunt,) *est Hymenæus & Alexander, quos tradidi Satanæ, ut discant non maledicere.* Quibus addi potest locus ex *epistola Tit. c.* 3. *v.* 10. 11. *Hæreticum hominem post unam & alteram admonitionem devita, sciens, quod eversus sit talis, & seipso judice, damnetur.* De peccatis, quibus admonitionum & informationum gradus præmittendi sunt, locus primus & ultimus: de atrocioribus, quæ prima vice commissa, ut h. l. incestus, scandalizant Ecclesiam, secundus & tertius locus agunt. Excommunicationem etiam apud Judæos locum habuisse, docet *cap. Ioh. 9. v. 22. Adversus Iesum conspiraverant Iudæi, ut si quis eum confiteretur esse Christum, ἀποσυνάγωγος fieret*, i. e. *è Synagoga ejiceretur*: Prout cæcus à CHRISTO visui restitutus, quod eum professus fuisset, foras ejicitur, ejusdem *capitis noni v.* 34. Et *Ioh. cap. 16. vers.* 2. Salvator discipulis suis prædicit: Ἀποσυναγώγους facient vos, i. e. in Synagogis suis locum vobis non concedent.

§. 2. Est autem excommunicatio vel minor, vel major. Minor est ab absolutione, cœna Domini & officio Sponsorum in baptismo suspensio. Per majorem non intelligimus pœnam illam Politicam, qua Pontifex Romanus Imperatores quosdam dicto minus audientes de solio suo deturbavit: sed cum per Magistratum peccatoribus propemodum incorrigibilibus honestioribus congregationibus, nuptiarum solénnitatibus, opificiis &c. interdi- 342
citur. Et hæc posterior fundamentum in *cap.* 5. *ad Cor. v.* 11. habet: *Si quis, cum frater appellatur, fuerit scortator, aut avarus, aut simulacrorum cultor, aut convitiator, aut ebriosus, aut rapax, cum ejusmodi ne cibum quidem capiatis.* Nec parvi pendenda est hæc pars censuræ Ecclesiasticæ, cum sit æterni judicii præjudicium, & talis Satanæ traditus sub ira Dei maneat.

§. 3. Verum, ut aphorismus habet, non exitialis, sed medicinalis esse debet excommunicatio 1. quia talibus cum peccatoribus, quamdiu sunt in via, pœnitentiæ porta non est clausa. 2. quia Paulus incestuosum Satanæ tradendum dicit, ut Spiritus salvus sit in die Domini JESU. 3. quia recipiendum hunc excommunicatum Paulus, 2. *Cor. c.* 2. *v.* 6. & seqq. dicit: *Sufficiat istiusmodi homini correptio*

Digitized by Google

correptio hæc, quæ facta est à pluribus, adeo, ut è diverso magis condonare debeatis & consolari, ne ab immodico dolore absorbeatur hujusmodi. Quapropter, obsecro vos, efficite, ut valeat in illum charitas. Ut autem excommunicatus pœnitentiam agat, licet à sacra Synaxeωs usu & officio patrinorum sit suspensus, ab omni tamen concipiendi fidem medio, verbi sc. auditu, non est arcendus, *quia fides est ex auditu. Rom.* 10. *v.* 17. Quem in finem constitutiones Ecclesiasticæ in his terris usitatæ locum ad valvas templi, ut per auditum verbi fides in eis accendatur, excommunicatis assignant, ex quo finita concione per ædituum sint extrahendi.

§. 4. Usus aphorismi hujus in didacticis est, ut gradus peccatorum agnoscamus, à notoriis & scandalosis (de occultis enim non judicat Ecclesia,) nobis caveamus, &, si prolapsi fuerimus in talia peccata, & sacris propterea prohibiti, ut pœnitentiam agamus, &, quales erga tales peccatores nos gerere debeamus, discamus.

§. 5. In polemicis adversus Anabaptistas & furfuris hujus fanaticos, qui semel excommunicatis omnem spem reditus denegant, usus aphorismi hujus esse potest.

APHORISMUS XIX.

Lapsus majorum, sit timor minorum. Item. Multi cum Davide volunt cadere, pauci surgere.

SCHOLIUM.

343. §. 1.

CUm David Psaltes regius, vir secundum cor Domini, per cujus os Spiritus S. locutus fuit, 2. *Sam.* 23. *v.* 2. in peccata tam gravia prolapsus fuit,

Quid tabulis fiet, quando columna ruit?

Davidem autem suo lapsu gratia Dei excidisse, fidem & Spiritum S. amisisse, non tantum ex *Ps.* 51. quem confecit, postquam ad Bathsebam fuisset ingressus, sed etiam ex aliis Scripturæ locis probari potest. *Ex Ps.* 51. quia *v.* 11. cor mundum creari petit, quia *v.* 12. non vult à facie Dei abjici, quia *v.* 12. Spiritum S. à se denuo auferri deprecatur, quia *v.* 9. adspergi cupit hyssopo i. e. sanguine futuri Messiæ, ut mundetur à peccatis suis. Hyssopus enim per metonymiam materiæ pro adspergillo ex hyssopo confecto; adspergillum per metonymiam subjecti, vel continentis pro sanguine brutorum inibi contento; sanguis brutorum per metonymiam signi pro signato pro sanguine futuri Messiæ ponitur. Præterea *Joh. epistola* 1. *cap.* 3. *v.* 15. quod *nullus homicida vitam habeat in se manentem*, dicit. Sed David non unius homicidii, verum, ut Urias commodius ab hostibus interfici posset, multiplicis rei eius fuit. Jam si Vir tutus gratia Dei potuit excidere, cur non multò magis, qui μέτρον κενόδοξ, vel τῆς δωρεᾶς idem non acceperunt. Quare, qui Davidis exemplo (licet non ad imitationem, sed emendationem proponatur,) in peccatis sese munire volunt, ut etiam cum Davide veram pœnitentiam agant, & deinceps cane pejus & angue peccatum vitent, ipsius exemplo moneantur & moveantur.

§. 2. Usus aphorismi hujus in didacticis est, sanctissimos etiam gratiam Dei, Spiritum S. & fidem amittere, stante quæ cadere posse: in practicis, ut cum timore ac tremore salutem operemur, *Philipp. c.* 2. *v.* 12. in hæc præsertim Sanctorum exempla intuentes, & non aures tantum, sed & animum

animum noſtrum peretrare ſinamus dictum Salvatoris: *Si tale quid in ligno viridi fieri ſolet, in arido quid fiet.*

§. 3. In polemicis adverſus Calvinianos & Anabaptiſtas, qui prædeſtinatos gratiam Dei, Spiritum Sanctum & fidem amittere poſſe, negant, & omnia talium peccata, licet atrociſſima, venialia cenſent, uſus aphoriſmi hujus eſſe poteſt.

344

Locus XIII.

De

JUSTIFICATIONE.

§. 1.

ESt hic locus omnium fundamentaliſſimus, & ſicer Oceanus, in quem reliqui articuli fidei fluunt, & ex quo refluunt; imo ſic comparatus, ut hoc ſtante, ſtet; cadente, cadat Eccleſia. *Quos enim juſtificavit Deus, hos etiam glorificavit*, in aurea ſalutis catena, *Rom.* 8. *v.* 30. dicit Apoſtolus. Priusquam autem ad ipſam juſtificationis definitionem accedamus in evolutione nominis quadantenus occupabimur.

§. 2. Hebræis verbum הִצְדִּיק in Conjugatione Hiphil, Græcis *δικαιῶν* juſtificare denotat. Inter Latinos quidam, ut Pontificiorum decipulas commodius evitare queant, inter juſtificationem & juſtifactionem. Quaſi poſterius vocabulum ſignificatum phyſicum & moralem, de motu, qui ſucceſſive fiat, prius forenſem habeat, diſtinguunt: ſed ſi Græcum verbum *δικαιῶν*, quod in fontibus habetur, attendimus, hac diſtinctione ſupereſſedere poſſumus. Alias Græcis *δικαιοσύνη*, *δικαίωσις* & *δικαίωμα* differunt. Illud juſtitiam, iſtud juſtificationem, hoc jus Dei & jus legis, vel etiam ipſam ſatisfactionem denotat. Jus legis, quæ ſpeculum eſt juſtitiæ divinæ, *Rom.* 8. *v.* 4. ut *δικαίωμα τοῦ νόμου* i. e. *ut jus legis impleatur in nobis*: ſatisfactionem *Rom.* 5. *v.* 18. ubi per unius *δικαίωμα* juſtos multos conſtitui, dicitur.

§. 3. Ut verò palmaris controverſia circa ſignificationem vocis juſtitiæ, an forenſis, an phyſica ſit, melius innoteſcat, ſententiam Pontificiorum paucis præmittimus. Fingentes hi, quod per inhæſivam, non imputativam juſtitiam coram Deo fiamus juſti, duplicem faciunt juſtificationem, primam & ſecundam. Primam definiunt, qua ex non juſto fit juſtus, ſicut ex aqua frigida fit calida; Secundam, qua ex juſto fit juſtior, ſicut ex aqua calida calidior fieri ſolet. Hinc & per peccatorum remiſſionem peccatorum expulſionem intelligunt, & fidem in informem & formatam charitate dividunt. Per informem nudum aſſenſum dogmatibus Eccleſiæ Romano-Catholicæ præbitum, quæ cadere poteſt etiam in ſceleratiſſimos, modo ſe credere dicant, quod Romana credit Eccleſia; per forma- 345.

tam charitate, quæ bona opera si habeat juncta, intelligunt. Ipsam nimirum justificationem, vel ipsius formam ponunt in acquisito justitiæ habitu, cui dispositiones aliquas, ut fidem, spem, charitatem, contritionem, bonum propositum, patientiam &c. præmittunt: ex hoc habitu bona opera promanare volunt. Dispositionibus meritum de congruo; bonis operibus meritum de condigno adscribunt.

§. 4. Non procul à Pontificiis abeunt Juliani, qui significationem vocis hujus moralem volunt, cujusmodi nimirum in doctrina motali obtinet. Sed ibidem justitiam habitualem crebris actionibus acquirere denotat, prout ipsa virtus, consequenter & species ipsius justitia per habitum, quem dispositiones antecedunt, definitur.

§. 5. Significatum autem in hac controversia forensem esse, probamus 1. quia omnia, quæ requiruntur in judicio, actor, reus & judex, Moses, homo peccator & Deus, quibus etiam testis, conscientia propria, posset addi, præsto sunt. Sed in judicio judex, cum justum pronunciat reum, ipsi justitiam non infundit, sed justum pronunciat & declarat. 2. *ex Prov. c. 17. v. 15.* ubi *coram Deo abominatio dicitur, qui justificaverit impium & condemnaverit pium.* Ubi certe justitia non infunditur impio, si, quorum postulatur, reus nihilominus justificatur. 3. Quod non per justitiam propriam, quæ pannus est menstruatæ, *Es. 64. v. 6.* sed alienam, Christi sc. justificemur, *Rom. 5. v. 19. Per unius obedientiam justi constituuntur multi. Paulus non vult inveniri* (sc. coram tribunali divino,) *justitiam habens propriam ex lege, sed quæ est per fidem in Christum.* 4. Quod vox justificationis condemnationi opponatur, *Rom. 8. v. 34. Quis condemnabit electos? Deus hic est, qui justificat.* Aliis hic argumentis accumulandis supersedemus.

§. 6. Cum crebrior etiam justitiæ imputatæ mentio in hac controversia occurrat, tenendum, vocem imputationis esse ambiguam. Interdum enim verbum imputare idem ac arbori surculum inserere, quod Græci vocant ἐγκεντρίζειν *Rom. 11. v. 19.* interdum idem ac propter alterius justitiam aliquem justum pronunciare, λογίζεσθαι denotat, *Rom. 4. v. 6.*

§. 7. Definitur justificatio, quod sit actio Dei, qua peccatorem propter Christum fide apprehensum gratis à peccatis absolvit, eidemque justitiam Christi imputat, in laudem suam, hominisque salutem. Brevius: Est gratuita peccatorum remissio & justitiæ Christi per fidem imputatio.

§. 8. Definitio prior causalis est, in 346
qua generi adduntur causæ, efficiens principalis Deus; organica ex nostra parte fides; materia circa quam peccator; ex qua κατ' ἀναλογίαν sic dicta, materia, sc. ad justitiam imputabilis, meritum Christi, vel obedientia ejus activa & passiva, non essentialis ipsius justitia; forma peccatorum remissio & justitiæ Christi meritoriæ imputatio; finis ultimus Dei gloria; intermedius peccatoris hominis salus. Posterior definitio tantum causam justificationis formalem, peccatorum remissionem, & justitiæ Christi meritoriæ imputationem complectitur. Differunt autem hæc duo tantum ut terminus à à quo & ad quem; ut ἄφεσις καὶ θέσις. Imputata Christi justitia cedit peccati reatus, non secus ac per dealbationem pa-

rietis

Digitized by Google

rietis color alius, per induitionem veſtimenti nuditas cedit.

§. 9. Cauſæ juſtificationis in libellis methodicis tres vulgo conſtituuntur, gratia Dei, meritum Chriſti & fides. Continentur in dictis quibusdam Scripturæ claſſicis, utpote *Joh. 3. v. 16. Sic Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam.* Ut & *Rom. 3. v. 24. Juſtificamur gratis per gratiam, per redemtionem à Chriſto Jeſu factam, quem Deus propoſuit propitiatorium per fidem in ſanguine ipſius.* Ex quibus locis, quod per gratiam non intelligatur donum gratuitum, nobis infuſum, ceu volunt Pontificii, ſed favor Dei gratuitus, qui per χρηστότητα καὶ φιλανθρωπίαν alibi exponitur, patet, *Tit. 3. v. 4.* Per juſtitiam Chriſti non eſſentialis, quam ſibi retinet, ſed meritoria, quam agendo & patiendo acquiſivit, & nobis communicat, intelligitur. Hæc ipſa juſtitia Chriſti non ut cauſa exemplaris, ceu volunt cum Socinianis Pontificii, ſed ut materia nobis ad juſtitiam imputabilis in hoc articulo ſumitur. Etiamſi enim juſtitiæ Chriſti, qui nobis ὑπογραμμὸν reliquit *1. Petri 2. v. 21.* conformari debeamus, finis tamen hic paſſionis Dominicæ ſecundarius eſt, & imitatio noſtra imperfectione multa laborat.

§. 10. Sed quia ſalutis hæc ἀκροτέλεια, Chriſti meritum non ab una phalange, ſed multiplici, Socinianorum, Pontificiorum, Calvinianorum, Weigelianorum infeſtatur, firmamentis & machinis ex armamentario ſacrarum literarum depromtis, éandem hic propugnabimus.

§. 11. Sociniani ſatisfactionem Chriſti modis omnibus impugnant, & innocentia vitæ nos coram Deo juſtificari contendunt. His opponi poteſt inprimis 347.
cap. 53. Eſ. in quo ſervus Dei juſtus futurus Meſſias, propter peccata noſtra vulneratus & afflictus, *v. 5.* peccata noſtra in ſe conjecta portaſſe, *v. 6. 11.* animam ſuam ſacrificium pro delictis noſtris dediſſe, *v. 11.* livore ſuo nos ſanaſſe *v. 5.* dicitur. Opponi poſſunt teſtimonia N. T. plurima v. g. *Matth. 20. v. 28.* ubi *animam ſuam* λύτρον ἀντὶ πολλῶν i. e. *pretium redemtionis pro multis dediſſe, Matth. 26. v. 28.* ubi *ſanguinem ſuum pro multis in remiſſionem peccatorum fudiſſe, Act. 20. v. 28.* ubi per τὸ ἴδιον αἷμα i. e. *per proprium ſanguinem Eccleſiam acquiſiviſſe*, ad *Rom. 3. v. 24. ubi per* ἀπολύτρωσιν i. e. *redemtionem Chriſti propitiatoris nos juſtificari, 1. Petri 1. v. 19.* ubi per τίμιον αἷμα i. e. *pretioſum ſanguinem Chriſti tanquam agni puri & incontaminati nos redemtos eſſe, 1. Joh. 1. v. 7. ubi ſanguis Jeſu Chriſti, Filii Dei, nos à peccatis emundare, Apoc. c. 1. v. 5.* ubi *Chriſtus nos dilexiſſe, ſuoq; ſanguine lavaſſe* dicitur.

§. 12. Pontificii, licet ſatisfactionem Chriſti non ſimpliciter negent, non parum tamen eandem labefactant, quando Chriſto imputata eſſe peccata noſtra, quando cruciatus infernales eundem in anima ſua ſanctiſſima propter peccata noſtra ſenſiſſe negant, & Mediatorem noſtrum tantum ſecundum humanam naturam faciunt. His opponi poteſt quoad errorem primum caput *Eſ. 53. v. 6.* ubi *Deus in Meſſiam omnium noſtrum peccata conjeciſſe, v. 11. peccata noſtra portaſſe, c. Joh. 1. v. 29.* ubi *agnus Dei peccata mundi portaſſe, cap. 5. poſteri-*

Digitized by Google

oris ad Cor. v. ult. ubi *Christus, qui non noverat peccatum (separatus nimirum à peccatoribus Hebr. 7. v. 26.) peccatum* i. e. peccatorum atrocissimus factus, *ut nos in ipso fieremus justitia Dei, coram Deo scil. valens, c. 2. prioris epistolæ Petrinæ v. 24.* ubi *peccata nostra in lignum sustulisse* dicitur. Quoad secundum quod *Gal. 3. v. 13. maledictum pro nobis factus, & sic à maledictione legis nos liberasse*, quod *iram Dei sensisse* περίλυπος *tristis* ὡς *ad mortem, Matth. 26. v. 38. quod sudorem sanguineum emisisse Luc. 22. v. 44. quod à Deo desertus Matth. 27. v. 46.* dicatur, & quod pœnas peccatis nostris debitas, inter quas præcipue cruciatus infernales fuere, sustinuerit. Quoad tertium, quod *Deus in Christo mundum sibi reconciliasse 2. Cor. 5. v. 19.* quod *Deus proprio sanguine sibimet Ecclesiam acquisivisse, Act. 20. v. 28. quod nos per mortem Filii reconciliatos fuisse Rom. 5. v. 10.* dicitur, & quod propter officium talis persona σύνθετος, Deus sc. & homo, vel θεάνθρωπος requisitus fuerit. Unde regula Theologorum: Actiones officii Christo secundum utramq; naturam competunt.

348. §. 13. Calvinianorum quidam, ut Piscator, Alstedius, Wendelinus, alii activam Christi obedientiam justificationem nostram ingredi, plerique universalitatem meriti Christi negant. Missis posterioribus, quibus aphorismum in loco de prædestinatione, quod Catholicus destructor non plus possit, quam Catholicus reparator, oppositum, adversus priores urgemus, quod *Christus venerit legem implere, Matth. 5. v. 17.* quod *ipse tanquam Dominus legis & Sabbathi non fuerit obnoxius legi Marci 2. v. ult.* quod *non sui, sed nostri causa venerit in mundum, Esaiæ 9. v. 6. Luc. 2. v. 11. quod per ipsius obedientiam inobedientiæ Adami oppositam justi constituantur multi, Rom. 5. v. 19.* quod sit τέλος & πλήρωσις i. e. *perfectio legis omni credenti, Rom. 10. v. 4. quod sub legem factus dicatur, ut eos, qui sub lege sunt, redimeret, Gal. 4. v. 4. ubi, qui sub legem factus est ab iis, qui sub lege sunt*, distinguitur, & finis adducitur liberatio eorum, qui sub lege sunt.

§. 14. Weigelium, qui suum errorem ex Osiandrismo videntur hausisse, vel tamen eodem cum Andrea Osiandro socco saltasse, nos per essentialem justitiam Christi habitantis in nobis justificari volunt. His opponimus, quod per sanguinem Christi & sic justitiam ipsius meritoriam justificari, *Rom. 5. v. 9.* quod per obedientiam ipsius justi constitui dicamur *Rom. 5. v. 19.* quod fides (Christi meritum apprehendens) nobis ad justitiam imputetur, *Rom. 4. v. 5.* quod non aliter coram Deo justi simus, quam Christus pro nobis factus fuit peccatum, *2. Cor. 5. v. ult.* Sed Christus per imputationem peccatorum nostrorum, cum inhærive fuerit sanctissimus, factus fuit peccatum. E. Nos per imputationem obedientiæ Christi justi coram Deo evadimus. Quibus addere possumus incarnationis finem, nimirum nostram redemtionem. Propter nos & nostram salutem descendit de cœlo, Symbolum Nicænum inquit.

§. 15. Causa instrumentalis justificationis est fides, meritum Christi apprehendens. Hujus tres sunt partes, vel gradus, notitia, assensus & fiducia. Primum & ultimum gradum negant Pontificii, & notitiam quidem, ut fidem suam implicitam & carbonariam stabilire, fidu-

fiduciam, ut certitudinem gratiæ commodius tollere possint : per assensum autem dogmatibus Ecclesiæ Romano-Catholicæ præbitum definiunt.

§. 16. Fidem notitiam esse probamus, 1. ex *Es.* 53. *v.* 11. *Cognitione sui servus meus justus justificabit multos.* 2. ex *Luc. primo v.* 77. ubi Zacharias, Joannis Baptistæ Pater, fidem per *scientiam salutis, quæ est in remissione peccatorum*, describit. 3. quia cardo salutis in θεογνωσία & χριστογνωσία consistit, *Joh.* 17. *v.* 3. *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, &, quem misisti, Jesum Christum.* Unde vulgò dicitur :

349

Si Christum benè scis, satis est, si cætera nescis :

Si Christum nescis, nihil est, si cætera discis.

4. quod assensus sine prævia notitia sit cæcus, ut in orbem vertere cogatur, sicut illius Carbonarii, qui quæsitus, quid credat, respondit, quod credit Ecclesia; rursus, quæsitus, quid Ecclesia credat, quod ego, respondit. Tantum igitur abest, ut per ignorantiam fides definienda sit, ut potius hic obtineat tritum, χρισιανὸς ἄρισα γνὺς ἄρισα πιστέυει i. e. *Christianus, quo meliorem rerum sacrarum notitiam habet, eò melius credit.* Intentationibus enim cum μυελοπηχίτης iste columnas fidei subruere conatur, melius resistere potest. Hinc & Apostolus non vult, ut semper pascamur lacte, primisque duntaxat initiis inhæreamus, sed cibo solido sensim assvescamus, & in virum perfectum evadamus, *Hebr.* 5. *vers.* 12. 13. 14. Huc verò tendit doctrina Pontificiorum de fide implicita, ut à lectione Scripturarum & scrutinio tuæ religionis Laicos arceant. Quod ipsum licet empæctis quibusdam, eo nomine Pontificiam religionem, quod facilè possit addisci, commendantibus gratum sit, damnum tamen ex hac jactura redundans suo tempore, maximè in ipso agone mortis, experientur.

§. 17. Fidem esse fiduciam in Christi merito recumbentem, non tantum tot emphatica, quibus insignitur, nomina, sed & ipsius officium luce meridiana clarius docent. Vocatur fides hypostasis, quod instar pedis στάσιν καὶ ὀρθότητα corpori conciliantis nos fulciat & firmet, vel propter certitudinem, quod res absentes & futuras quasi præsentes faciat, *Hebr.* 11. *vers.* 1. Ἔστι δὲ πίστις ἐλπιζομένων ὑπόστασις i. e. *Est autem fides rerum, quæ sperantur, substantia.* Nec tamen fides cum spe confunditur, quia, licet spes circa res futuras, fides circa præsentes occupetur, spes tamen res futuras, ut futuras, fides res futuras, ut præsentes, propter certitudinem apprehendit. Sic credimus & speramus vitam æternam. Speramus ut futuram, credimus, ut propter certitudinem promissionis præsentem. Vocatur fides τῶν μὴ βλεπομένων ἔλεγχος i. e. *argumentum eorum, quæ non videntur, Hebr.* 11. *v.* 1. Est autem ἔλεγχος, ut à 350. Philosopho definitur, συλλογισμὸς μετ' ἀντιφάσεως τοῦ συμπεράσματος i. e. *syllogismus cum contradictione conclusionis.* Unde colligitur, fidem esse tale argumentum, quod non tantum nos de rebus non apparentibus certos faciat, sed & desuper pugnet, & conclusioni oppositæ contradicat. Vocatur fides πληροφορία per metaphoram desumtam a navibus plenis velis portum ingredientibus. *Rom.* 4. *v.* 21. *Hebr.* 10. *v.* 22. Quemadmodum enim navis ventis acta secundis pleno cursu in portum fertur : ita & fides à Spiritu S.

Digitized by Google

ſuſcitata in ſuum objectum. Vocatur fides παῤῥησία, quod propter certitudinem in os erumpat, & per confeſſionem nihil reticendo ſe manifeſtet, *Hebr.* 4. *verſ.* 16. *Accedamus itaq; μετὰ παῤῥησίας* i. e. *cum fiducia ad thronum gratiæ.* Officium fidei ἐν τῷ λαμβάνειν h. e. in apprehendendo conſiſtit, ut ex *c.* 1. *Joh. v.* 12. *Quotquot receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, ſc. his, qui credidérunt in nomen ejus*, & ad *Gal.* 3. *v.* 14. *ut promiſſionem Spiritus acciperemus per fidem*, nec non aliis Scripturæ locis patet.

§. 18. Fides, ut notitia eſt, objectum habet omne Dei verbum in ſacris literis nobis manifeſtatum, cui fide divina credimus, quia Deus ſc. nobis revelavit. Ubi tamen certum cognitionis demenſum non facile determinate poſſumus, cum plus à docentibus, quam diſcentibus, plus à proficientibus, quam incipientibus requiratur. Fides, ut fiducia eſt, objectum habet promiſſiones gratiæ de Chriſto, vel ipſum Chriſti meritum, vel gratiam Dei Chriſti merito nixam. Ubi circa Syllogiſmos practicos hic occurrentes notandum, etiamſi minor certitudine duntaxat humana nobis nota ſit, concluſionem tamen certitudine divina credi, ſi major fundamentum Syllogiſmi hujus analytici certa eſt certitudine divina; V. G. ſi quis colligat:

Omnes homines à Chriſto ſunt redemti.
Ego ſum homo.
E. Ego à Chriſto redemtus ſum.

Hic minor quidem certitudine humana nobis innoteſcit, quia verò major certa eſt certitudine divina, 1. *Tim.* 2. *v.* 6. Concluſio quoque certa eſt certitudine divina. Ut enim in forma concluſio ſequitur partem debilitorem præmiſſarum: ſic in materia, docentibus Analyticis, ſequitur partem fortiorem præmiſſarum.

§. 19. Dixerit aliquis, fidem ipſam eſſe virtutem, vel opus, & ſic ſimpliciter opera excludi non poſſe à circulo juſtificationis. Sed cur opera reliqua, fide certo reſpectu præſtantiora, 1. *Cor.* 13. *v.* 13. excludantur? Hoc nimirum eſt, quod fides non ut opus, ratione ſuæ dignitatis, (alias major fides magis juſtificaret, quam minor & infirmior,) ſed ſaltem relativè, ut ad ſuum correlatum Chriſtum Jeſum refertur, in articulo de juſtificatione conſideretur, quin & operibus opponatur. V. G. *Rom.* 3. *v.* 28. λογιζόμεθα i. e. *concludimus igitur, fide juſtificari hominem* χωρὶς ἔργων, i. e. *ſine operibus.* Et ad *Gal.* 2. *verſ.* 16. *Scimus, hominem non juſtificari ex operibus legis, niſi per fidem Jeſu Chriſti, & nos in Chriſtum Jeſum credidimus, ut juſtificaremur ex fide Chriſti & non ex operibus legis: propterea quod non juſtificabitur ex operibus legis omnis caro.* Ad *Eph.* 2. *v.* 8. 9. *Gratia ſalvati eſtis per fidem, non ex operibus, ne quis glorietur.* Quid enim opus ſit, Apoſtolus, *Rom.* 11. *v.* 6. docet: *Quod ſi per gratiam, jam non ex operibus, quandoquidem gratia jam non eſt gratia: Sin ex operibus, jam non ex gratia, quandoquidem opus jam non eſt opus.* 351.

§. 20. Cum itaque fides operibus in circulo juſtificationis opponatur, & cum gratia ſtare queat, *Rom.* 3. *v.* 24. *Eph.* 2. *v.* 8. non ratione ſuæ dignitatis, vel ut meritum aliquod, ſed ut organon aliquod conſideratur. Hinc cum manu mendici, (apprehendente, non operante, ut Pontificii volunt,) fides hic à noſtris comparatur. Non enim propter apprehenſionem,

nem, quasi actus tam dignus esset, sed per apprehensionem manus eleemosynam mendicus accipit. Hinc nullibi διὰ πίστιν i. e. propter fidem, sed διὰ πίστεως i. e. per fidem in Scripturis justificati dicimur. Sociniani & Remonstrantes fidem per obedientiam mandatorum divinorum describunt, & quidem eorum, quæ Christus servare docuit; sed, ut in superioribus audivimus, aliter sacra pagina fidem nobis describit. Licet autem ὑπακοὴ τῆς πίστεως mentio fiat in sacris, ab adjuncto tamen generali, (quod omnibus à DEO præceptis operibus est commune,) definitionem rei non possumus arcessere. Illi ipsi fidem ratione sui actus in justificatione considerari volunt, quæ licet sit imperfecta, tamen à Deo acceptilletur pro perfecta, non secus ac creditor aliquis ab exhausto debitore 10. pro centum accipit. Peccatum enim à Deo liberaliter remitti volunt. Verum licet imputationis secundum debitum & secundum gratiam in
352. Scripturis mentio fiat, *Rom. 4. v. 4.* imputatio tamen secundum gratiam non in hoc consistit, quod Deus imperfectum pro perfecto, sed quod alienum pro nostro, Christi sc. justitiam meritoriam, ac si à nobis præstita fuisset, nobis imputet. Falsa etiam esse, quæ de acceptillatione, vel liberali peccatorum remissione proferuntur, ex lege, tanquam speculo justitiæ divinæ conspicere licet. *Non jota, non apex de lege in terram cadere debet, nisi prius cœlum & terra dissolvantur, Matth. 5. v. 18.* Nec peccatum contra voluntatem tantum Dei, (quod de ceremonialibus & forensibus quidem ad certum tempus duraturis, non autem de moralibus legibus & delictis, concedi posset,) sed ipsam Dei naturam fertur. Est infiniti boni offensa infinita.

§. 21. His, quæ de tribus justificationis causis, gratia Dei, Christi merito & fide diximus, de causa formali, nimirum peccatorum remissione, Christique justitiæ imputatione, aliquid subnectimus. Per remissionem peccatorum Pontificii peccatorum expulsionem & totalem deletionem intelligunt, propterea quod cum macula, quæ potest abstergi, peccatum comparetur. Verum enimvero, præterquam quod maculæ connatæ non prorsus tollantur, sed tegantur, peccatum non ratione facilis adspersionis, vel absterstionis sed ratione reatus, sive deformitatis cum macula confertur. Quod si peccatorum deletio remissionis voce intelligeretur, nos proximo remittentes peccata ipsius delere cogeremur. Imputationem autem vel delicti, vel debiti, vel solutionis alterius pro altero locum invenire, non ex historiis duntaxat & experientia, sed etiam ex Scripturis informamur. Paulus enim in epistola, quæ scripta est ad *Philemonem v. 18.* dicit: *Si quid Onesimus læsit te, aut debet: hoc mihi imputato.* Sic aliquoties per λογίσεσθαι i. e. imputationem justificari, & quidem non per imputationem secundum debitum, quæ fundamentum habeat in ipsa persona justificanda, sed secundum gratiam *Rom. 4.* dicimur. Justitiam nobis imputari non nostram, quam hic & alibi, ut *Phil. 3. v. 9.* removet, dum non vult inveniri coram tribunali divino justitiam habens propriam ex lege, sed quæ fidei à Deo imputatur, justitiam, inquam, non nostram, sed Christi, Apostolus idem asserit. *Christus enim à Deo nobis factus est justitia*, causaliter sc. *1. Cor. 1. v. penultimo.* Hinc

germen

germen justum Davidis vocandum erat Jehovah justitia nostra Jer. 23. vers. 6. & omnis lingua confiteri debebat: In Domino justitiæ meæ, Es. 45. v. 24. Apostolus citato loco, *Rom. 4. v. 7.* tanquam bonus Analyticus πνευματικὰ πνευματικοῖς διακρίνων huc erat dictum *Ps. 32. vers. 1. 2: Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Beatus Vir, cui Dominus non imputat peccatum.* Sed plura de his partim sequentes aphorismi, partim locus de bonis operibus suppeditabunt. 353.

APHORISMUS I.

Δίκαιος ἑαυτῷ κατήγορος. h. e. Justus est accusator sui ipsius.

SCHOLIUM.

§. 1.

OPpositus est hic aphorismus generalis justitiæ inhærenti, & exemplis sanctorum stabilitur, nempe Davidis, qui *Ps. 143. v. 3.* DEUM orat, *ne ingrediatur in judicium cum servo suo, propterea quod in ipsius conspectu non justificetur ulla caro. Ps. 130. v. 3. Si peccata velis imputare, Domine, quis sustinebit,* inquit. *Ps. 51. v. 9. Adspergi petit hyssopo* (i. e. sanguine futuri Messiæ,) *ut supra nivem dealbetur. Ps. 32. v. 6. Justos omnes remissionem peccatorum à Deo petere dicit. Daniel c. 9. v. 18.* nomine populi Judaici orans, *non justitiis nostris, sed miserationibus tuis, Domine, nixi, coram te prosternimur,* inquit: *Et v. 7. Tibi debetur justitia, nobis autem confusio faciei. v. 17. Exaudi nos, Domine, propter Dominum,* futurum sc. Messiam. Ecclesia Judaica suam justitiam pannio menstruatæ similem i. e. peccatorum maculis fœdatam dicit, *Es. 64. v. 6.* Sic in N. T. Paulus non vult inveniri coram Deo justitiam habens propriam, quæ est ex lege, *Phil. 3. v. 9.* In epistola *Rom. 7. v. 24.* miseriam suam spiritualem, quod venundatus sit sub peccatum, & volens facere bonum inveniat sibi adjacere malum, deplorat. In promtu ratio est, quod ἁμαρτία ἐνοικοῦσα i. e. peccatum inhabitans, *Rom. 7. v. 17.* & ἐμπεφύκατος i. e. *tenaciter adhærens Hebr. 12. v. 1.* in hac vita radicitus minimè tollatur, sed in justificatione tegatur, in sanctificatione minuatur, donec sensus in morte, radix in cinefactione tollatur. Lex autem requirit permanentiam, i. e. παραμονὴν & omnimodam cum præceptis suis convenientiam, ita, ut ne cogitatiuncula minima turbetur, *Gal. 3. v. 10. Maledictus omnis, qui non permanserit in omnibus verbis legis.* Quod si tamen justi provocent ad suam justitiam, non personæ, sed causæ; non universalis, sed particularis justitia facti unius, vel alterius v. g. quod David non struxerit insidias vitæ Saulis, intelligitur. 354

§. 2. Usus aphorismi hujus in didacticis est, ut justitiam Christi meritoriam, perfectissimam & coram Deo valentem, à justitia nobis inhærente multis modis imperfecta discernamus.

§. 3. In polemicis adversus Pontificios, Socinianos & Crypto-Socinianos justitiam nostram in circulum justificationis ingerentes, usus aphorismi hujus esse potest.

APHORISMUS II.

Non omnium beneficiorum Christi participes in hac vita evadimus.

SCHO-

Digitized by Google

SCHOLIUM.

§. 1.

FLuit hic aphotiſmus ex antecedente, in quo juſtitiam noſtram inhærentem non tantum imperfectam, ſed & peccatis contaminatam diximus. Quod ſi quis objecerit, Chriſtum hac ratione, quæ perdita fuerunt in Adamo, non reſtituiſſe, cum juſtitia primorum Parentum fuerit inhærens; reſpondemus, CHRISTUM utique juſtitiam etiam inhærentem ſub merito nobis acquiſiviſſe, ſed illius nos in hac vita duntaxat inchoativè, in vita futura conſummativè participes evadere, prout & aliorum bonorum per lapſum amiſſorum plenaria reſtitutio in alteram vitam differtur. Si cauſas dilationis hujus quæras, voluntatem quidem facientis totam facti rationem putamus, interim à poſteriori afferri poſſunt, ut peccati atrocitatem magis agnoſcamus, miſerias hujus vitæ, quibus propter peccatum involvimur, deploremus; Chriſti meritum carius æſtimemus, & ad futuram liberationem à ſenſu & inhærentia peccati, (quàm ob cauſam dies extremus dies redemtionis, *Lucæ* 21. *v.* 28. vocatur,) eò anxius adſpiremus. Quod ſi quis etiam inchoatam juſtitiam noſtrā, utpote cujus defectus ſuppleatur ab imputata Chriſti juſtitia, concurrere velit ad juſtificationem noſtram, næ fallitur & fallit: quia non reſpectu juſtitiæ imputatæ, quaſi juſtificationem noſtram inchoet, ſed inhærentis aliquando conſummandæ in vita futura, inchoata dicitur.

§. 2. Uſus aphoriſmi hujus in didacticis eſt, ut vitæ hujus miſeriam, futuræ felicitatem agnoſcamus, & auribus no-
355. ſtris inſonare patiamur illud Salvatoris, *Apoc.* 3. *v.* 17. *Dicis, dives ſum & ditatus, & nullius egens, & neſcis, quod miſer ſis & miſerabilis, & pauper, & cæcus & nudus. Suadeo tibi emere à me aurum ignitum igni, ut locuples fias, & veſtimentis albis induaris, ut non appareat dedecus nuditatis tuæ, & oculos tuos collyrio inunge, ut videas.*

§. 3. In polemicis adverſus Pontificios inhærentem juſtitiam, & συγκατάθεσιν Adami primi & ſecundi urgentes, uſus aphoriſmi hujus eſſe poteſt.

APHORISMUS III.

Juſtificatio non ſuſcipit magis & minus. Juſtificatio fit in inſtanti. Juſtitia coram DEO valens juſtificatis omnibus eſt æqualis.

SCHOLIUM.

§. 1.

POntificii, quod ſupra tetigimus, ſignificationem vocabuli juſtificationis faciunt phyſicam, ut aqua ſenſim & per gradus calefit, ſic nos ſenſim, magis magisque juſtificari, & per diſpoſitiones habitum juſtitiæ coram DEO valentis in opera poſtmodum efflorescentis acquirere, perſuaſi. Duplicem proinde juſtificationem faciunt, primam & ſecundam. Prima ipſis eſt, qua ex non juſto fit juſtus: Cum ſc. per diſpoſitiones, fidem, ſpem, charitatem, contritionem propoſitum emendandi vitam, patientiam &c. (quidam enim plures, quidam pauciores numerant,) qui prius fuit impius, juſtitiæ habitum, in quo formale juſtificationis ponunt, contrahit. Secunda eſt, qua ex juſto fit juſtior: cum ſc. juſtitiæ habitum

habitum per opera vel plus, vel minus aliquis exercet. Inde dubitationi de certitudine gratiæ fulcrum substernunt, quod nemo scire possit, an bonorum operum satis præstiterit. Inde φορμικώτατον ipsis videtur, (quod & Concilium Tridentinum de subjecta materia tractans attingit,) ad tantam justitiam aliquem in hac vita perringere posse, qualis beatæ Deiparæ Mariæ fuerit. Verum hæc omnia falso principio de inhærente justitia nituntur. Quoties Scriptura justificationem bonis operibus nostris denegat, (denegat autem locis quamplurimis,) toties has structuras, ceu fulmine, prosternit. Quod si operibus tanquam excellentioribus, multò magis dispositionibus & habitibus justificationem nostram deroga-
356. bit. Si verò per imputationem justitiæ Christi meritoriæ coram Deo justificamur, justificatio non suscipiet magis & minus, sed omnibus credentibus erit æqualis, nec per gradus acquiretur, sed in instanti peragetur, perseverantibus tamen in fide continuabitur. *Non est distinctio*, (Maria non excepta, quæ gaudet in Deo Salvatore suo, *Luca* 1. *v.* 47.) *sed omnes peccaverunt, & destituuntur gloriâ Dei*, (coram Deo valente,) *justificantur autem gratis, per gratiam illius, per redemtionem, quæ est in Christo Jesu, quem proposuit Deus propitiatorium per fidem in sanguine ipsius*, Apostolus *Rom.* 3. *v.* 22. 23. 24. 25. inquit. Ubi verò Scriptura non distinguit, imò distinctionem prohiber, ibi nostrum non est distinguere.

§. 2. Non obstat hic locus *Apocalypticus* c. 22. *v.* 11. *Qui justus est, justificetur adhuc: & qui sanctus est, sanctificetur adhuc.* Particula enim ἔτι non incrementa, sed continuationem, vi contextus denotat. Respondet hic Angelus objectioni, multi abutentur hac prophetia, qui nocet, noceat adhuc; qui sordidus est, sordescat adhuc; qui justus est, justificetur adhuc; qui sanctus est, sanctificetur adhuc. Lutherus: Wer böse ist/ der sey immerhin böse: Wer gerecht ist/ der sey immerhin gerecht. Si de incrementis sermo esset, potius adverbium μᾶλλον magis adhibitum fuisset. Sunt quidem, ex abundanti concedentes, de justitia inhærente, si denotaret incrementum, particulam ἔτι accipi posse: verum cum justificationem & sanctificationem, tanquam duo distincta beneficia, contradistinguat hic Angelus, de justitia coram DEO valente accipimus. Esse autem distincta beneficia, vel inprimis ex *cap.* 1. *epistola* 1. *ad Cor. v. pen.* CHRISTUS *nobis factus est à* DEO *sapientia, justitia, sanctificatio & redemtio*, patescit. Unde sanctificatio in aurea salutis scala, vel catena *Rom.* 8. *vers.* 29. inter causas salutis non ponitur. Si quis tamen etiam sanctitatem secundum quosdam ex nostratibus impurari dicat, de perfectissima & numeris omnibus absolutissima sanctitate Christi, non nostra imperfecta, est intelligendum.

§. 3. Usus aphorismi hujus in didacticis est, ut de justitia coram Deo valente certi simus, & hanc, tanquam perfectissimam, ab imperfecta nostra discernere queamus.

§. 4. In polemicis adversus Pontificios usus aphorismi hujus esse potest.

APHO-

APHORISMUS IV.

357. Quantum meritis noſtris adſcribitur, tantum gratiæ divinæ detrahitur.

SCHOLIUM.

§. 1.

POntificii per gratiam in hoc articulo gratiam infuſam, vel donum ex gratia profectum accipi volunt. Verum præterquam, quod gratia Dei per χρηστότητα, i. e. bonitatem & φιλανθρωπίαν i. e. amorem hominum, *Tit.* 3. *v.* 4. per τὸ ἔλεος i. e. miſericordiam *v.* 5. exponatur, paſſim operibus, vel donis ex gratia profectis opponitur, ut *Rom.* 3. *v.* 20. cum dixiſſet Apoſtolus, *ex operibus legis non juſtificabitur in conſpectu ejus omnis caro*, *v.* 24. ſubjungit, *juſtificamur autem gratis per gratiam illius.* c. 4. *v.* 4. *Ei, qui operatur, merces non imputatur ſecundum gratiam, ſed ſecundum debitum.* c. 11. *v.* 6. *Quod ſi ex gratia, jam non ex operibus, quandoquidem gratia non eſſet gratia &c.* *Eph.* 2. *v.* 8. *Gratia ſalvati eſtis, non ex operibus, ne quis glorietur.* Si jam per gratiam intelligerentur dona ex gratia profecta, quomodo gratia gratiæ opponeretur? Diſtinguitur alias gratia ex c. 3. *Rom.* *v.* 24. & aliis locis, quod vel ſit gratuita, vel gratioſa. Gratuita meritum ex parte noſtra excludit: Gratioſa Dei favorem & affectum ſingularem erga credentes denotat. Sic Protoplaſti, ſi perſtitiſſent in integritate, per gratiam quidem gratioſam, non tamen omnino gratuitam fuiſſent juſtificati, quia per opera legis cordibus in prima creatione inſcriptæ juſtificati fuiſſent. Ubi tamen Theologi noſtri addunt, non tamen ex operum dignitate, (propter defectum proportionis,) quam pactione Dei, primos Parentes juſtitiam & ſalutem obtinuiſſe.

§. 2. Gratia etiam vel eſt commiſerationis, vel complacentiæ. Illa eſt univerſalis, qua ſalus amiſſa ſit reparabilis: hæc tantum eſt credentium, in merito Chriſti recumbentium. De priore agitur *Lucæ* 1. *v.* 78. *Per viſcera miſericordia Dei noſtri viſitavit nos Oriens ex alto.* *Rom.* 5. *v.* 8. *Commendat Deus charitatem ſuam erga nos, quod cum adhuc eſſemus peccatores, Chriſtus pro nobis mortuus fuit.* 1. *Joh.* 4. *v.* 9. & 10. *In hoc apparuit charitas Dei erga nos, quod Filium ſuum unigenitum miſit Deus in mundum, ut vivamus per eum; In hoc eſt charitas, non quod nos dilexerimus Deum: ſed quod ipſe dilexerit nos, & miſerit Filium ſuum* 358. *propitiationem pro peccatis noſtris.* Hæc generalis Dei dilectio λύτρον non præſupponit, ſed procurat. De poſteriore c. 1. ad *Eph.* *v.* 6. Apoſtolus agit: *Ut laudetur gloria gratiæ ipſius, qua dilectos nos reddidit in dilecto.* Hæc λύτρον & quidem per fidem apprehenſum præſupponit.

§. 3. Uſus aphoriſmi hujus in didacticis eſt, ut quid gratia in hoc articulo denotet, ſciamus, nec gratiam cum operibus confundamus.

§. 4. In Polemicis adverſus Pontificios uſus aphoriſmi hujus eſſe poteſt.

APHORISMUS V.

Deus eſt noſter debitor, non ex commiſſo, ſed promiſſo.

SCHOLIUM.

§. 1.

CUr vita æterna vocetur merces & quidem indebita, (eſt enim χάρισμα τοῦ θεοῦ *Rom.* 6. *v.* 23.) rationes variæ à

Theologis afferuntur. 1. quod ita vocetur ratione ſuperabundantis compenſationis eorum, quæ fecimus in hac vita, vel paſſi fuimus. Dico ſuperabundantis, ut omnis proportio excludatur v. g. ſi quis pro munere chartaceo, cujus pretium ad aliquot groſſos extendatur, 10. aut 100. thaleros accipiat, ille mercedem ſatis amplam tuliſſe dicitur. 2. quia detur in fine vitæ, prout denarius, quem accipiebant in vinea laborantes, merces dicitur, *Matth. c.* 20. *v.* 8. 3. quod Deus vitam æternam nobis promiſerit, & ita veluti debitum à Deo petatur. Fit itaque Deus ſummus noſter debitor non ex commiſſo, quaſi nos Deum vel operibus, vel paſſionibus noſtris ad aliquid dandum devincire poſſimus; (*quis enim prior dedit ei, ut reddatur ei, Rom.* 11. *v.* 35.) ſed quod gratis promiſerit, & omne promiſſum cadat in debitum.

§. 2. Uſus aphoriſmi hujus in didactieis eſt, ut liberalem Dei promiſſionem à debito diſcernamus.

§. 3. In polemicis adverſus juſtitiarios Pontificios uſus ejusdem eſſe poteſt.

APHORISMUS VI.

Chriſtus nobis à Deo datus eſt ut donum & ut exemplum.

359. SCHOLIUM.

§. 1.

DUo ſunt fines & incarnationis & paſſionis Dominicæ, ſatisfactio pro peccatis noſtris, & exemplaris relictio. Utrumque conjungit Petrus in 1. *epiſtola c.* 2. *v.* 21. cum inquit: *Chriſtus paſſus pro nobis reliquit nobis exemplar imitationis.* Poſteriorem quidem Soçiniani, à quibus non procul abeunt Pontificii, concedunt & urgent; priorem autem, paſſionem ſc. vicariam pro peccatis noſtris negant. Volunt nimirum Chriſtum nudum hominem occaſionaliter in mortem incidiſſe, nullatenus verò pro nobis i. e. vice noſtra paſſum fuiſſe, ſed martyris inſtar ſanguine ſuo doctrinam ſuam novam confirmaſſe, nec non exemplar imitationis reliquiſſe. Verum, enim verò Chriſtum occaſionaliter in mortem incidiſſe, ut mercator interdum in latrones, aut naufragium incidit, Petrus *Act.* 2. *v.* 23. diſertè confutat, cum inquit: *Hunc definito conſilio & præſcientia Dei traditum, cum accepiſſetis, per manus iniquorum, crucifixum interemiſtis.* Ubi conſilium ad opus redemtionis, præſcientia verò ad Judæorum malitiam reſpicit. Et naſcens Eccleſia N. T. *Act.* 4. *verſ.* 27. *Verè convenerunt adverſus ſanctum Filium tuum Jeſum, quem unxeras, Herodes ſimul & Pontius Pilatus, cum gentibus & populis Iſrael, ad faciendum, quacunque manus tua & conſilium tuum prius decreverat, ut fierent.* Non dicit, ut facerent Herodes & Pilatus, nec non impii Judæi, quod tua manus & conſilium decreverant, quaſi ad parricidium hoc patrandum Herodes, Pilatus & Judæi divino decreto fuiſſent excitati & compulſi, ſed ut fierent, quæ Deus decrevit, & permiſſione facti ſceleratiſſimi Herodis, Pilati & Judæorum, redemtio totius humani generis eliceretur. Huc omnia Salvatoris & Apoſtolorum dicta, quæ de Scripturarum impletione loquuntur, referri poſſunt.

§. 2. Quantumvis autem Chriſti paſſio μαρτύριον temporibus ſuis vocetur, 1. *Tim.* 2. *verſ.* 6. decretorum ſc. Dei, ſuæque doctrinæ, in eodem tamen verſiculo, quod

quod semetipsum dedetit ἀντίλυτρον i. e. pretium redemtionis vicarium, dicitur, & ita finis principalis satisfactio nullatenus excluditur. Esto etiam, terminum satisfactionis de hac subjecta materia, (legitur autem τὸ ἱκανὸν ποιεῖν i. e. satisfacere, *Marci* 15. *v.* 15. Pilatus volens ἱκανὸν ποιεῖν populo:) passione sc. Christi vicaria in scripturis non legi, res ipsa tamen, quod in superioribus docuimus, abunde satis
368. continetur. Addo, quod vocabulum περιποιεῖν, præsertim quando pretium interveniens additur, ad vocabulum satisfactionis quam proxime accedat. Legitur autem *Act.* 20. *v.* 28. ubi θεὸν διὰ τοῦ ἰδίου αἵματος περιποιῆσαι i. e. proprio Deus sanguine acquisivisse dicitur Ecclesiam.

§. 3. Præstigiæ sunt, quando quidam ex Socinianis vocabulum satisfactionis admittunt, sed non talem satisfactionem, quæ fit justitiæ Dei vindicativæ, verum quæ voluntati Dei fit, quasi Christus sua passione voluntati Dei conformem se præstiterit, intelligunt. Qui proprium à quolibet homine λύτρον requirunt, audiant illud Salvatoris *Matth.* 16. *v.* 26. Ecquid ἀντάλλαγμα i. e. pretium æquivalens dabit homo, ut redimat animam suam? Re probata ipsa, terminos etiam aphorismi ex scripturis ostendimus. Præterquam, quod *Esaias* in V. T. futurum, quasi jam exhibitum, hoc donum celebret *c.* 9. *v.* 6. *Puer natus est nobis, & Filius datus est nobis*: Christus ipse donum expressis verbis *Joh.* 4. *v.* 10. se vocat, cum inquit: *Si scires donum Dei, & quis sit is, qui tecum loquatur.* Cum quibus consentit, quod idem Salvator *Joh.* 3. *v.* 16. ad Nicodemum dicit: *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret*? Et Apostolus *Rom.* 8. *v.* 32. *Deus ne proprio quidem Filio pepercit, sed illum pro nobis omnibus tradidit, quomodo nobis cum ipso non donaret omnia*? Donum hoc in satisfactionis & justificationis gratuitæ beneficio conspicitur. Quomodo nobis reliquerit exemplar imitationis, de qua tamen idem, quod Virgil. Æneidos 2. de sequela Filii sui Ascanei dicit:

-- -- -- dextræ se parvus Iulus
Implicuit, sequiturque Patrem non passibus æquis,

efferri potest, ex 1. *Petri* 2. *v.* 21. jam modo adduximus.

§. 4. Usus hujus aphorismi est in didacticis, ut principalem incarnationis finem, satisfactionem pro peccatis nostris asseramus, & à secundario distermineminus.

§. 5. In polemicis advetsus Socinianos, Crypto-Socinianos & Pontificios ex parte, satisfactionem sc. non in totum, sed in tantum negantes, usus aphorismi hujus esse potest.

APHORISMUS VII. 369.

Meritum Christi profuit antequam fuit: contemtus ejusdem obfuit, antequam fuit.

Item. Tempora sunt Patribus, non variata fides.

SCHOLIUM.

§. 1.

UNum eundemque justificandi modum ante & post Christum exhibitum fuisse, non tantum eædem justificationis causæ, sed & scripturæ testimonia plurima confirmant. Patres V. T. vel, qui vixerunt ante Christum exhibitum, per gratiam Dei, sine bonorum operum meritis justificatos fuisse, patet ex *Ps.* 143. *v.* 3.

ne intres, Domine, in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Ex *Ps.*130.*v.*3. *Si peccata velis imputare, Domine, quis sustinebit?* Job.9.*v.*4. *ad mille ne quidem unũ respondere ipsi potes,* Es.64.*v.*6. *Ecclesia Israelitica justitiam suam panno menstruatæ* comparat.

§. 2. Rursus misericordiam Dei justificari volentes implorant exemplo Davidis *Ps.*51. *v.* 3. *Miserere mei secundum magnam misericordiam tuam.* Et Danielis *c.*9. *v.*18. *Coram te prosternimur non nostra justitia, sed miserationibus tuis multis nixi.* Promissiones de Christo non tantum πρωτευαγγέλιον *Gen.*3.*v.*15. & προτευαγγέλιον *Gen.*12. *v.* 3. *Gen.*18.*v.*18. & *c.*22. *v.*18. sed & εὐαγγελίας alias, ut *Ier.*23. *v.*6. quod *germen Davidis* suo tempore suscitandum sit *Iehovah justitia nostra, Dan.*9. *v.*24. quod *Sanctus Sanctorum justitiam æternam* sit adductutus, *Es.*53. *v.*5. quod *vulneribus ipsius sanandi simus &c.* habuerunt. Unde Jacobus Patriarcha jam jam exhalaturus animam inquit *Gen.*49.*v.*18. *Domine, salutare tuum expecto.* Quod etiam suum fecit Psaltes *Psalmo* 119.*v.*166. Quorsum respicit Simeon in suo Cantico *Luca* 2. *v.*30. *Quia viderunt oculi mei salutare tuum, quod parasti ante faciem omnium populorum.* Quod σωτήριον Jacobus & David expectabant, Simeon brachus suis tenebat.

§. 3. Per fidem V.T. Patres ante Christum justificatos fuisse, *caput.*15. *Gen.v.*6. docet: *Credidit Abraham,* (fidem præsertim habendo promissioni de semine benedicto, in quo benedicendæ erant omnes familiæ terræ,) *& hoc imputatum est ei ad justitiam.* Et *c.*2. *Habacuci v.*4. *Justus sua fide vivet.* Quibus addi potest *c.* 53. *v.*11. *Esaiæ,* ubi fides synecdochice describitur: *Scientia sui servus meus justus justificabit multos.* De formali causa Psalmographus 370. regius *Ps.*32.*v.*1. 2. inquit: *Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Beatus vir, cui Dominus non imputabit peccatum.* Quotsum faciunt infinita scripturæ loca, de remissione peccatorum tractantia.

§. 4. His & similibus locis Paulus, tanquam bonus Analyticus πνευματικὰ πνευματικοῖς ἁρμόζων, suam de justificatione doctrinam communivit. Communem justificandi modum probat etiam *c.*4. *Actor. v.*12. *Non est in alio quoquam salus: nec enim aliud nomen sub cœlo datum est inter homines, in quo nos oporteat salvos fieri, quã sc. nomen Iesu.* Probat *c.*10. *Act.v.*43. *Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent, quod remissionem peccatorum accepturus sit per nomen ejus, quisquis crediderit in eum.* Probat *c.*13. *Act.v* 38. *Notum sit vobis, Fratres, quod per hunc vobis remissio peccatorum annunciatur, & ab omnibus, à quibus non potuistis per legem Mosis justificari. Per hunc omnis, qui credit, justificatur.* Probat *c.*15. *Act.v.*10. *Quid tentatis Deum, ut imponatur jugum super cervices discipulorum, quod neq; Patres nostri, neq; nos portare potuimus. Sed per gratiam Domini Iesu Christi credimus nos salvos futuros, quemadmodũ & illi.* Probat *c.*13. *epist. ad Hebr. v.*8. 9. *Iesus Christus heri & hodie, idem & in secula. Doctrinis variis ne circumferamini.* Et *c.* 4. *v.*2. *Nobis idem Evangelium prædicatum est, quod illis.* Ejusdem *epist.c.*9.*v.*15. *Mors Christi dicitur intercessisse ad redemtionem earum prævaricationum, quæ fuerant sub priori Testamento.* Hinc Paulus *c.*4. *Rom.* Abrahamũ Patrem credentium, etiam eorum, qui sunt in Novo Testamento sistit, & ab ipsius exem-

plo

emplo per inductionem didaſcalicam probat, omnes in Chriſtum credentes ſive in Vet. ſive in Nov. Teſt. vinxetint, juſtificari. Quod facere non poſſet, niſi unus idemque juſtificandi modus eſſet in utroq; Teſt. poſt ſtatum integritatis. Qui negant hoc, quaſi conſpecto Gorgonis capite, turbantur axiomate Philoſophico, effectum ſua cauſa non poſſe priorem eſſe. Sed inter cauſas phyſicas & morales iſti diſtinguere deberent. Licet in cauſis phyſicis res ita ſe haberet, (ſæpius autem cauſa & effectus temporum intervallis ne quidem in naturalibus diſtetminantur,) in moralibus tamen fallit. Quoties enim antequam actu ſolveretur λύτρον, captivum temporibus proximis bellicis dimiſſum fuiſſe vidimus, modo ſufficienter cautum fuiſſet. Sed decretum & promiſſio divina ſua certitudine nexum omnem, qui cauſas phyſicas & earum effectum intercedit, ſuperat. Cur autem Deus non ſtatim poſt lapſum Meſſiam miſerit, ſed demum *in plenitudine temporis Gal.* 4. *v.* 4. voluntatem quidem
371. facientis totam facti rationem putamus; interim à poſteriori afferri poſſunt quædam rationes, ut ſc. expectata diu ſtaret gratia, & homines jugo legum ceremonialium preſſi, eo anxius ad futurum Meſſiam anhelarent. Ut enim habetur in trito verſiculo:

Dulcia non ſentit, qui non guſtavit amara.

Quantumvis itaque redemtionis actus in plenitudine demum temporis præſtitus fuerit, fructus tamen ejusdem antrorſum & retrorſum fuit extenſus. Quotquot itaque ſive in V. ſive in N. T. fuerunt ſalvati, per meritum Chriſti ſalvati fuerunt: Et quotquot ſive in V. ſive in N. T. damnati fuerunt, propter contemtum meriti Chriſti, vel, quod idem eſt, propter incredulitatem damnati fuerunt.

§. 5. Uſus aphoriſmi hujus in didacticis eſt, ut de fructu paſſionis Dominicæ, de materia nobis ad juſtitiam imputabili, deque communi juſtificandi modo certi ſimus.

§ 6. In polemicis adverſus Pontificios, qui fructum paſſionis Dominicæ demum poſt prolatum in cruce verbum τετέλεσται, i. e. *conſummatum eſt Ioh.* 19. *v.* 3. cœpiſſe volunt; adverſus Socinianos & quosdam Remonſtrantes, qui *Patres tantum umbram futurorum bonorum* (cum tamen non beneficia mortis Chriſti, ſed ipſe Chriſtus exhibitus *Hebr.* 10. *v.* 1. per hanc vocem ſignificetur) *habuiſſe*; gratiamque Dei per tranſennam duntaxat adſpexiſſe, contendunt; contra Calvinianos, qui contra ſuas hypotheſes & contra conſcientiam objiciunt, Chriſtum non eſſe redemtorem univerſalem, propterea quod non potuerit pati pro illis, qui tempore mortis ſuæ fuerunt in inferno, uſus aphoriſmi hujus eſſe poteſt.

APHORISMUS VIII.

Inter Deum & homines mediatrix eſt divina humanitas, & humana divinitas.

SCHOLIUM.

§. 1.

ERrorem Lombardi & Scholaſticorū, quod Chriſtus ſit Mediator noſter tantum ſecundum humanam naturam, inter Socios Auguſtanæ Confeſſionis in Monte Regio Boruſſiæ ſeculo ſuperiore *Franciſc. Stancarus Mantuanus*, Theologiæ Profeſſor, ut eo fortius Andreæ Oſiandro Collegæ, qui nos juſtitia Filii Dei habitantis in

372. tis in nobis justificari dixerat & propugnaverat, sese opponeret, refricavit. Verum cum propter officium redemptorium persona requireretur ἀνθρωπος, vel θεάνθρωπος, sententia Stanckari & Scholasticorum recto talo subsistere nequit. Nudus enim Deus non poterat pati & mori, nudus homo non poterat sufficienter pati & mori. Deus itaque & homo requirebatur in una persona, ut opus redemtionis peragi, natura humana pati & mori, divina pondus infinitum adjicere, nec non λύτρον ἰσόρροπον pro peccatis totius humani generis infinitæ justitiæ divinæ persolvi posset. Hinc Scriptura *Deum proprio sanguine nos redemisse*, *Act.* 20. *v.* 28. *nos reconciliatos per mortem Filii*, *Rom.* 5. *v.* 10. *per sanguinem Filii Dei nos à peccatis mundari*, 1. *Joh.* 1. *v.* 7. dicit. Objectioni vero Pontificiorum & Socinianorũ, quod unus sibimetipsi Mediator esse non possit, Scriptura contradicit in terminis, cum 2. *Cor.* 5. *v.* 19. dicit: *Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi.* Deus nimirum spectatur vel ut est persona Deitatis, cujus justitia peccatis hominum fuit læsa, non secus ac Patris & Spiritus S. & sic λύτρον accipit; vel ut est incarnatus, & in relatione ad genus humanum, & sic λύτρον persolvit. Sic Senator aliquis à cive rebelli, non secus ac alii Senatores læsus, apud totum ordinem Senatorium pro isto rebelli potest intercedere. Nec tantum medius est, quod Stanckarus concedebat, sed mediator: nec tantum ratione interessionis, sed & participationis, quod utriusque naturam læsi ac lædentis participet, Mediatoris nomine in scriptutis venit.

§. 2. Usus aphorismi hujus in didacticis est, ut de sufficientissima redemtione nostra certi simus.

§. 3. In Polemicis adversus Pontificios & Stanckaristas, (quantumvis distinctiuncula inter principium quod & quo, sed frustra, Bellarminus Pontificios à Stanckarismo liberare velit;) usus aphorismi hujus esse potest.

APHORISMUS IX.

Non datur fides informis. Fides informis informe monstrum.

SCHOLIUM.

§. 1.

POntificii fidem faciunt vel informem, vel charitate formatam. Informem faciunt nudum assensum dogmatibus Ecclesiæ Romanæ præbitum, quæ cum atrocissimis etiam peccatis stare queat, modo quis dicat, se credere, quod Romana cre- 373.
dit Ecclesia. Per hanc fidelis ab infideli, Judæo, vel Pagano discernitur. Formatam vocant, quæ cum charitate sit conjuncta. Verum, præterquam quod non detur res informis, scriptura fidem ipsam nobis satis definit, quod in accipiendo & apprehendendo consistat, prout hujus rei testimonia in superioribus adduximus. Unde pronomina, quibus applicatio denotatur, *Gal.* 2. *v.* 20. cum Paulus dicit: *Filius Deus dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.* In 1. *Tim.* 1. *v.* 16. *Filius Dei omnem suam longanimitatem ostendit in me. Thomas Joh.* 20. *v.* 28. *Christum Dominum suum & Deum suum vocat.* Tantum etiam abest, ut charitas fidei forma sit, ut fides potius forma (non informans, sed assistens) charitas statuatur. Non interim negamus, fiduciam ab assensu & notitia interdum, & quidem per peccata

peccata contra conſcientiam, ſeparari poſſe: quæ tamen ſua forma non carent.

§. 2. Uſus aphotiſmi hujus in didacticis eſt, ut de natura fidei conſter.

§. 3. In polemicis adverſus Pontificios uſus eſſe poteſt.

APHORISMUS X.

Juſtitia imputata ſtat & cadit cum fide. Item. Semel tantum juſtificamur.

SCHOLIUM.

§. 1.

ADverſis frontibus hi duo aphoriſmi invicem pugnare videntur: Sed ex dicendis conciliatio facile patebit. Prior hoc vult, quod juſtificatio poſſit amitti, cum à fide dependeat, cujus naufragium aliquis per peccata contra conſcientiam facere poteſt. Sic enim Apoſtolus 1. *Tim.* 1. *v.* 18. *&* 19. *Timothee, milita bonam militiam, habens fidem & bonam conſcientiam, qua repulſa, nonnulli circa fidem naufragium fecerunt.* Et *Rom.* 11. *v.* 20. *Tu fide conſtitiſti: ne efferaris animo, alioquin & tu excideris.* Quod de juſtitia ipſa clarius exponit *Ezech. c.* 3. *v.* 20. *Si juſtus averſus fuerit à juſtitia ſua & fecerit malum, juſtitiæ ipſius non amplius memorabuntur.* Poſterior juſtificationem cum effectu, ſalutis nimirum adeptione conjunctam ſpectat. *Quos enim Deus juſtificavit,* (finaliter ſcilicet) *hos etiam glorificavit*, Apoſtolus *Rom.* 8. *v.* 30. dicit. Non autem juſtificari, niſi credentes, Scriptura plurimis locis aſſerit.

374. §. 2. Uſus aphoriſmi hujus in didacticis eſt, ut quid de fidei amiſſibilitate ſit tenendum, ſciamus.

§. 3. In polemicis partim adverſus Calvinianos, qui ſemel juſtificatos, ne quidem per peccata contra conſcientiam, juſtitia & ſalute æterna excidere poſſe negant; partim adverſus Pontificios, qui non fidei ſoli, ſed operibus (unde nos fideſolarios & opericidas vocant) juſtitiam & ſalutem adſcribunt, uſus aphoriſmi hujus eſſe poteſt.

APHORISMUS XI.

Sola fides juſtificat, ſed ſolitaria non exiſtit. It. Fides prægnans bonis operibus juſtificat ante partum.

SCHOLIUM.

§. 1.

QUantumvis excluſiva in *c.* 3. *Epiſtolæ ad Rom. v.* 28 *Concludimus hominem fide juſtificari ſine operibus legis*, ubi Lutherus eam in verſione ſua Germanica poſuit, *κατὰ τὸ γεγραμμένον* non inveniatur, partim tamen ex oppoſitione, partim ex aliis Scripturæ locis probari poteſt. Oppoſitio tum in hoc, tum in aliis Scripturæ locis pluribus habetur. Loca parallela ſi conferimus, in Epiſtola *Gal.* 2. *v.* 16. voces *ἐὰν μὴ*, non niſi fide, quoad totidem apices, leguntur. *Marc.* 5. *v.* 36. particula *μόνον* habetur, cum Salvator ad Principem Synagogæ dicit: *Μόνον πίστευε*, id eſt, *tantum crede.* Lutherum quod attinet, ille non nudum Metaphraſten, qui verbum verbo reddit, Venuſino minus probatum, cum canit de arte Poetica:

Non verbum verbo curabit reddere fidus
Interpres &c.

nec nudum Paraphraſten, qui ſenſum tantum exprimit, ſed Meta-Paraphteſten, qui verbis quidem inhæret, linguæ tamen ſimul, in qua ſcribit, rationē habet, in transferendis Bibliis egit. Jam ſolenne Germanis eſt, ut cum duo contendunt invicem,

Digitized by Google

cem, unum affirmant, alterum negant, particulam exclusivam adhibeant. Quid? quod antiquiores versione Lutherana vocem istam exclusivam d.l. ponant, ut B. Mentzerus ad exemplar provocat, quod Confluentiæ suis oculis usurpaverit: Allein durch den Glauben ohne die Wercke der Ehe / id est, fœderis. Eandem exclusivam Syrus Interpres, sed in *c. 4. epistolæ ad Romanos*, cum non exiet in fontibus, adhibet. Interim fides, quæ sola justificat ex parte nostra (non enim salutis mediis exhibitivis ex Dei parte opponitur) solitaria
375. non existit, sed bona opera sibi juncta tenet ratione scilicet præsentiæ, non efficientiæ. Nec enim omnia, quæ sibi sunt præsentia, concurrunt ad producendum eundem effectum. Quid? quod bona opera profluant ex fide secundum istud Apostoli *ad Romanos 14. v. ult. Quicquid ex fide non est, peccatum est.* Lucem hæc capiunt ex dicto ad *Gal. 5. v. 6. In Christo Jesu neque circumcisio quicquam valet, neque præputium, sed fides per charitatem efficax.* Quibus verbis Apostolus vivam fidem à mortua distinguit: non quod opera fidei sint anima, sed fidei viventis testimonia. Ut enim respiratio vitam non dat hominibus, sed de vita (quam Scaliger actum animæ in corpore, Philosophus μονὴν τῆς θρεπτικῆς σὺν τῷ θερμῷ i.e. *nutritivæ facultatis permanentiam una cum calido* sc. ἐνεργείᾳ, descriptione) testatur: Ita bona opera fidem non formant, aut constituunt, sed quod fides præsens sit, indicium faciunt.

§. 2. Duplex hujus dicti abusus est, apud Pontificios & Calixtinos, quorum illi fidem formatam charitate inde probant: hi reduplicationem addunt, quod fides, quatenus per charitatem est efficax, justificet. Priores quod attinet, sciant, participium ἐνεργουμένη non passivæ, sed mediæ vocis esse, significationem habens activam. Nec etiam ἐνεργεῖν significat formare, sed operari, prout Erasmus ipse Catholicus per deponens activam significationem habens, & per verbum operari transtulit: In Christo Jesu neq; circumcisio quicquam valet, neq; præputium, sed fides per dilectionem operans. Posteriores quod concernit, ne vestigiolum quidem reduplicationis in textu habetur, sed in eundem infertur. Πίστις δι' ἀγάπης ἐνεργουμένη, non πίστις ἡ δι' ἀγάπης ἐνεργουμένη, loco citato dicit Apostolus. Sequeretur etiam hac ratione, bona opera, vel dilectionem ipsum justificationis circulum ingredi, quod contra scopum Apostoli, qui *v. 4. & 5. capitis hujus* dicit: *Christus vobis factus est inutilis, quicunq; per legem justificamini: à gratia excidistis. Nos enim Spiritu ex fide justitiæ spem expectamus.*

§. 3. Usus aphorismi hujus in didacticis est, ut fidem & opera in articulo justificationis cœlo & terra magis interstinguamus, & à calumniis doctrinam nostram vindicemus, quasi fide mortua bonis operibus vacua nos justificari velimus.

§. 4. In Polemicis adversus Pontificios & recentiores Theologiæ Professores Julianos, qui verba cantilenæ Ecclesiasticæ, in nostris congregationibus usitatæ, doch macht allein der Glaub gerecht / rejecerunt, & phrasin substituerunt aliam, der Glaub macht nicht allein gerecht: reduplicationé 376. etiã verbis Apostoli ex *c. 5. ad Gal. v. 6.* infarserunt, usus aphorismi hujus esse potest.

APHORISMUS XII.

Non propter fidem, sed per fidem justificamur.

SCHO-

SCHOLIUM.

§. 1.

NOta est Pontificiorum objectio, quod ipsa fides sit virtus & opus, imo charitate minor, 1. *Cor.* 13. *v. ult.* ac proinde virtutes & bona opera non possint excludi ex actu justificationis. Verum enim verò, licet inficias non eamus, fidem esse virtutem & opus, non tamen ut virtus, vel opus in justificatione consideratur. Unde regula Theologorum: Fides nec qualificative, ut virtus est; nec quantitative, ut magna, vel parva est; sed relative, ut ad Christum, tanquam objectum suum, refertur, ipsumq; respicit, in articulo justificationis consideratur. Hinc etiam cum manu, non operante, sed apprehendente, in hoc negotio confertur, & ὄργανον ἀνλλαπτικὸν propter λῆψιν, id est, *apprehensionem Christi* vocatur. Sic per extensionem manus, non propter eandem eleemosynam consequimur. Probatur hic respectus non tantum ex tot Scripturæ locis, ubi opera legis à justificatione removentur, verum etiam ex oppositione fidei ac operum, & quod fides, non opera cum gratia conjunguntur. Quæ causa est, quod in Scripturis nullibi phrasis hæc, διὰ τὴν πίστιν, id est, *propter fidem* justificamur, sed vel διὰ πίστως, id est, *per fidem*, vel ἐκ πίστως, id est, *ex fide*, vel ἐν πίστει, id est, *in fide*, vel τῇ πίστει justificamur. Si qui forsan ex Theologis orthodoxis usi fuerunt his locutionibus, ob fidem, vel propter fidem justificationem habemus, particulam Ob latioris significationis loco Præpositionis Per usurparunt: propter fidem autem nos justificari dicentes, fidem, quatenus cum objecto suo, Christi scilicet merito concrescit, intellexerunt, & propter hujus dignitatem fidem tanti fecerunt. Licet autem non propter fidem in se consideratam justificemur & salvemur: propter increduliratem tamen damnamur. Hæc enim damnationem meretur, fides autem nihil meretur, sed tantum est mediũ, vel instrumentũ, quo Christi justitia fit nostra. Charitas in 1. *Cor.* 13. *v. ult. Virtus maxima* dicitur ratione durationis, quod in vita futura ipsi locus sit.

§. 2. Usus aphorismi hujus in didacticis rursus est, ut fidei naturam probe tenentes 377. ab operibus eandem discernamus, nec istius dignitati justitiam & salutem nostram acceptam feramus.

§. 3. In Polemicis adversus dictos Pontificios usus ejusdem esse potest.

APHORISMUS VIII.

Fides elevata deprimenda.

SCHOLIUM.

§. 1.

VIdentes Professores quidam Juliani, nominatim *Georgius Calixtus*, justificationem nostram fidei passim in sacris adscribi, eandem in comparatione ad reliqua opera elevari (vel extolli,) & ad justitiam imputari nobis statuit. Verum enimvero, licet in scripturis, ut *Rom.* 4. *v.* 5. phrasis hæc legatur, *fidem ad justitiam imputari*, secundum analogiam fidei tamen esset explicanda. Distinguens in eodem capite Paulus, inter imputationem secundum gratiam & secundum debitum, viam interpretandi phrasin hanc nobis monstrat. Fides nimirum quæ alias in se considerata est admodum languida, concretive sumitur, quatenus cum objecto, quod apprehendit, Christi merito, concrescit. Hoc enim tanquam λύτρον perfectissimum Deus adspicit, illudque nobis ad justitiam imputat. Bona opera cum fide non comparantur, sed eidem in negotio justifica-

tionis opponuntur. Nec etiam per fidem τὸ θάρσος i. e. fiduciam, vel fiducialem apprehensionem *Matth. c. 9. v. 2.* sed assensum sine notitia & fiducia, tanquam istius partibus, intelligunt. Videntur autem hac nova locutione propius tum Pontificiis, tum Arminianis, de quibus in aphorismo sequente, accedere voluisse.

§. 2. Usus aphorismi hujus in didacticis est, ut valorem meriti Christi & dignitatem ipsius sartam tectam conservare studeamus, nec cum nostris operibus in articulo de justificatione permisceri patiamur.

§. 3. In Polemicis adversus dictos Professores Julianos, usus ejusdem esse potest.

APHORISMUS XIV.

Non acceptillatio, sed satisfactio in articulo de justificatione locum habet.

278. ## SCHOLIUM.

§. 1.

SOciniani & Arminiani justitiam Christi meritoriam nobis imputari, fidemq; manus instar apprehendentis sese habere negantes, ipsum actum fidei (cujus nomine obedientiam mandatis Christi præbitã intelligunt,) nobis imputari ad justitiam volunt: & quia defectus non paucos in ista fide contineri vident, eandem à Deo acceptillari volunt, ac si esset perfecta. Hanc liberalem (satisfactioni oppositam) remissionem peccatorum vocant. Est autem terminus acceptillationis juridicus, in debitis pecuniariis locum habens, qua quid pro quo, 10. pro 100. præsertim ab exhaustis debitoribus, accipiuntur. Verum, præterquam quod peccata nostra non tantum debiti pecuniarii, verum etiam criminalis rationem habeant, justitia Dei vindicativa talem acceptillationem non admittit, sed λύτρον ἰσόρροπον i. e. *pretium æquilibre*, vel satisfactionem numeris omnibus absolutissimam requirit.

§. 2. Adumbratur nobis illa justitia vindicativa in lege, tanquam speculo, de qua Christus *Matth. 5. v. 18.* dicit, *quod cœlum & terra prius transire, quam jota unum, vel apex unus de lege in terrã decidere debeat.* Sic servo nequam decem millia talentorum debenti, licet solvendo non sit, nihil remittitur, sed ad assem satisfacere cogitur, *Matth. 18. v. 34.* Sic irreconciliabilis iste *Matth. 5. v. 26. conjectus in carcerem extremum quadrantem persolvere cogitur.* Hinc ἴδιον τῦ θεῦ αἷμα i. e. *proprius Dei sanguis Act. 20. v. 28.* & τίμιον αἷμα i. e. *pretiosus sanguis 1. Petr. 1. v. 19. ipsius Dei Filii 1. Joh. 1. v. 7.* λύτρον pro peccatis nostris requirebatur. Nec est, quod Deum cum hominibus de suo jure interdũ remittentibus hic comparemus, cũ ipse sit Dominus, proximus conservus noster: justitia in Deo sit essentialis, quin & ipse Deus, in nobis tantũ accidentalis. Quare particula Sicut, in dicto Salvatoris *Luc. 6. v. 36. Estote misericordes, sicut Pater vester misericors est*, non ταυτότητος, sed ὁμοιότητος significat. Nec imputatio per gratiam, de qua *Rom. 4. v. 4.* in hoc consistit, quod imperfectũ pro perfecto, sed quod alienum pro nostro nobis imputetur. De satisfactione fundamenta plura vide in superioribus, quæ loci hujus aphorismis præmisimus.

§. 3. Usus aphorismi hujus in didacticis est, ut de sufficientissima justitia coram tribunali Dei valente certi simus, nec circa gratiam Dei fluctuare cogamur.

§. 4. In polemicis adversus Socinianos & Remon-

Remonſtrantes ; vel Arminianos , uſus aphoriſmi hujus eſſe poteſt.

379. APHORISMUS XV.

Non putativè, ſed imputativè juſtificamur.

SCHOLIUM.

§. 1.

AN per imputativam , an per inhæſivam juſtitiam coram tribunali divino juſtificemur, non parum inter nos & Pontificios controvertitur. Nos per imputativam Chriſti juſtitiam , Pontificii per inhæſivam juſtificari contendunt. *Concilium Tridentinum Seſſ. 6. c. 7.* ita definit: *Unicà formalis cauſa eſt juſtificationis noſtræ juſtitia Dei, non qua ipſe juſtus eſt , ſed qua nos juſtos facit : qua videlicet donati ab ipſo renovamur Spiritu mentis noſtræ, & non modò reputamur, ſed verè juſti nominamur & ſumus.* Hanc Concilii deciſionem probat Bellarminus, *l. 2. de juſtificatione c. 2.* cum ſcribit, *nos formaliter juſtificari propter novitatem nobis inhærentem, non propter Chriſti meritum.* Videmus inde, Pontificos per juſtificationem, vel ſanctificationem, vel renovationem intelligere.

§. 2. Verum ut juſtificatio & ſanctificatio, (prout in ſuperioribus ex *1. Cor. 1. v. pen.* & *Apocal. 22. v. 11.* ut & *Rom. 8. v. 30.* probavimus,) ſic & regeneratio & renovatio diſtincta ſunt beneficia. Sic ad *Tit. 3. v. 5.* diſtinguuntur : *Per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus S. ſalvos nos fecit.* Per regenerationem ipſa juſtificatio, vel fidei (cauſæ juſtificationis inſtrumentalis,) donatio; per renovationem, motuum ſpiritualium excitatio intelligitur. Illa ſimul actu inſtantaneo, hæc ſucceſſivè confertur, prout Paulus inquit, *2. Cor. 4. v. 16. internus noſter homo renovatur ἡμέρᾳ καὶ ἡμέρᾳ*, i. e. *de die in diem.* Quantumvis autem Pontificii non omnem imputationem à juſtificatione removeant , talem tamen quæ fundamentum habeat in ipſo juſtificando *i. e.* imputationem ſecundum debitum intelligunt : noſtram autem, quæ fit per imputationem ſecundum gratiam, figmentum, *φάντασμα*, Chimæram, & neſcio quid aliud vocant.

§. 3. Verum quod non putativè, per aliquam fictionem, aut vanam perſuaſionem, ſed imputativè, firmiſſima relatione, quam ſequitur effectus , juſtificemur , probamus ex *2. Cor. 5. v. ult.* *Quemadmodum Chriſtus ſanctiſſimus, qui non noverat peccatum, factus fuit pro nobis peccatum: ita nos peccatores evadimus coram Deo juſti.* Sed Chriſtus per imputationem firmiſſimam peccatum , vel peccatorum atrociſſimus factus eſt, ita ut peccatorum pœnas etiam tulerit. E. Et nos per imputationem firmiſſimam coram Deo juſti 380. evadimus, & ſic quidem, ut etiam juſtificationis conſequens , æternam ſalutem, adipiſcamur. Chriſto autem fuiſſe imputata peccata noſtra , vel per translationem in eum conjecta, ex pluribus Scripturæ locis probari poteſt, utpote *Eſai. 53 v. 6. Deus in Chriſtum conjecit*, vel in ipſum incurrere fecit, *omnium noſtrum peccata. Joh. 1. v. 29. Chriſtus dicitur agnus Dei portans peccata mundi.* Petrus in *epiſtola 1. c. 2. v. 24.* dicit, *eum peccata noſtra ſecum in crucem ſuſtuliſſe* , vel peccatis noſtris onuſtum in crucem fuiſſe ſublatum. Cujus rei typus fuit, quod victi-

bitor, non tantum duo ſubjecta, v.g. Tobias & Gabel, ſed & duo fundamenta, & quidem ex parte Tobiæ copia pecuniæ, ex parte Gabelis inopia requiruntur. Quantæ vero ſint efficaciæ, vel experientia & praxis forenſis docere poteſt: Jam ut vim verbi λογίζειν & λογίζεσθαι locis quibusdam Biblicis oſtendamus, Chriſtus ita dicitur cum impiis deputatus, vel imputata Chriſto dicitur iniquitas (μετ' ἀνόμων ἐλογίσθη) *Marci* 15. *v.* 28, ut tanquam ſeditioſus cruci affigeretur. De Chriſtianis Eccleſiæ primitivæ dicit Apoſtolus *Rom.* 8. *v.* 36. ἐλογίσθημεν ὡς πρόβατα σφαγῆς, id eſt, *habiti ſumus, ut oves mactationis*, id eſt, imputantur nobis talia, quibus morte digni videmur, cujus imputationis hæc fuit efficacia, ut exquiſitiſſimis ſupplicis è medio tollerentur. De Oneſimo Paulus dicit in Epiſtola ad *Philem. v.* 18. *Quod ſi quid læſit te, aut debet, hoc mihi imputa.* Effectus hujus imputationis fuit, ut Paulus ad ſatisfactionem, aut reſtitutionem reneretur. In 2. *ad Tim.* 4. *v.* 16. de deſertoribus ſuis Apoſtolus inquit: *In prima defenſione nemo mihi adfuit, ſed omnes me deſeruerunt: ne illis imputetur.* Hujus imputa-
382. tionis effectus fuiſſet, ut deſertores Deo pœnas propterea dediſſent. Quod ſi jam maximæ ſunt efficaciæ, quæ fiunt ab hominibus, imputationes, quid de firmiſſima, fortiſſima, potentiſſima, in voluntate divina radicata imputatione ſupremi Numinis & Judicis univerſæ terræ ſentiemus.

§. 2. Uſus aphoriſmi hujus in didacticis eſt, ne pro mera phantaſia divinam imputationem ſecundum gratiam habeamus, & ſignificationis ἐνέργειαν quæ eſt in voce λογισμῷ, vel verbo λογίζεσθαι, probè teneamus.

§. 3. In Polemicis adverſus Pontificios, Socinianos & Arminianos uſus aphoriſmi hujus eſſe poteſt.

APHORISMUS XVII.

Peccatum in juſtificatione tollitur, non ut non ſit, ſed ut non obſit.

SCHOLIUM.

§. 1.

CUm videant Pontificii, ſcripturæ locis propemodum innumeris noſtram coram Deo juſtificationem per remiſſionem peccatorum deſcribi, ſignificationem vocis extendunt, & per remiſſionem peccatorum eorundem deletionem & expulſionē intelligunt. Verum, licet in ſanctificatione peccatum minui, vocem etiam remiſſionis Latinam pro rei diminutione quandoque ſumi (v.g. in canone Logico, qualitatum eſt intenſio & remiſſio,) concedamus, diſtincta tamen eſſe beneficia juſtificationem & ſanctificationem, in ſuperioribus diximus, nec vel μειώσεως vel ἐκβολῆς, ſed ἀφέσεως vocem in Græcis haberi, monemus. Nec iſta peccati diminutio, quæ fit in ſanctificatione, totalis eſt, ut nos juſtos coram Deo conſtituat, ſed tantum partialis. Quousque vitæ uſura fruimur, σαρκοπνευμαλομαχία in homine manet: Senſus in morte, radix peccati tandē in cineſactione tollitur. Quod ſi jam peccatum cum macula vel nube delenda comparatur, non ad abſterſionē, vel diſcuſſionem, ſed ad deformitatem & gratiæ divinæ obtectionem, ne Sol favoris divini nobis alluceſcat, habetur reſpectus. Cum verò peccati formale in juſtificatione tolli dicitur, forma verò dat eſſe rei, formale abſolutum & relatum ſunt diſterminanda. Formale abſolutū peccati eſt ἀνομία vel exorbitatio à lege, quod à peccato non tollitur; relatū verò eſt reatus ad pœnam

nos

nos obligans, & hoc ultimum in justificatione tollitur.

§. 2. Usus aphorismi hujus in didacticis est, ut beneficium justificationis rectius
283. agnoscamus, & à dono sanctificationis accuratius discernamus.

§. 3. In Polemicis adversus Pontificios hujus aphorismi usus esse potest.

APHORISMUS XVIII.

Dubitatio de gratia, est purgatorii columna.

SCHOLIUM.

§. 1.

EX doctrina de inhærente justitia sua incrementa capiente, dubitatio de certitudine gratiæ oritur; quam proindè conjecturalem cum formidine oppositi conjunctam vocant. *Columnam purgatorii* vocamus, partim quod à peccatis non satis simus purgati, partim quod constitutis in purgatorio exactè constet, se non in damnandorum, sed salvandorum numero contineri. Quo plus lucis accipiat hic aphorismus, distinctionibus quibusdam eundem illustrabimus.

§. 2. Dubitatio vel est minuens, vel superans fidem. Non de illa, sed de hac est controversia. Certitudo vel est de gratia præsente, vel de futura, quæ prædestinationis dicitur. Certitudo vel est absoluta, vel hypothetica. Certitudo vel est de gratia cujuslibet propria, vel de aliena. Certitudo vel est ex communibus probandi mediis, vel ex peculiari revelatione divina. De gratia præsente ac futura infallibiliter certi esse possumus: de præsente tamen absolutè, de futura hypotheticè, sub conditione perseverantiæ, secundum istud Salvatoris *Matth.* 24. *vers.* 13. *Qui perseveraverit usq; ad finem, salvus erit.* Et *Apocal.* 2. *v.* 10. *Esto fidelis usq; ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.* Quando verò conditio in actu est posita, quando scilicet fides finalis adest, tunc etiam absolutè certi esse possumus de prædestinatione. Sed hæc certitudo spectatur ex parte hominis, qui fide potest excidere, secundum istud Apostoli 1. *Cor.* 10. *v.* 12. *Qui stat, videat, ne cadat.* Et *Rom.* 11. *v.* 20. *Tu fide stas, vide ne per incredulitatem excindaris.* Ex parte tamen Dei de futura quoq; gratia certi esse possumus absolutè, quod nihil sit intermissurus eorum, quæ faciunt ad salutem nostram, quod sit *autor & consummator fidei. Hebr.* 12. *vers.* 7. quod, *qui bonum opus cœperit in nobis, etiam perfecturus sit, Phil.* 1. *v.* 6.

§. 3. Ad hanc certitudinem ex parte Dei, respexerunt ex orthodoxis nonnulli, quando de prædestinatione nos ante finem vitæ certos esse posse, dixerunt, extra controversias cum Calvinianis hac de re securius locuti. Postquam autem sen- 384
tentia Calvinianorum de certitudine gratiæ magis innotuit, cautius hac de re locuti fuerunt. Volunt nimirum isti homineseum, qui vel semel aliquem bonum motum in se senserit, scire posse, quod sit ex prædestinatorum ad salutem numero. Verum licet absoluta sit hæc certitudo vel præsumtio ante finem vitæ, non tamen est infallibilis, sed conjecturalis, etiam in ipso mortis agone, quia secundum suas hypotheses talis homo scire nequit, an iste motus sit saltem aliquis gustus fidei, *Hebr.* 6. *v.* 5. cujusmodi reprobis tribuunt, an verò ipsa fides. Quin & gustum istum fidei nonnunquam evidentiorem in reprobis faciunt, quam fidem in electis

electis. Ut ſicco pede præteream hypotheſin, fidem in electis eſſe inſuperabilem & inſeparabilem, vel, ut aliorum verbis utar, ſic electorum cordibus inſculpi, ut deleri nequeat. Pontificii verò nobiſcum certitudinem prædeſtinationis ante finem vitæ conditionatam, ſed probabilem tantum, in ipſo vitæ fine ſtatuunt. Certitudo conjecturalis, quam Calviniani ſtatuunt, ex abſoluto decreto; quam Pontificii, ex inhærente juſtitia oritur. Inter Scyllam itaque Pontificiam & Charybdin Calvinianam medio loco eſt incedendum. Certitudo de fide, juſtitia & gratia cujuslibet propria canone veritatis; de aliena canone charitatis menſuratur. Sic & nos hodiè de gratia Dei & ſalute noſtra ex communibus probandi mediis judicamus, cum deſtituamur peculiari revelatione, cujusmodi Petrus habebat, *Luca* 22. *v.* 37. *Rogavi pro te &c.*

§. 4. Certitudinem autem gratiæ firmam & infallibilem probamus. 1. ex iis Scripturæ fundamentis, in quibus Spiritu S. tanquam arrhabone dicimur obſignati, ut ex loco ad *Eph.* 1. *v.* 13. & 14. *Poſtquam credidiſtis, obſignati eſtis Spiritu promiſſionis ſancto, qui eſt arrhabo hæreditatis noſtræ*, ut & 2. *Cor.* 5. *v.* 5. *Deus eſt, qui dedit nobis arrhabonem Spiritus.* Jam is, cui datur aliquid arrhaboni, certus eſt, de ſecuturis, & multò magis adhuc, ſi à Deo ἐφόδιά iſta proficiſcatur. Cum quo loco in eandem harmoniam concinit ille Johanneus 1. *Joh.* 5. *v.* 12. *Qui credit in Filium Dei, teſtimonium Dei habet in ſeipſo: qui Deum non credit, mendacem facit eum*; ut & locus *Rom.* 8. *v.* 16. *Spiritus conteſtatur Spiritui noſtro, quod ſimus filii Dei.* 2. Ex ipſa natura fidei, quæ θάρσος *Matth.* 9. *v.* 2. ὑπόστασις *Hebr.* 11. *v.* 1. ἔλεγχος *eodem c. v.* 1. πληροφορία *Rom.* 4. *v.* 21. παῤῥησία *Hebr.* 4. *v.* 16. dicitur. 3. Ex fine Sacramentorum, obſignatione fidei de gratia & remiſſione peccatorum. Sic *circumciſio* vocatur *ſignaculum juſtitiæ fidei, Rom.* 4. *v.* 11. *Baptiſmus ſtipulatio bonæ conſcientiæ*, 1. *Petri* 3. *v.* 21. *Euchariſtia* vocatur *teſtis de ſalute noſtra in terris*, 1. *Joh.* 5. *v.* 8.

§. 5. Uſus aphoriſmi hujus in Didacticis eſt, ut de juſtificatione, conſequenter, gratia Dei certi ſimus. 385.

§. 6. In Polemicis adverſus dictos Pontificios, uti etiam Calvinianos ex parte, uſus aphoriſmi hujus eſſe poteſt.

APHORISMUS XIX.

Electi non finaliter quidem, ſed totaliter tamen fidem amittere poſſunt.

SCHOLIUM.

§. 1.

Fidem cordibus electorum ſic inſculpi, ut deleri nequeat, Calviniani ſuis hypotheſibus ſtantes docent. Quantumvis autem notitiam articulorum fidei, & aſſenſum in non renatis etiam V. G. Miniſtris Eccleſiæ vitam impiam viventibus, poſtquam exciderunt gratia & Spiritum S. amiſerunt, ſupereſſe poſſe, non negemus; fiduciam tamen partem fidei principalem, ſuper qua etiam h. l. controvertitur, totaliter ab electis amitti poſſe, Scripturam Ducem & lucem præviam ſequentes aſſerimus. Probamus hoc. 1. ex 1 *ad Tim. c.* 1. *v.* 19. ubi Paulus docet, *per peccata contra conſcientiam nos fidei naufragium facere.* 2. Ex 1. *Cor.* 10. *v.* 12. *Qui ſibi videtur ſtare, is videat, ne cadat. Tentatio vos non cepit, niſi humana.* 3. Ex *Epiſtola*

Digitized by Google

Rom. 1. v. 20. 21. Tu fide conſtitiſti: ne animo efferaris, ſed timeas. Nam ſi Deus naturalibus ramis non pepercit, nec tibi parcet. 4. Ex *Pſ. 51. v. 13.* quod Spiritus S. amitti poſſit. *Spiritum S. tuum ne auferas à me.* Ex *Ezech. c. 3. v. 20.* quod juſtitia, quæ per fidem obtinetur & tenetur, aliquis excidere poſſit. *Si pius averſus fuerit à ſua juſtitia & fecerit malum, juſtitia ipſius non amplius memorabitur.* Calviniani autem non ὁλικῶς, quantum ad fiduciam, ſed μερικῶς. fidem ab electis amitti poſſe ſtatuunt. Hanc ipſam, quando peccata contra conſcientiam patrarunt, veluti favillam ſub cineribus delitescere, vel arboris hyberno tempore foliis & fructibus nudatæ radicem in terris adhuc vivere, docent. Verum, ſimilia nihil probant, ſed rem probatam illuſtrant. Interim tamen finaliter amitti non poſſe, vel quatuor, ſi nobis eſſent, manibus concedimus, vi dicti Salvatoris, *Matth. 24. v. 13. ut in errorem inducantur, ſi fieri poſſet, electi.* Et Apoſtoli *Rom. 11. verſ. 7. Quod quærit Iſrael, non eſt aſſecutus, ſed electio aſſecuta eſt.*

§. 2. Uſus aphoriſmi hujus in didacticis eſt, ut quid de fidei amiſſibilitate ſciendum ſit, teneamus.

§. 3. In polemicis adverſus Prædeſtinatianos Calviniſequas uſus aphoriſmi hujus eſſe poteſt.

386.

Locus XIV.

De

BONIS OPERIBUS.

§. 1.

CUm ex fide juſtificante bona profluant opera, ſecundum iſtud Apoſtoli, *Rom. 14. v. ult. Quicquid ex fide non eſt, peccatum eſt*, poſtquam vidimus articulum de juſtificatione, jam ad articulum de bonis operibus acceſſum facimus. Quo verò plus lucis hæc capiat tractatio, terminos aliquos organi, meriti, medii, cultus, ἀδιαφορίας adiaphoriæ volvemus.

§. 2. Organon à Philoſophis definitur, quod ſit ὃ ἕνεκα i. e. alterius gratia, ut culter propter ſectionem, manus propter apprehenſionem, fides propter juſtificationem & ſalutem. Sunt autem organa ſalutis vel δοτικὰ i. e. exhibitiva, ut verbum & Sacramentum, vel λαμβανικὰ i. e. apprehenſiva, ut unicum eſt ex parte noſtra fides. Bona opera non ſunt organa ſalutis, (ut de applicatione per bona opera, de apprehenſione muneris oblati per calcaneum, Pontificii multum deblaterant,) cum ſint ineptiſſima, & proinde fidei in Scripturis è diametro, quod dicitur, opponantur. Vide locum antecedentem.

§. 3. Quid requiratur ad meritum propriè dictum verſiculus ſequens innuit:

Da

Da tua, ſed quæ non debes, proportio & adſit;

Non aliter meritum dixeris eſſe tuum.

Bona opera non ſunt noſtra, i.e. non ex viribus liberi arbitrii proficiſcuntur, ſed à Spiritu S. in nobis producuntur. Bona opera tanquam debitores legis Deo debemus ſecundum dictum Salvatoris, *Luca 17. v. 10. Si feceritis omnia, dicite, ſervi ſumus inutiles: fecimus quæ debuimus.* Nec ulla hic proportio, cum bona opera peccatum ὑπερείσπιον & καλὸν ἀπροσκόπτον habeant adjuncta, fingi, vel cogitari poteſt. De paſſionibus, quibus tamen plus tribuunt Pontificii, quam operibus, Scriptura dicit, *Rom. 8. v. 18. Non ſunt condigna paſſiones hujus vitæ futuræ gloriæ.* Ubi meritum condigni excluditur in termino. *Et 2. Cor. 4. 17.* quod momentaneũ ac leve paſſionis noſtræ conſequatur αἰώνιον βάρος δόξης καθ' ὑπερβολὴν εἰς ὑπερβολήν. Ubi rurſus proportio excluditur.

387. §. 4. Medii vox ambigua eſt, & vel in ſignificatu Ethico, vel Phyſico ſive Mathematico ſumitur. In ſignificatu Ethico medium eſt idem ac principium, ut virtus eſt medium, ſive principium conſequendi ſummum bonum. In ſignificatu Phyſico, ſive Mathematico medium eſt, quod inter duo loco medio interjacet, ut crepuſculum inter diem & noctem. Si vox medii ſumatur in ſignificatu Ethico, bona opera non ſunt medium (i.e. principium,) ſalutis: ſed in ſignificatu Phyſico, vel Mathematico, quatenus juſtificationem ſequuntur & ſalutem antecedunt, medium dici poſſunt.

§. 5. Cultus eſt opus divinitus mandatum, cui ἐθελοθρησκεία, vel cultus electitius opponitur. De utroque Salvator ait, *Matth. 15. v. 3. Quare vos transgredimini præceptum Dei propter traditionem veſtrã. v. 9. Fruſtra me colunt docentes doctrinas, præcepta hominum. v. 13. Omnis planta, quam non plantavit Pater cæleſtis, eradicabitur.* Unde vulgò dicitur: Cultus requirit mandatum. Item: Opus divinitus non præceptum, quo Deum honorare volumus, fit ἐθελοθρησκεία. Bona opera divinitus mandata, & quidem utriusq; tabulæ, licet non ſint merita, ſunt tamen cultus divinus.

§. 6. Adiaphorum, ſive indifferens eſt, quod divinitus neque mandatum eſt, neque prohibitum, ut ſunt ceremoniæ N. T. ex Chriſtiana libertate conſtitutæ. Aliter cum ceremoniis V. T. erat comparatum, qua divinitus erant mandatæ, conſequenter etiam pars cultus erant. Ceremoniarum Moſaicarum abrogatio pars eſt libertatis Chriſtianæ, de qua Paulus *Gal. 2. v. 3. & ſeqq. Titus, qui mecum erat, cum eſſet Græcus, circumcidi compulſus non fuit propter obiter ingreſſos falſos fratres, qui ſubintroierant ad explorandam libertatem noſtram, quam habemus in Chriſto Jeſu, quo nos in ſervitutem adigerent, quibus ne ad horam ceſſimus per ſubjectionem, ut veritas Evangelii permaneret apud vos.* Et *in eadem epiſtola c. 5. v. 1. In libertate, quâ Chriſtus nos liberavit, ſtate, &, ne rurſus jugo ſervitutis implicemini.* Hanc etiam attingit Petrus, *epiſtola 1. c. 2. v. 15. & 16. Voluntas Dei eſt, ut benefaciendo ſtultis & ignorantibus os obturetis, tanquam liberi, & non veluti prætextum habentes malitiæ libertatem, ſed tanquam ſervi Dei:* Monemus tamen hic, quod adiaphorum eſt Eccleſiæ, ut nimirum ceremonias Eccleſiaſticas ordinet, mutet, non eſſe adiaphorum Eccleſiæ Miniſtro.

§. 7. Sed explicatione terminorum horum præmiſſa, definitionem ipſam bonorum operum aggredimur, quæ eſt, quod ſint actiones hominum renatorũ inſtinctu

ſtinctu Spiritus S. juxta normam divinæ
388. legis factæ ad Dei gloriam, ornamentum vitæ & utilitatem proximi. Cum gentiles etiam de ſuis bonis operibus multum glorientur, definitio hæc ita conſtituta eſt, ut ratione omnium propemodum cauſarum bona Chriſtianorum opera bonis gentilium operibus opponantur.

§. 8. Cauſa efficiens eſt Spiritus S. quem gentiles non habuerunt. *Joh.* 14. *v.* 17. Etiamſi enim afflatus aliquis ſpecialis in heroibus & artificibus quibusdam concedi poſſet, minimè tamen fuit gratioſus. Subjectum, vel materia in qua (cum accidentia materiam ex qua propriè dictam non habeant:) ſunt renati & per fidem juſtificati, quales gentiles non ſunt.

§. 9. Forma vel eſt informans, vel aſſiſtens. Forma informans bonorum operum eſt congruentia cum lege divina: ſed aſſiſtens eſt fides. Quantumvis autem priorem gentilibus, ſi ductum legis naturæ ſecuti fuerunt, non derogemus, poſteriore tamen fuerunt deſtituti.

§. 10. Finis præcipuus bonorum operum eſt gloria Dei, quam gentiles non intenderunt, ſed gloriam propriam ſuis operibus quæſiverunt. Unde ab Auguſtino ſplendida peccata vocantur.

§. 11. Sed quia bona opera divinitus ſunt mandata, de neceſſitate bonorum operum etiam inter Auguſtanæ Confeſſionis Socios controverſiæ graviſſimæ fuerunt ortæ. Quidam enim à regia & media via deflectentes in Scyllam, quaſi bona opera neceſſaria eſſent ad ſalutem, ut Georgius Major Theologus Wittebergenſis; quidam in Charybdin inciderunt, & bona opera ad ſalutem pernicioſa, ut Nicolaus Ambsdorffius; quidam libera, ut Andreas Muſculus, ſtatuerunt. Regia via incedunt, qui bona opera quidem neceſſaria, ſed non ad ſalutem, vel neceſſaria ratione præcepti, non medii dicunt. *Rom.* 13. *v.* 5. dicit Apoſtolus: Τῇ ἀνάγκῃ i. e. *ex neceſſitate eſtote ſubditi.* Quod jam de quarto præcepto, Parentibus & Magiſtratui obedientiam eſſe dandam præcipienti, dicitur, in reliquis etiam præceptis locum habet. Sic Salvator, *Luca* 17. *v.* 10. inquit: *Cum feceritis omnia, quæ præcepta ſunt vobis, dicite, ſervi ſumus inutiles: quod debuimus facere, fecimus.*

§. 12. Ab hac verò via longius abeunt, qui ſequentes Formulam interreligionis totam ferè Papiſticam, bona opera neceſſaria eſſe ad ſalutem, amplexi fuerunt, ut non tantum ſeculo ſuperiore fecit Major, ſed & noſtris temporibus Theologi Helmſtadienſes. Sed ſive influxum in effectum per modum cauſæ producentis, ſive conſervantis, ſive cauſæ ſine qua non ſpectemus, nulla ratione bona opera neceſſaria ſunt ad ſalutem. Non per modum cauſæ producentis, quia nec ut organa, nec ut 389.
merita producere poſſunt hunc effectum. Non ut organa, quia ſunt inepta, non ut merita, quia ſunt imperfecta. Ideò & fidei & gratiæ paſſim in Scripturis opponuntur. Unicum ex parte noſtra Scriptura inculcat inſtrumentum fidem, quam etiam operibus è diametro, quod dicitur, opponit, inprimis *Gal.* 2. *v.* 16. *Scimus hominem non juſtificari ex operibus legis, niſi per fidem Jeſu Chriſti: & nos in Chriſtum Jeſum credidimus, ut juſtificaremur ex fide Chriſti & non ex operibus legis, propter quod non juſtificabitur ex operibus legis omnis caro.* Sed eædem ſunt cauſæ juſtificationis & ſalutis. Sic ad *Eph.* 2. *v.* 8. & 9. dicit Apoſtolus: *Gratia ſalvati eſtis per fidem, non ex operibus, ne quis*

glorie-

glorietur. Sic gratiæ in ſolidum ſalutem noſtram adſcribit *Rom.* 11. *v.* 6. & alibi.

§. 13. Nec opera per modum cauſæ conſervantis ſe habent, quod eædem ſint cauſæ producentes & conſervantes ſalutem 1. *Petri* 1. *v.* 5. *Virtute Dei cuſtodimini per fidem ad ſalutem.* Ubi operum nulla prorſus fit mentio.

§. 14. Nec opera per modum cauſæ ſine qua non ſe habent ad ſalutem, quia ſic nemo ſine operibus ſalutem æternam fuiſſet adeptus. Quid vero de latrone in cruce, aliisque peccatoribus gravioribus dicemus? quomodo cum deſperatione luctantes erigemus? Addo, quod terminus cauſæ ſine qua non ſit ambiguus, & propterea ex hac phraſi, bona opera neceſſaria ſunt ad ſalutem, excludendus. Pro Ambsdorffio Lutherano alias γνησίως tali facere poſſe videtur locus Apoſtolicus *Phil.* 3. *v.* 8. *quod nimirum ζημίαν*, id eſt, *damnum duxerit, & pro rejectamentis omnia putaverit Apoſtolus, ut Chriſtum lucrifaceret.* Sed tutius ab ipſius phraſi abſtinemus: licet ſint, qui Ambsdorffium per accidens bona opera pernicioſa dixiſſe, quando fiducia in iisdem collocetur, vel phraſin Majoris pernicioſam dixiſſe, velint.

§. 15. Pro Muſculo, qui bona opera libera ſtatuit ad ſalutem, facere videtur locus Petrinus in 1. *c.* 5. *v.* 2. *Paſcite, quantum in vobis eſt, gregem Domini, curam illius agentes* μὴ ἀναγκαστῶς, ἀλλ' ἑκουσίως i. e. *non coacte, ſed libere*, ut & *Pſ.* 110. *v.* 3. ubi *Deus populum ſpontaneum requirit.* Sed inter libertatem, quæ opponitur coactioni, & quæ mandato, limitibus accuratis eſt diſterminandum. Si opponuntur coactioni, & à Spiritu ſpontaneo proficiſcuntur, eatenus libera dicere poſſumus, ut etiam citata loca de hac ipſa libertate tractant: Si vero mandato, ac ſi noſtra in manu vel facere illa, vel intermittere, poſitum ſit, non ſunt libera, ſed neceſſaria.

§. 16. Bona opera itaque neceſſaria ſunt 390.
tum Dei, tum noſtri, tum proximi reſpectu. Dei, ut mandato ipſius pareamus & gloriam illuſtremus: noſtri, ut de ſalute noſtra certi ſimus, & fidem noſtram teſtatam faciamus: proximi, ut illum lucrifaciamus & exemplis noſtris exædificemus. Plura ſuppeditabunt aphoriſmi.

APHORISMUS I.

Non ex intentione, ſed norma de bonis operibus judicandum. It. Non ex intentione de operibus, ſed ex operibus de intentione judicandum.

SCHOLIUM.

§. 1.

QUantopere bonam intentionem in operibus ſuis electitiis commendent Pontificii, non obſcurum legentibus eorum ſcripta eſſe poteſt. Verum ſi minus congruit voluntati divinæ, tantum abeſt, ut operi bonitatem conciliet, ut potius abominatio ſit coram Deo. *Non quod tibi videtur, ſed quod ego tibi præcipio, tantum facito, divina Majeſtas* inquit *Deut.* 12. *v.* 32. Item *Ezech.* 20. *v.* 19. *In præceptis & viis meis ambulate.* Intentionis bonæ exemplum in libro *Judicum c.* 17. *verſ. primis prioribus* occurrit, cum Micha & ipſius mater partem pecuniæ Deo deſtinantes Deaſtrum inde conflare jubet, ut cultui domeſtico vacare poſſent. Sed minus probanda eſt, quia non congruit ad normam, cum Deus nec in ima-

gine, nec quovis in loco, ſed quem ipſe conſtituerat, coli velit. Quod ſi jam opera præceptis divinis ſint conformia, intentionem etiam, ex qua profluxerunt, bonam fuiſſe, colligere licet. Quorſum pertinent ea, quæ de cultibus electitiis in ſuperioribus diximus.

§. 2. Uſus aphoriſmi hujus in didacticis eſt, ut cultum verum à fruſtraneo diſcernamus, nec bonæ intentioni, quod ipſi minus convenit, tribuamus.

§. 3. In polemicis adverſus Pontificios propter bonam intentionem ex fictitiis ſuis operibus cultus efficientes, uſus aphoriſmi hujus eſſe poteſt.

APHORISMUS II.

Bona opera non præcedunt juſtificandum, ſed ſequuntur juſtificatum.

SCHOLIUM.

391. §. 1.

NOn tantum iis, qui opera ex liberi arbitrii vitibus præſtita in cenſum bonorum operum referunt, ſed & quibusdam Aug. Confeſſionis Sociis, Collocutoribus Altenburgenſibus, nominatim Paulo Crellio, qui contritionem (non ſtantium, ſed) lapſorum peccata contra conſcientiam præſupponentem, antequam fides accedat, bonis operibus accenſent, dictum hoc *Auguſtini* poteſt opponi. Quantumvis enim contritio baptizatorum non ex ſolis naturæ vitibus eliciatur, ſed à Spiritu S. per conciones legales mundum arguente in peccatoribus talibus excitetur, inter Spiritum Sanctum tamen aſſiſtentem cordibus, & inhabitantem corda diſtinguendum. Peccatoribus quidem poſt peccata contra conſcientiam commiſſa dolentibus Spiritus S. aſſiſtit, & per malleum legis eorum corda pulſat, ſed per fidem demum inhabitat, *Apoc. 3. v. 20.* Aliis hæc περιεργασία comparatur cum aratione, quando ſcilicet Spiritus S. aratro legis agrum cordis præparat, ut ad excipiendum ſemen Evangelii fiat aptior. Formula Concordiæ ſtrictè dicta, ſive articulorum controverſorum epitome, ſcriptum Eccleſiarum noſtrarum Symbolicum th. 1. perſpicuis verbis idem effert: *Hæc noſtra fides, doctrina & confeſſio eſt: Quod bona opera veram fidem (ſi modò ea non ſit mortua, ſed viva fides,) certiſſimè atq; indubitatò ſequantur, tanquam fructus bonæ arboris.* Quibus etiam addi poteſt, quod Spiritus S. ita peccatores arguens, faciat opus alienum, ut poſſit facere proprium, id eſt, conſolationibus Evangelicis peccatores contritos erigere, ſeque Paracletum iisdem præſtare. Sed quia præſens aphoriſmus plus lucis ex ſequente accipiet, hic nihil amplius addimus.

§. 2. Uſus aphoriſmi hujus in Didacticis eſt, ut opera renatorum & irregenitorum licet in Eccleſia ſint, diſcernamus.

§. 3. In Polemicis adverſus dictos Collocutores, & qui cum iis tibias easdem inflant, & ex parte Pontificios, qui contritionem inter diſpoſitiones juſtificationis de congruo merentes referunt, uſus aphoriſmi hujus eſſe poteſt.

APHORISMUS III.

Placente perſonâ, placet opus.

SCHOLIUM.

§. 1.

SEd non niſi juſtificatus Deo placet, quia *ſine fide impoſſibile eſt placere DEO, Hebr. 11. v. 6.* Per fidem autem Deo placemus, quia complectitur illum, in quo 392. Deus

Deus ſibi complacet, *Matth. 3. v. ult.* Hinc Apoſtolus *dilectos nos in dilecto* dicit, *Eph. 1. v. 6.* Multo minus etiam gentilium opera, cauſis omnibus à veris bonis operibus diſcrepantia Deo placere, colligimus. Quantumvis autem Deus præmiis illa, quatenus legi conformia ſunt, afficiat, non tamen propterea Deo placent, quia tantum temporalibus, non æternis præmiis illa remetiri ſolet. *Amen, mercedem ſuam acceperunt, Matth. 6. v. 5.*

§. 2. Uſus aphoriſmi hujus in didacticis eſt, ut quibus bona opera tribuamus, inde diſcamus.

§. 3. In polemicis adverſus eosdem, quos in aphoriſmo præcedente notavimus, uſus illius eſſe poteſt.

APHORISMUS IV.

Bona opera ſunt via, non cauſa regnandi. It. Bona opera neceſſaria ſunt non ad ſalutem, ſed ante ſalutem.

SCHOLIUM.

§. 1.

SEnſus aphoriſmi hujus eſt, quod ordinis & anteceſſus ratione bona opera requirantur, antequam ſalutem actu conſequamur, non quod per modum cauſæ alicujus, ſive producentis, ſive conſervantis, ſive δι' ὃν, i. e. *ſine qua* non in ſalutem tanquam in effectum influant. Quod enim in via ſimus, ad metam ſenſim pergentes, ex *Matth. 5. v. 25.* Quod autem propter præceptum divinum ad metam illam candidam properantibus bona opera neceſſaria ſint, in ſuperioribus probavimus. Cauſæ ac meriti rationem hic omnem exulare, meriti requiſita ſuperius adducta docere poſſunt.

§. 2. Uſus aphoriſmi hujus in didacticis eſt, ut veram de neceſſitate bonorum operum ſententiam recte teneamus.

§. 3. In polemicis adverſus Pontificios, Majoriſtas & Academiæ Juliæ Profeſſores, uſus aphoriſmi hujus eſſe poteſt.

APHORISMUS V.

Jam Spiritus S. primitias accipimus, olim decimas.

SCHOLIUM.

§. 1.

INter alia, quibus bonorum operum merita Pontificii probare conantur, etiã eſt, quod ab infinito principio, nimirum Spiritu S. proficiſcantur. Verum præterquã 393.
quod inter agendi principium & ſubjectum hic diſtinguendum, etiam inter perſonam & dona Spiritus S. h. l. diſcriminandum venit. Etiamſi principium agendi ſit Spiritus S. ſubjectum tamen impurum, in quo ſuas operationes exercet, eſt homo. Si per canalem impurum tranſeat aqua pura, nonnihil impuritatis illa ſecum vehet. Præterea Spiritum S. non accipimus ἀμέτρως, vel ἐ κατὰ μέτρον, ut Chriſtus *Joh. 3. v. 34. & Pſ. 45. v. 8. Hebr. 1. v. 9.* ſed κατὰ μέτρον κανόνος, 2. *Cor. 10. v. 13.* vel κατὰ μέτρον τῆς δωρεᾶς, *Eph. 4. v. 7.* item ἀπαρχὴ τοῦ πνεύματος, *Rom. 8. v. 23.* Subjectum impurum (cum παλιγγενεσία non ἐλικῶς, ſed μιερικῶς hic perficiatur,) Apoſtolus ad *Rom. 7. v. 21.* ubi *volenti ſibi facere bonum, malum ſibi adjacere* dicit, & *Hebr. 12. v. 1.* ubi ſuper peccato εὐπερίστατον conqueritur, deſcribit. De cauſis autem, cur Deus in hac vita regeneret non ὁλικῶς, ſed reliquias peccati ſupereſſe ſinat, diximus alibi.

§. 2. Uſus aphoriſmi hujus in didacticis

eſt,

est, ut veram de regeneratione nostra doctrinam rectius teneamus.

§. 3. In polemicis adversus Pontificios, propter hoc principium bonis operibus meritum ex condigno adscribentibus, usus aphorismi hujus esse potest.

APHORISMUS IV.

Bona opera Deo placent, sed Deum non placant.

SCHOLIUM.

§. 1.

QUod Deo placeant, ex aphorismo tertio, Placente persona, placet opus, liquidum est: verum quod Deum non placent, patet 1. ex debito & imperfectione bonorum operum. 2. ex diserta scripturarum assertione *Matth. 16. v. 26.* Quod ἀντάλλαγμα, id est, *pretium redemtionis dabit homo, ut redimat animam suam?* Cui consonat istud *Ps. 49. v. 8. 9.* *Frater fratrem redimendo non redimet. Nimis magno siquidem constat, animam redimere.* 3. Quod in Christi placamen & satisfactionem hæc assertio sit injuriosa. *Christus enim animam suam dedit λύτρον pro multis, Matth. 20. v. 28. Semetipsum dedit ἀντίλυτρον pro omnibus, 1. Tim. 2. v. 6. Hic factus est ἱλασμὸς*, id est, *propitiatio non pro nostris tantum, sed pro totius mundi peccatis, 1. Joh. 2. v. 2. hujus sanguine justificati servamur ab ira, Rom. 5 v. 9.* Nec quicquam patrocinatur hic Pontificiis locus ad *Hebr. 13. v. 16. Beneficentiæ ne obliviscamini: talibus enim victimis placatur Deus.* Versio siquidem est vitiosa, cum in fontibus sit: Talibus enim 394
victimis εὐαρεστεῖται ὁ Θεὸς, id est, *delectatur Deus.* Unde in versione sua quoque reddidit Erasmus, ipse Pontificius: *Talibus enim victimis placetur Deo.* Lutherus: Denn solche Opffer gefallen GOtt wol. Et hac ipsa voce probatur aphorismi pars prima, quod bona opera Deo placeant.

§. 2. Usus aphorismi hujus in didacticis est, ut Christi meritum & bona nostra opera: vestimenta purissima, quibus nuditas nostra coram Deo tegitur, *Apoc. 3. v. 18. Es. 61. v. 11.* & pannum menstruatæ, *Es. 64. v. 6.* accurate discernamus.

§. 3. In Polemicis adversus Pontificios usus aphorismi hujus esse potest.

APHORISMUS VII.

Ubi opera non apparent extra, ibi fidem ne credas esse intra.

SCHOLIUM.

§. 1.

DIctum hoc fuit B. Martyris *Hussi*, qui judicium ex fructibus de arbore, nimirum ex operibus de fide, tulit. Notandum autem, vel in sensu negativo, vel affirmativo de bonis operibus ad fidem collectionem institui posse. In negativo hunc in modum, ut B. *Hussius* collegit: Ubi opera non apparent extra, ibi fidem ne credas esse intra. In affirmativo: ubi opera conspiciuntur extra, ibi fides est intra. In negativo, si nimirum quis nulla bona opera faciat, sed potius omnis generis flagitiis fræna laxet, infallibiliter colligitur, talem hominem fide non esse præditum. In affirmativo tantum probabiliter secundum canonem charitatis, quæ sperat omnia, quia etiam hypocritæ mediis salutis, verbo & Sacramentis, uti, &, ut conspiciantur ab hominibus, opera charitatis exercere possunt, etiamsi fide in Christum destituantur. Ejusmodi opera

solus

follis potius ficulneis, quam veris fructibus comparari possunt. Tale signum probabile etiam est externa professio fidei, cum quis dicit, se fidem habere; imo fallax, si suis operibus impiis contrarium testetur. Ideo Jacobus adversus Christianos titulares disputans, cum hoc signo, externa scilicet professione, vult etiam conjungi bona opera, ut certior fiat ejusmodi hominem credentem esse ac justificatum, *c. 2. vers. pluribus.*

§. 2. Usus aphorismi hujus in didacticis est, ne de credentibus & incredulis ex operibus judicantes aberremus, & ut judicium secundum canonem charitatis & veritatis, discernamus.

395. §. 3. In Polemicis adversus omnes eos, qui bona opera faciunt fidei formam, cum subseq. illius sit, usus aphorismi hujus esse potest.

APHORISMUS VIII.

Bona opera non nominibus, sed adverbiis sunt dijudicanda, i. e. Non tantum bona esse, sed & bene fieri debent.

Adjectiva parum prosunt, adverbia multum:
Non bona tam pensat, quam bene facta Deus.

Item: Bona gentilium opera sunt splendida peccata.

SCHOLIUM.

§. 1.

BOna sunt opera, quæ congruunt cum lege sive scripta, sive tabulis cordis insculpta: Bene autem fiunt, quando ad debitum finem, Dei, non nostram gloriam diriguntur. Dei enim gloria scopus ultimus actionum nostrarum esse debet. *Non nobis, non nobis, sed nomini tuo da gloriam*, Psaltes inquit *Ps.* 115. *v.* 1. Et ipse Salvator *Matth.* 5. *v.* 16. *Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant vestra bona opera, & glorificetur Pater in cœlis.* Viam præeunt Angeli *Es.* 6. *v.* 3. *Plena est omnis terra gloria ejus.* Et *Luc.* 2. *v.* 14. *Gloria in excelsis Deo.* Quod autem in præstandis bonis operibus gloriam nostram quærere non debeamus, Salvator ipse *Matth.* 6. *v.* 1. *& seqq.* nos edocet, cum inquit: *Attendite, ne præsletis eleemosynam vestram coram hominibus, quo spectemini ab illis: alioqui præmium non habebitis apud Patrem vestrum, qui est in cœlis.* Post aliqua. *Et cum oraveris, non eris, quemadmodum hypocritæ, qui solent in Synagogis & in angulis platearum stantes orare, ut conspicui sint hominibus. Amen dico vobis, quod habeant mercedem suam.* Quisquis itaque facit opera cum lege congruentia, sed illa non ad Dei, verum suam gloriam dirigit, is bona opera bene non facit. Quare Augustinus bona gentilium opera, quibus immortalitatis famam captabant, per accidens propter intermissum scilicet debitum finem, splendida i. e. in oculos incurrentia peccata vocavit.

§. 3. Usus aphorismi hujus in didacticis est, ut bona opera facientes, Dei, non nostram gloriam quæramus.

§. 4. In polemicis adversus eos, qui gentilibus bona tribuunt opera, usus aphorismi hujus esse potest.

Digitized by Google

396. APHORISMUS IX.

Non opera noſtra, ſed perſona, cujus ſunt opera, ſanguine Chriſti tingitur.

SCHOLIUM.

§. 1.

UT vim meritoriam noſtris operibus facilius aſſerant Pontificii, ſanguine Chriſti tincta vocant, quaſi Chriſtus ſuo merito vim meritoriam bonis noſtris operibus acquiſiverit. Verum quoties ſcriptura gratiæ divinæ & Chriſti merito bona noſtra opera opponit, & juſtificationem ac ſalutem iisdem derogat, toties veluti fulmine quodam ſententiam hanc proſternit. Quin potius propter adhærens peccatum ſanguine menſtruatæ deturpata dicit *Eſ.* 64. *v.* 6. Non interim negamus, perſonam juſtificatam ſanguine Chriſti tingi, prout Pſalmographus regius *Pſ.* 51. *v.* 9. *Hyſſopo* i. e. ſanguine futuri Meſſiæ *ſe aſperget* petit. Eſt enim in voce hyſſopi triplex metonymia, 1. materiæ pro materiato, cum hyſſopus pro adſpergillo ex hyſſopo confecto, 2. continentis pro contento, cum adſpergillum pro ſanguine brutorum, quo tingebatur, 3. ſigni pro ſignato, cum ſanguis brutorum pro ſanguine futuri Meſſiæ ſumitur. Sic *Joh.* 1. *ep.* c. 1. *v.* 7. *Sanguinem Jeſu Chriſti Filii Dei nos emundare ab omni peccato*, *Apoc.* 1. *v.* 5. *Jeſum Chriſtum, teſtem nos dilexiſſe, ſuoque ſanguine nos à peccatis noſtris lavaſſe*, dicit. Sic *Apoc.* 7. *v.* 14. *Juſti* dicuntur *dealbaſſe ſtolas ſuas in ſanguine agni*. Quibus verbis ad juſtitiam Chriſti meritoriam, extra nos poſitam, ſed tamen per fidem applicatam & realiſſime imputatam, nec non ad vim ſatisfactoriam ſanguinis Chriſti, (cum alias ſanguis, quo purganda erant vaſa templi V. T. cruentet & commaculet,) reſpectus habetur.

§. 2. Uſus aphoriſmi hujus in didacticis eſt, ut Chriſti juſtitiam & opellas noſtras diſcernamus, nec quod iſti competit, hiſce tribuamus.

§. 3. In Polemicis adverſus Pontificios uſus aphoriſmi hujus eſſe poteſt.

APHORISMUS X.

Bona opera eſſe ad ſalutem perniciosa, pernicioſe dicitur.

SCHOLIUM.

§. 1.

DIximus in ſuperioribus, Nicolaum Amsdorffium, nobili loco natum, & ad tempus Epiſcopum Numburgenſem, Lutheranum alias bonum, cum Georgio 397.
Majori neceſſitatem bonorum operum ad ſalutem propugnanti ferventius ſeſe oppoſuiſſet, *εἰς τὸν ἀντιλόγον* prolapſum, bona opera ad ſalutem pernicioſa ſtatuiſſe. Quæ ſententia ſi caperetur, ut verba ſonant, ipſa eſſet pernicioſa. Non tantum enim obſervationem mandatorum divinorum & gloriam Dei, certitudinem de juſtificatione noſtra, proximique commodum impediret, ſed & Epicuræiſmo fomenta ſuggereret. Non autem veriſimile videtur, cordatum iſtum Theologum Lutheranum phraſin hanc ſimpliciter, ut ſonat, accepiſſe, ſed ſi ſenſu Majoriſtico ad ſalutem neceſſaria venditarentur bona opera, vel in ipſis fiducia collocetur, pernicioſa dixiſſe.

§. 2. Uſus aphoriſmi hujus in didacticis eſt, ut veram & ſacris literis congruam de bonis operibus ſententiam, quod quidem neceſſaria ſint, ſed non ad ſalutem, verum alias ob cauſas ſuperius adductas, teneamus.

§. 3. In

§. 3. In polemicis adversus dictum Ambsdorfium, & ex parte Pontificios, formulam interreligionis, Majoristas veteres & novos, usus aphorismi hujus esse potest.

APHORISMUS XI.

Virtutes in se dilectio continet omnes.

SCHOLIUM.

§. 1.

COnceptus est hic aphorism. ad imitationem versus *Theognidis*, qui citatur libro 5. Eth. ad Nicomachum c. 1.

Ἐν δὲ δικαιοσύνῃ συλλήβδην πᾶσ' ἀρετή ἐστι.

i. e. Justitia in sese virtutes continet omnes.

Quod enim Philosophus de justitia universali, quæ vocatur alias τὸ νόμιμον, & nihil aliud est, quam complexus virtutum omnium, quatenus foras progrediuntur & πρὸς ἕτερον referuntur; idem Scriptura de dilectione dicit. Sic enim Apostolus ad *Rom. c. 13. v. 8. & 9. Nemini quicquam debeatis, nisi, ut invicem diligatis. Nam qui diligit alterum, legem implevit. Siquidem illud, non mœchaberis, non occides, non furaberis, non falsum dices testimonium, non concupisces, &, si quod aliud præceptum, in hoc sermone summatim comprehenditur: Diliges proximum suum, sicut teipsum.* Et ad *Gal. 5. v. 13. 14. Per charitatem servite vobis invicem. Nam tota lex in uno verbo completur, nempe hoc: Diliges proximum tuum sicut teipsum.* Quibus ex locis patet, quod de completione partium, non graduum agatur, quando dilectione lex impleri dicitur. Tota siquidem lex utraq; tabula comprehensa de nullo alio tractat objecto, quam de dilectione Dei & proximi. Frustra sunt igitur Pontificii, qui dilectione legem à nobis impleri posse dicunt. Quod si etiam eo gradu, qui requiritur à lege, *Deut. 6. v. 5. Lev. 19. v. 18.* scil. *ex toto corde, ex tota anima, ex omnibus viribus, & ex tota mente Deum, & proximum*, sicut nos ipsos diligeremus, tunc in locis citatis *Rom. 13. & Gal. 5.* forsan inveniissent Pontificii quod volunt. *Sed lex spiritualis est, nos carnales, venundati sub peccatum, Rom. 7. v. 14. Per carnem infirmata est, ut impletu nobis sit impossibilis, Rom. 8. v. 3. Nec vivificare nos potest, Gal. 3. v. 21.* Quod si quis ex illis locis *Rom. 13. Gal. 5.* ut & *1. Cor. 13. v. ult.* maximam virtutem maxime justificare collegerit, teneatur, in justificatione quidem legali, non autem Evangelica, qualis est nostra, propositionem dictam locum invenire: Fidem etiam, cum qua durationis ratione *1. Cor. 13. v. ult.* caritas confertur, in actu justificarionis non ut virtutem, sed ut ὄργανον ἀντιληπτικὸν & manum apprehendentem, (non operantem,) spectari.

§. 2. Usus aphorismi hujus in didacticis est, ut de virtutibus Theologicis, inprimis maxima, constet.

§. 3. In polemicis adversus Pontificios, locis istis ad adstruendam legis impletionem, in hac vita possibilem abutentes, usus aphorismi esse potest.

APHORISMUS XII.

Scripturæ verba in opera sunt convertenda.

SCHOLIUM.

§. 1.

CUm Theologia nostra sit practica, non sufficit scripturæ verba nosse & alios

398.

docere, ſed operibus ipſis exprimete. Non enim auditores legis juſti ſunt apud Deum, ſed qui legem factis exprimunt. *Rom. 2. v. 13.* Quibus conſonant verba Jacobi *c. 1. epiſtolæ ſuæ v. 22. & ſeqq. Estis autem effectores ſermonis & non auditores ſolum, fallentes vosmetipſos. Quoniam, ſi quis audiat ſermonem, nec eum factis exprimat, hic ſimilis eſt Viro conſiderant faciem nativitatis ſuæ in ſpeculo. Conſideravit enim ſeipſum & abiit, & ſtatim oblitus eſt, qualis eſſet. At qui proſpexerit in legem perfectam, quæ libertatis eſt, & permanſerit, hic cum non ſit auditor, ſed effector operis obli-*
399. *vioſus beatus facto ſuo erit.* Ubi tamē ad juſtitiā & ſalutem per opera conſequendam, non aliqualis legis per opera expreſſio, ſed numeris omnibus abſoluta perfectio requiritur. Nam, ut idem *Jac. 2. v. 10. 11. Quisquis totam legem ſervaverit, offenderit autem in uno, reus factus eſt omnium. Qui dixit, non mœcheris, dixit etiam non occides. Quod ſi non fueris mœchatus, occideris tamen, factus es tranſgreſſor legis.* Ubi etiam obſervetur, factores legis non credentibus, ſed auditoribus opponi.

§. 2. Uſus aphoriſmi hujus in didacticis eſt, ut Theologiæ naturam, quod practica ſit, non theoretica tantum, & Chriſtianus ex praxi potius, quam cognitione multa ſit æſtimandus, perſpectam habeamus.

§. 3. In polemicis adverſus Sophiſtas & Hypocritas in Papatu de lege multum diſſerentes, quin & ipſius obſervationi juſtitiam & ſalutem transſcribentes, factis autem non exprimentes, nec onera, quibus gravant alios, digito minimo (*Matth. 23. v. 4.*) attingentes, uſus aphoriſmi hujus eſſe poteſt.

APHORISMUS XIII.

Omnis Chriſti actio eſt noſtra inſtitutio. Ir. Vita Salvatoris, Ethica ſpiritualis.

SCHOLIUM.

§. 1.

PEtrus in epiſtola ſua 1. *c.* 2. *v.* 20. duos fines adducit paſſionis activæ & actionis paſſivæ Salvatoris, ſatisfactionem pro nobis, & exemplaris præſcriptionem, cum inquit: *Chriſtus paſſus pro nobis reliquit nobis ὑπογραμμὸν*, (i. e. *exemplar, vel modellum*, cujusmodi pueris literas pingere diſcentibus proponi ſolet,) *ut inſequeremini veſtigia ejus, qui* (*v.* 23.) *cum maledictis inceſſeretur, non regeſſit maledicta: cum malis afficeretur, non minabatur, ſed vindictam tradidit ei, qui judicat juſte.* Sic *Matth. 11. v. 29.* ſemetipſum ſiſtit exemplum imitationis, cum inquit: *Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde, & invenietis requiem animabus veſtris.* Et *Joh. 13. v. 15. Exemplum præbui vobis, ut, quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis.* Sunt quidem, præſertim ex Reformatis, qui dictum hoc *Gregorii M. Omnis Chriſti actio eſt noſtra inſtitutio*, nimis extendunt, & ad fractionem etiam panis in cœna (cum tamen nec ipſis, quomodo Chriſtus panem fregerit, conſter,) trahunt. Verum univerſalitas reſtricta, ſc. ad ea, in quibus Chriſtum poſſumus & debemus imitari, virtutes Chriſtianis dignas, venit intelligenda. Si enim ſimpliciter absque
400 ulla limitatione caperetur, ſequeretur, etiam miracula & perſonalia, quæ perſonam Chriſti non egrediuntur, nos imitari v. g. ſuper aquis, tanquam ſuper arida, incedere, mari ac ventis imperare, mortuos vitæ reſti-

reſtituere, legem numeris omnibus implere, Diabolum & mortem vincere debere. Sed alia Scriptura exprimit objecta, v. g. humilitatem, manſuetudinem, patientiam, charitatem, benefaciendi ſtudium & alias virtutes, quibus ad exemplar Chriſti componi debemus. Quod ſi jam via diſcendi aliquid eſt vel per præcepta, vel per exempla, & præcepta monent, exempla movent, in Chriſti vitam intuentes velut ex Ethica ſpirituali, dictas virtutes, ita ut non factis tantum, ſed & geſtibus & affectibus Chriſto conformemur, & ipſe velut ex oculis auribus, ore, tota facie, manibus, pedibus & omnibus membris noſtris eluceſcat, addiſcamus. Sed quia tamen iſta imitatio multis modis eſt imperfecta, tendens ad perfectionem ulteriorem, nec juſtitia noſtra coram Deo, nec ſalus æterna ipſi venit adſcribenda.

§. 2. Uſus aphoriſmi hujus in didacticis eſt, ut quibus in partibus Chriſtum imitari debeamus, nobis conſtet. Ubi præprimis ex *c. 2. Epiſt. 1. Petri*, quod retorſio Chriſtiano, quatenus talis eſt, & quatenus vult imitari Salvatoris ſui exemplar, (qui cum impeteretur convitiis convitia non regeſſit,) non ſit licita; cauſam verò & innocentiam ſuam Deo juſtiſſimo judici commendare, (quod tamen in foro politico malè audit,) licitum ſit, diſcimus.

§. 3. In polemicis adverſus eos, qui vel dictum hoc nimis extendunt, ut Calviniani, vel imitationi Chriſti juſtificationem noſtram adſcribunt, ut ſunt Pontificii, Weigeliani, & alii Fanatici, uſus aphoriſmi hujus eſſe poteſt.

APHORISMUS XIV.

Ordinata charitas incipit à ſeipſa.

SCHOLIUM.

§. 1.

CUm φιλαυτία male audiat, num ſalutem proximi noſtræ præferre debeamus, quæritur. Reſpondemus autem, φιλαυτίαν vel eſſe licitam, in natura fundatam, vel illicitam. Non prior, qua quis in ſeipſum non ſit injurius, ſed ſuæ ſaluti, ſuisque rebus ſtudet; verum poſterior cum detrimento & contemtu proximi, quin & vana perſuaſione conjuncta, malè audit. Probatur aphoriſmus, quod charitas noſtri norma ſit charitatis proximi, prout jubemur proximum diligere ſicut 402
nos ipſos, non ſupra nos, *Lev. 19. v. 18. & Matth. 22. v. 39.* Unde gentilium quoque dicteria ex lege naturæ cordibus omnium inſculpta profecta: Γνῶ κνήμης ἔγγυον i. e. Genu ſura propius, &, proximus ſum egomet mihi. Item: Agris meis ſitientibus, alienos irrigare non teneor. Cui conſonat illud Apoſtoli, quod habet *2. Cor. 8. v. 13.* Non ſic dandum, ut aliis ſit relaxatio, nobis anguſtia, ſed ut noſtræ copiæ ſuccurrant aliorum inopiæ. Et quod Regum ſapientiſſimus, *Prov. 5. v. 16. & 17.* protulit: Fontes tui deriventur foras, tu verò ſis Dominus eorum. Ubi quidem partem aliquam χρήσεως extraneis concedit, κλῆσιν autem & dominium proprietario relinquit. Cum verò Moſes pro ſalute Iſraelitarum ex libro vitæ deleri, *Exod. 32. verſ. 32.* & Paulus ἀνάθεμα pro fratribus fieri optat, *Rom. 9. v. 5.* motus heroicus καθ' ὑπερβολὴν ἀγάπης agens à Theologis nominatur, & tacitam hoc vorum involvit hypotheſin, ſi fieri poſſit, ut unus pro altero ἀνάθεμα fieri poſſet. Sed frater fratrem redimendo non redimet, *Pſ. 49. v. 8.* Ideò non dicit ἔυχομαι, ſed ἠυχόμην, (ubi Camerarius

rarius particulum ἄν commodè ſubaudit,) ſi votis res eſſet agenda: Moſes verò interceſſionis ſuæ repulſam tulit.

§. 2. Uſus aphoriſmi hujus in didacticis eſt, ut, quid nobis, quid proximo debeamus, probè teneamus.

§. 3. In polemicis adverſus eos Pontificios, qui pro adſtruenda ſua ſententia, quod lex impletu ſit poſſibilis, exempla Moſis & Pauli, qui plus, quam ſemetipſos, populum ſuum dilexerint, (cum tamen votum fuerit conditionatum, eventu minimè completum, nec à DEO probatum, quin & ſaltem quoad gradum, non partes legis impletio fuiſſet;) nobis objiciunt, uſus aphoriſmi hujus eſſe poteſt.

APHORISMUS XV.

Indigis, licet indignis, benefaciendum.

SCHOLIUM.

§. 1.

REquirit id Salvator, *Matth. 5. v. 43. Audiviſtis, quod dictum ſit: Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. At ego dico vobis, diligite inimicos veſtros, benè precemini devoventibus vos, benefacite iis, qui vos odio proſequuntur, & orate pro iis, qui ladunt & inſectantur vos, ut ſitis filii Patris veſtri, qui eſt in cœlis, quia Solem ſuum exoriri ſinit ſuper malos & bonos, & pluvias mittit ſuper juſtos & injuſtos. Nam ſi dilexeritis*
402 *eos, qui diligunt vos, quod præmium habebitis? Nonne Publicani faciunt idem? Et ſi complexi fueritis fratres tantum veſtros, quid eximium facitis? Annon & publicani ſic faciunt?* Ubi notetur, hanc legis doctrinam nullatenus Moſi, ſed perverſæ Phariſæorum ſententiæ ac corruptelis legis opponi. Non dicit Salvator ſcriptum eſt, vel traditum à Moſe, ſed audiviſtis à Majoribus veſtris, qui poſt Maccabæorum tempora vixerunt. Nec Moſes inimicos odio habere, ſed illis benefacere juſſit, *Exod. 23. v. 4, & 5. Si videris bovem inimici tui aberrantem, in viam ipſum revocabis: Si videris aſinum inimici tui ſub onere ſuccumbentem, ipſum levabis.* Sic iram, odium, vindictam, *Lev. 19. v. 17. & 18.* prohibuit. Salvator rurſus citato, *cap. 5. Matth. v. 42.* nulla facta differentia perſonarum dicit: *Petenti abs te, dato.* Salvatori ſuccinit Apoſt. *Gal 6. v. 10. Dum tempus habemus, operemur bonum erga omnes, maximè verò erga fidei domeſticos.* Ubi Apoſt. objectum adæquatum & principale conjungit. Adæquatum facit omnes homines, principale fidei domeſticos, vel conſanguineos. Agnoverunt hoc ipſum gentiles etiam, (in quibus ſcintilla diffuſa fuit lucis melioris,) ſi forſan, an dignis, an indignis benefacerent, ancipites hærebant, tunc non homini, tamen humanitati beneficium exhibendum, dixerunt. Cum autem Salvator campum hunc ingreſſus, *Matth. 5. v. 43.* dicit: *Cupientem abs te accipere mutuum ne, averſeris*, quid de mutuo & uſuris ſentiendum, quæritur. Ubi ad diverſa genera hominum mendicorum, pauperum domeſticorum & divitum, qui pecuniis aliorum ſua quærunt lucra, reſpiciendum. Mendicis, quos ipſe Deus à pauperibus diſcernit, *Deut. 15. verſ. 4. & 11.* eleemoſyna, non mutuo ſuccurrendum: pauperibus domeſticis pecunia ſine interuſurio mutuo danda, divitibus autem, qui lucroſas exercent artes, & aliorum dispendiis ſua lucra quærunt, pecunia cum uſuris, non quidem mordentibus, ſed compenſatoriis eſt credenda. Cujus enim

enim est incommodum, illius etiam est commodum.

§. 2. Usus aphorismi hujus in didacticis est, ut de objecto, cui benefaciendum sit, certi simus.

§. 3. In polemicis aliqualis usus adversus Socinianos, qui pro novo Christi præcepto beneficium inimicis exhibendum venditant, ac si non obtinuisset in V. Testamento, aphorismi hujus & explicationis ejusdem esse potest.

APHORISMUS XVI.

Bona opera non pariunt gratiam, sed pariuntur à gratia.

403 SCHOLIUM.

§. 1.

NOn pariunt gratiam, quia multis modis sunt imperfecta & peccatis contaminata: proinde gratiæ potius opponuntur, *Rom.* 11. *v.* 6. Et *Eph.* 2. *v.* 8. 9. *Quod sit operibus, jam non ex gratia, &c.* Gratia etiam & donum ex gratia sibi contradistinguuntur in Scripturis, ut *Rom.* 5. *v.* 15. *Si per delictum unius multi mortui sunt: multo magis gratia Dei & donum per gratiam, quæ fuit unius hominis Jesu Christi, exuberavit in multos.* Pariuntur à gratia: *Quid enim habes homo, quod non accepisti? si jam accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Apost. 1. *Cor.* 4. *v.* 7. dicit. Sic dona spiritualia, quorum mentio prius erat injecta, *unus idemq; Spiritus, distribuens unicuilibet, prout vult*, operari dicitur 1. *Cor.* 12. *v.* 11. Et ad *Eph.* 4. *v.* 7. *Unicuiq; nostrum data est gratia juxta mensuram donationis Christi.* Ubi per gratiam non justificans, quæ datur omnibus ἴσῳ μέτρῳ (nec enim est differentia, *Rom.* 3. *v.* 22.) sed sanctificans, vel dona ex gratia profecta & inæqualiter distributa intelliguntur. Ideò locum, *Ps.* 68. *v. octavo statim* subjungit Apostolus: *Quapropter dicit: Cum ascendisset in altum, captivam duxit captivitatem, & dona dedit hominibus.*

§. 2. Usus aphorismi hujus in didacticis est, ut de causa & effectu bonorum operum (si de gratia sermo sit,) veram sententiam teneamus.

§. 3. In Polemicis adversus Pontificios opera meritoria gratiæ facientes, (quod cum negemus, nos opericidas & fidefolarios vocant,) usus aphorismi hujus esse potest.

APHORISMUS XVII.

Gratia datur, non quia bona opera fecimus, sed ut ea facere valeamus.

SCHOLIUM.

§. 1.

POntificii duplex faciunt meritum, congrui & condigni. Congrui, cum quis facit, quod per naturam facere potest. Tunc enim congruum esse dicunt, ut Deus ejusmodi homini det gratiam. Condigni, quod habet proportionem ad mercedem. Verum utrumque recto subsistere talo nequit. Quantumvis enim actiones pædagogicas & Ecclesiasticas, quæ sunt ἐφ' ἡμῖν, ut legere Scripturas, adire templum, audire concionem &c. libenter admittamus, dispositiones tamen ad gratiam, vel actiones de congruo merentes nullate- 404
nus agnoscimus. Gratia enim non est gratia ullo modo, nisi gratuita sit omni modo: nec opera placent, (consequenter pro bonis operibus Theologicè dictis venditari non possunt,) nisi placeat persona. Sed *sine fide impossibile est placere Deo. Hebr.* 11. *v.* 6. Herodes quidem ἡδέως i.e. *libenter* & cum quadam delectatione Johannem Baptistã audie-

audiebat, *Marci c.6. v.20.* Sergius desiderabat audire Paulum, *Act.13. verſ.7.* Sed actiones hæ ab irregenitis profectæ gratiam de congruo non meruerunt. Quantumvis unus altero citius convertatur, non tamen magis diſpoſitus, ſed minus indiſpoſitus ad gratiam dici poteſt. Ut lignum, quod minus eſt humidum, non magis diſpoſitum ad combuſtionem, ſed minus indiſpoſitum dicendum, eſt; propterea, quod humiditas ad combuſtionem non diſponat, ſed illam potius impediat: Sic, qui peccatis minus indulget, minusque Spiritus S. operationibus reſiſtit, non magis diſpoſitus, ſed minus indiſpoſitus ad converſionem dicendus, quia peccatum ad converſionem non disponit, ſed eandem magis impedit. De merito condigni, quod ad *Rom. 8. v. 18.* in terminis excluditur, diximus alibi.

§. 3. Uſus aphoriſmi hujus in didacticis eſt, ne liberi arbitrii vires nimis extendamus, aut actionibus noſtris pædagogicis vim aliquam merendi gratiam adſcribamus.

§. 3. In polemicis adverſus Pontificios uſus aphoriſmi hujus eſſe poteſt.

Locus XV.

De

SACRAMENTIS.

§. 1.

VOx Sacramenti, quando de mediis conferendi, augendi & obſignandi gratiam uſurpatur, non eſt Biblica, ſed Eccleſiaſtica. Significationes autem varias obtinet, cum interdum pro juramento, præſertim militari v. g. Sacramentum dicere; interdum pro pecunia in loco ſacro depoſita, ut Sacramento cum aliquo contendere; interdum pro ſigno ſacro, vel quavis re ſacra, ut in ſubjecta materia ſumitur. Significatum vocis hujus nimis extendunt Pontificii & Calviniani. Pontificii, quando ritibus etiam aliis, ut-
405 pote confirmationi, pœnitentiæ, ordinationi, conjugio & extremæ unctioni, quibus tamen requiſita Sacramenti propriè dicti deſunt, hoc nominis attribuunt: Calviniani, cum vocis ſignificatum pro ſigno ſacro fortius impreſſuri, etiam de aliis rebus vocabulum hoc efferunt. v. g. Quando dicere deberent, ſacrificia V. T. typicè peccata expiaſſe, dicunt, ſacramentaliter expiaſſe. Differunt autē Sacrificium & Sacramentū, quod in illo nos demus aliquid Deo v. g. pecudem, placentam &c. in hoc Deus aliquid det nobis. Referuntur enim ad organa ſalutis δεϊκτικὰ & exhibitiva ex parte Dei, & ſunt manus Dei porrigens, quâ Chriſti meritum tanquam χειμήλιον aliquod pretioſiſſimum nobis offertur.

§. 2. Definitur Sacramentum vel brevius, vel plenius. Brevius definit Auguſtinus, quod Sacramentum ſit inviſibilis

gratiæ

gratiæ visibile signum. Licet autem hæc definitio communis sit utriusque Testamenti Sacramentis, quia tamen potius naturam relatam, quam absolutam Sacramenti attendit, nec rei cœlestis mentionem facit, pro descriptione potius, quam vera definitione agnoscimus. Plenior est, quod Sacramentum sit actio sacra & solennis, qua Deus per Ministrum suum dispensat rem certam peculiari verbo institutam ad offerendam & credentibus applicandam atq; obsignandam gratiæ promissionem.

§. 3. Generis loco assignatur actio, quia in sede cujuslibet Sacramenti propria per actiones, ut circumcidite sc. præputium, manducate sc. agnum paschalem, baptizate sc. omnes gentes, accipite, manducate sc. corpus meum, bibite sc. sanguinem meum, Sacramenta describuntur. Unde Germanis heilige Handlungen / rectè dicuntur. Actio Dei, quia, ut audivimus, Deus in Sacramentis aliquid nobis dat, vocatur. Actio sacra est non tantum efficientis & finis ratione, quod à Deo ad salutem nostram Sacramenta sint instituta, sed etiam res sacras tractent: Solennis, quod in publico Ecclesiæ cœtu sc. ordinarie, peragenda sit, ut 1. *Cor.* 11. *v.* 20. inquit Apostolus: Συνερχομένων ὑμῶν i. e. congregatis vobis. Unde S. Cœna Synaxis vocatur. Ubi tamen casus necessitatis, si nimirum periculum mortis immineat, excipitur. Tunc enim in ædibus privatis & baptismus & cœna dispensari potest.

§. 4. Causa efficiens principalis est ipse Deus, in cujus manu est salutis media instituere. Hic Sacramenta non tantum instituit, sed & ipse dispensat. De Veteris Test. Sacramentis, circumcisione *Gen.* 17. & agno Paschali, *Ex.* 12. res in aprico est. Novi Testamenti Sacramenta Christus θεάνθρωπος, & quidem secundum officium Propheticum, ad quod non tantum 406
doctrina, sed & additio sigillorum spectabat, instituit. Ideo *Matt.* 28. *v.* 18. præmittit: *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra. Euntes ergò docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus S.* Humana siquidem natura quoque (ut officiorum functiones Christo secundum utramq; naturam competunt,) per unionem personalem in hoc consortium venit. Causa ministerialis, instrumentalis & organica, sunt Ecclesiæ Ministri. Ubi tamen rursus necessitatis casus excipitur. Cum enim secundum effatum Salvatoris, *Regnum Dei non possit ingredi, nisi qui regeneratus fuerit ex aqua & Spiritu, Joh.* 3. *v.* 5. Si ministri copia fieri non potest, etiam à Laico, ad declinandum salutis periculum, præsertim cum non destituamur exemplis, baptismus administrari potest. Sunt quidem nonnulli de cœna idem statuentes: sed quia par necessitatis gradus non est utriusque Sacramenti, cum Baptismus institutionis, S. Cœna confirmationis Sacramentum sit, emergente tali casu, potius ad manducationem spiritualem Eucharistiæ cupidos remittimus, secundum illud Augustini: Crede & manducasti.

§. 5. Res, quæ dispensatur, duplex est, terrena & cœlestis. Sed inter Vetus & N. T. hoc interest, quod ibi materia cœlestis fuerit typica, hic in N. Christus ipse per umbras præfiguratus. De specialibus suo loco docebitur pluribus. Verbum duplex est, vel institutionis, vel promissionis. E. g. in Baptismo verbum institutionis habetur, *Matth.* 28. *v.* 19. *Baptizate omnes gentes in*

nomine Patris, Filii & Spiritus S. Verbum promissionis *Marci 16. v. 16.* continetur: *Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit.* In Cœna verbum institutionis est: *Hoc est corpus meum, hoc est sanguis meus Nov. Test. Matth. 26. v. 26. 28.* Verbum promissionis: *quod pro vobis datur, quod pro vobis effunditur in remissionem peccatorum. Luca 22. v. 19. 20.* Verbum enim pro vobis, ut Lutherus in catechesi minore loquitur, requirit omninò corda credentia.

§. 6. Forma in ipsa posita est actione, quæ vel pluribus, vel pauciotibus actibus principalibus integratur. In Baptismo principales actus sunt applicatio aquæ, sive immergendo, sive adspergendo fiat, & pronunciatio verborum: *Baptizo te in nomine Patris, Filii & Spiritus S.* Horum unus si desit, forma Sacramenti hujus non est integra, sed mutila. In S. Cœna forma Sactamentalis quatuor actibus principalibus integratur, consecratione, distributione, manducatione & bibitione. Horum unus si posthaberetur, forma Sacramenti non esset integra. Principalibus actibus serviunt ministeriales, ut fractio panis, vel comminutio in partes distribu-
407 tioni servit. Per Sacramenta promissio gratiæ cuilibet in individuo, qui Sacramentis utitur, applicatur. Ubi enim promissio, ibi ex nostra patte fides requiritur. Ubi manus Dei porrigens, ibi nostra tequiritur apprehendens. Unde dicitur: Non Sacramentum, sed fides Sacramenti justificat. Obsignatur etiam promissio gratiæ per Sacramenta, prout circumcisio *Rom. 4. v. 11.* σφραγὶς δικαιοσύνης τῆς πίστεως, i. e. *signaculum justitiæ fidei* nuncupatur. Aqua etiam & sanguis (qua voce συνεκδοχικῶς cœna innuitur,) inter testes terrestres de salute nostra, *1. Joh. 5. v. 8.* numeratur. Tantum de definitione.

§. 7. Quia verò circa numerum Sacramentorum inter nos & Pontificios controvertitur, de Augustini regula, quæ veluti Lydius lapis est in hac controversia, nonnihil adspergemus. Illa verò sic habet: Accedat verbum ad elementum & fit Sacramentum. Hæc regula per inductionem ex iis Sacramentis, quæ omnium concessione talia sunt, (prout ipsi Pontificii methodum hanc probant,) Baptismo nimitum & cœna, fuit exstructa. In utroque enim elementum terrenum, & in Baptismo quidem aquam, medium ὑποβλητὸν i. e. patatu facile, in cœna panem & genimen vitis: in utroque verbum institutionis & promissionis, quod jam modò in evolutione definitionis ostendimus, reperire licet. Quare, sive prædicata venemur essentialia, (ut methodum hanc vocant Analytici,) sive numerum numerabilem ex *1. Joh. 5. v. 8.* attendamus, non plures, nec pauciores ritus sacros, quam duos, in quos Augustini regula quadret, nimirum Baptismum & cœnam dari, consequenter, duo tantum esse Novi Test. Sacramenta propriè dicta reperimus. Pœnitentiam quod attinet, licet *Apologia Confessionis Aug. art. 3.* inter Sacramenta eandem numeret, vox tamen Sacramenti propriissimè ibidem non accipitur. In comparatione siquidem ad 4. Sacramenta Pontificiorum spuria, confirmationem, ordinationem, conjugium & extremam unctionem, propter specialem & individualem remissionis peccatorum applicationem, quam cum Sacramentis propriissimè dictis pœnitentia cum absolutione conjuncta communem habet, inter Sacramenta N. T. refer-

Powered by Google

refertur, sed quia destituitur elemento visibili, cum Baptismo & cœna in eundem censum non venit. Verba, quæ leguntur in *Apologia Conf. Aug. art.* 13, sic habent: *Si Sacramenta vocamus ritus, qui habent mandatum Dei, & quibus addita est promissio gratiæ; facilè est judicare, quæ sint propriè Sacramenta. Nam ritus ab hominibus instituti non erunt hoc modo propriè dicta Sacramenta. Non est enim auctoritatis humanæ promittere gratiam.* 408 *Quare signa sine mandato Dei instituta, non sunt certa signa gratiæ, etiamsi fortasse rudes docent, aut admonent aliquid. Verè igitur sunt Sacramenta Baptismus, Cœna Domini, absolutio, quæ est Sacramentum pœnitentiæ. Nam hi tres ritus habent mandatum Dei & promissionem gratiæ, quæ est propria Novi Test.* Ex his patet, quorsum respexerint hac ἐξηχοπμία Confessores, quod sc. non tam ad regulam Augustini, quam ad præsupposita, divinum mandatum & promissionem gratiæ, attenderint. Sin verò Augustini regula ex sede propria cujuslibet Sacramenti extructa altius expenditur, elementum visibile pœnitentiæ deesse, deprehenditur. Jam ad hanc obrussam examinabimus Sacramenta Pontificiorum reliqua. Confirmatio (quæ tamen non omnibus, sed ditioribus duntaxat in Papatu obtingit, & per Episcopos administratur,) verbo institutionis, promissionis & elemento caret. Licet enim oleo Catechumenorum confirmandos inungant, illud tamen non est divinitus mandatum, sed humanum inventum. Ordinatio pro legitimæ vocationis testimonio solenni sumta, licet exempla, non tamen mandatum in sacris habet: nec gratiæ promissionem habet adjunctam. Impositio manus (ritus alias generalissimus, quo victimis imponebantur peccata, quo benedicebatur, quo segregatio instituebatur,) actus quidem est, sed non elementum. Conjugium N. T. Sacramentum esse nequit, cum in V. quoque Test. imò etiam inter gentiles locum invenerit, nec verbum promissionis nec elementum divinitus institutum habeat. Eadem requisita verbum institutionis, promissionis & elementum Sacramento extremæ unctionis quoque desunt. Utut enim oleum infirmiorum hic adhibeant Pontificii, nullum tamen in Scripturis habet fundamentum. Oleum autem, quo *Marci c. 6. v.* 13. & *Jacobi 5. v.* 14. ungebantur infirmi, non ad remissionem peccatorum, sed ad sanationem corporis, cum donum miraculorum adhuc obtineret in Ecclesia, conducebat. Numerum quidem Sacramentorum ante Lombardi tempora, qui vixit in centuria currente duodecima, & propter perfectionem septenarii Sacramentorum numerum ad hunc ipsum revocavit, in Ecclesia nondum determinatum fuisse scimus, interim ex antiquioribus ad numerum binarium plures inclinasse, constat. Si septenario numero pugnandum, etiam ad binarium, duos Cherubinos, duas tabulas Mosis, duos gladios, duos grossos &c. provocare possemus. Sed lubricis his fundamentis à numeri perfectione desumtis insuper habitis, solidioribus ex ipsa natura Sacramentorum desumtis inhæremus.

APHORISMUS I. 409

Sacramenta sunt verbum visibile.

SCHOLIUM.

§. 1.

DE hoc *Augustini* dicto Confessionis Augustanæ apologia art. 13. sic inquit: *Sicut verbum incurrit in aures, ut*

feriat corda: ita ritus ipse (Sacramentum, de quo loquitur,) incurrit in oculos, ut moveat corda. Idem affectus est verbi & ritus, sicut præclarè dictum est ab Augustino, Sacramenta esse verbum visibile, quia ritu oculis accipitur, & est quasi pictura verbi, significans idem quod verbum. Quare idem est utriusq; effectus. Hæc Apologia. Quia nimirum secundum istud Poetæ de arte Poet.

Segnius irritant animos demissa per aures,
Quam quæ sunt oculis subjecta fidelibus &c.

& istud tritum: Certior aure arbiter est oculus. Deus clementissimus infirmitati nostræ consulere, verboque audibili certas ceremonias, quibus verbum quasi vestitur & pingitur, adhibere voluit, ut iisdem fides nostra magis corroboretur & obsignetur: de sensibus reliquis gustu & tactu nihil adjiciemus imprætentiarum. Verè siquidem cum Psalmographo ex *Ps. 34. v. 8.* hic dicere possumus: *Gustate & videte, quam suavis sit Dominus; Beatus Vir, qui confidit in eo.*

§. 2. Usus aphorismi hujus in Didacticis esse potest, ut inde divinam benignitatem & salvandi studium agnoscamus. Cum enim e. g. promissio, quod Christus corpus suum pro nobis in mortem tradiderit, & sanguinem suum pro nobis in remissionem peccatorum effuderit, ut pro nostris sacris traditur, sufficere posset; sub certis mediis visu, gustu & tactu perceptibilibus illud ipsum corpus, quod pro nobis in mortem traditum fuit, ore comedendum, & illum ipsum sanguinem, qui pro nobis in remissionem peccatorum effusus est, ore bibendum præbet, & ita promissionem gratiæ annexam convivis hujus epuli singulis offert. Id quod verba dispensantis solatio plena clarius exprimunt: Accipe, hoc est corpus Christi pro peccatis tuis in mortem traditum, quod confirmet & conservet te ad vitam æternam.

§. 3. In Polemicis adversus Socinianos ex Baptismo ritum adiaphorum; ex Cœna opus nostrum, annunciationem mortis Christi repræsentativam, facientes; ut & Calvinianos aphorismum gratiæ mediis opponentes, & signa fallacia, fructu suo cassa, etiam ex intentione Dei, statuentes, usus aphorismi hujus esse potest. Hanc ob causam dicti Reformati formulam in Ecclesiis nostris usitatam, quando cum symbolis divinitus ordinatis corpus & sanguis Dominicus porrigitur, false perstringunt, & aliam ex 1. *Cor.* 10. *v.* 16. Panis, quem frangimus, est κοινωνία corporis Christi: poculum, cui benedicimus, est κοινωνία sanguinis Christi, applicationem individualem infringentes, substituunt. 410

APHORISMUS II.

Sacramenta sunt sigilla promissionibus Evangelicis annexa, i. e. Non ad legem, sed ad Evangelium pertinent.

SCHOLIUM.

§. 1.

QUemadmodum Magnates suis decretis & rescriptis, quo plus fidei accipiant, sigilla, vel bullas aureas appendunt, prout lex Carolina de Imperatorum electione, Principum Electorum successione ac officiis, ab appenso sigillo aureo nomen aureæ bullæ accepit: Sic Deus ter opt. Max. verbo promissionis Sacramenta, ceu sigilla, quæ fidē nobis magis faciāt, adjecit.

Unde

Unde circumcisio (consequenter & reliqua Sacramenta,) σφραγὶς τ δικαιοσύνης τ πίστως ab Apostolo *Rom.* 4. *v.* 11. nuncupatur. Nec obstat, quod circumcisio & agnus Paschalis Sacramenta V. T. nuncupentur. Vetus enim Test. ut variis modis accipitur, ita h. l. non pro pacto legali, sed pro tempore umbrarum, quod tempori correctionis opponitur, vel pro tempore ante Christum exhibitum supponit. Addo, quod in V. T. vel Instrumento, scriptis Mosis & Prophetarum, ipsorum institutio & usurpatio describatur. Justitia fidei, cujus signaculum erat circumcisio, certe non ad legem, sed Evangelium, vel gratiæ promissionem, quæ non secus erat in Veteri, quam N. Testamento, pertinebat. Ideo generalis definitio Sacramentorum, quod sint invisibilis gratiæ visibilia signa, tam Veteris, quam Novi Test. Sacramentis competit. In hoc tantum â N. Test. Sacramentis absunt, quod umbram futurorum (non fructus antrorsum & retrorsum extensi) sed rei cœlestis habuerint. Antequam autem instituerentur Sacramenta, per Sacrificia, quæ finis ratione aliquid Sacramentale continebant, promissio gratiæ applicabatur.

431. §. 2. Usus Aphorismi hujus in didacticis est, ut legem ab Evangelio discernentes, Sacramentorum finem rectius cognoscamus.

§. 3. In polemicis adversus Socinianos, & nomen & rem Sacramenti penitus rejicientes, conciones legales totius Scripturæ scopum facientes, per Evangelium concionem de danda immortalitate obtemperantibus novis Christi præceptis intelligentes &c. usus aphorismi hujus esse potest.

APHORISMUS III.

De quolibet Sacramento judicandum est ex propria sede.

SCHOLIUM.

§. 1.

SEdes propria est, ubi ex professo, non incidenter de aliqua materia tractatur. Hæc vel locis parallelis, vel heterogeneis opponitur. E. G. Sedes propria doctrinæ de cœna *Matth.* 26. *Marci* 14. *Luca* 22. ubi describitur ipsa cœnæ institutio, continetur. Locus parallelus est *in* 1. *Cor.* 10. *v.* 16. *Panis, quem frangimus, nonne communicatio est corporis Christi? Poculum, cui benedicimus, nonne communicatio est sanguinis Christi?* Sed heterogeneus prorsus *caput* 6. *Johannis*, ubi de manducatione spirituali, quæ nobis cum Patribus V. T. communis est, ad salutem semper prodest, & extra cœnæ usurpationem fieri potest, sermo est. Cœna siquidem in ea nocte, qua Christus traditus fuit, instituta: Concio illa vel biennium antecessit, nec ullam Symbolorum mentionem fecit. Regulam hanc exemplo suo stabilivit Apostolus, cum suos Corinthios de sacra cœna informaturus, non ad *caput* 6. *Johannis*, sed ad verba institutionis, prout apud *Matth. c.* 26. *Marcum c.* 14. *Lucam c.* 22. habentur, provocat. Non parum autem interest, an ex homogeneis, an ex heterogeneis quæsitum aliquis probet, ita, ut Logici & Theologi accuratiores probationem ex heterogeneis pro μεταβάσει εἰς ἄλο γίνος habeant.

§. 2. Usus aphorismi hujus in didacticis est, ut de fundamentis solidis, præsertim cum de summis fidei articulis controvertitur, solliciti simus.

§. 3. In polemicis adversus Calvinianos, qui palæstram super articulo de cœna & orali manducatione ingredientes, *ad c. 6. Iohannis* tanquam ad sacram anchoram confugiunt, & inde suos errores probare conantur, usus aphorismi hujus esse potest.

412. ## APHORISMUS IV.

Autoritate humana Sacramentum nec institui, nec in instituto vel augeri, vel minui potest.

SCHOLIUM.

§. 1.

CUjus enim est promittere gratiam & salutem, illius etiam est promissioni addere certa sigilla. Sed solius Dei hoc est. E. Solius Dei dico, quatenus exclusiva vel φιλανθρώποις, vel etiam Angelis opponitur. Christum vero quod attinet, ille θεάνθρωπος est, & secundum officium suum Propheticum (quod ut & reliqua, secundum utramque naturam sustinuit, vi axiomatis Theologici, Propter officium persona requirebatur θεάνθρωπος) Sacramenta Novi fœderis instituit. Stantibus his, nec Patres, nec Pontifices R. nec Concilia ex ritibus, qui Sacramenta próprie dicta non sunt, Sacramenta facere possunt: nec audiendum *Concilium Tridentinum*, quod *sessione septima* sub anathematis formula sic decernit: *Si quis dixerit, Sacramenta novæ legis esse plura, vel pauciora, quam septem, videlicet, Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam unctionem, Ordinem & Matrimonium: aut etiam aliquod horum septem non esse vere ac proprie Sacramentum, anathema sit.* Ut autoritate humana Sacramentum institui nequit: Sic etiam augeri, vel minui nequit. Quare canon Concilii Constantiensis, vel Obstantiensis potius, licet Christus dixerit, bibite ex hoc (consecrato calice) omnes, hoc tamen non obstante, sancit Ecclesia, ut imposterum probabiles ob rationes (transsubstantiationem præsupponentes) tamen Clerici conficientes de sanguine Christi participent, laici vero una specie sint contenti &c. ad orcum est damnandus.

§. 2. Usus aphorismi hujus in didacticis, est, ut de autore Sacramentorum, ut & numero proprie dictorum, certi simus.

§. 3. In polemicis adversus Pontificios & numerum Sacramentorum augentes & ab ipso Christo instituta mutilantes, usus aphorismi hujus esse potest.

APHORISMUS V.

Vim Sacramenti non mutat vita Ministri.

SCHOLIUM.

§. 1.

VIrtus enim & efficacia Sacramenti non ab organica causa, sed efficiente principali dependet. Dubitandum etiam esset, de Sacramentorum efficacia, si vel 413.
à dignitate, vel vita Ministri dispensantis aliquid in eandem redundaret. Et quis recessus ac latebras animorum perscrutari, quis Hypocritas à forinsecus bonis discernere potest? Id quod etiam stabilit Apostolus 1. *Cor. 3. v. 7.* cum in hæc verba erumpit: *Nec qui plantat, nec qui rigat est aliquid, sed Deus, qui dat incrementum.* Et, si ministrorum indignitas non derogat efficaciæ verbi, nec etiam derogabit efficaciæ Sactamenti, quia par est utriusque ratio. Zipora, Mosis uxor, cum indignatione ac fremitu filium suum circum-

Digitized by Google

circumcidit, & tamen circumciſionem illam Deus ratam habuit *Exod. 4. v. 25.* Unde *Auguſtinus: Quid faciat Miniſter malus, ſi bonus adſit Dominus? Quid impedit malitioſus præco, ſi benevolus eſt judex?* Quod autem B. Lutherus aſſeruerit, Diabolum poſſe verum adminiſtrare Sacramentum; reſpondemus, hanc Luthero mentem fuiſſe, ſi Diabolus in forma hominis inter homines verſatus, & ad officium Paſtoris ab Eccleſia vocatus prædicaret & baptizaret ſecundum inſtitutionem Chriſti, tunc ejus baptiſmum pro rato eſſe habendum.

§. 2. Uſus aphoriſmi hujus in didacticis eſt, ut, unde Sacramentorum efficacia pendeat, ſciamus, nec ullus ſuper indignitate, vel vita Miniſtri Sacramenta diſpenſantis ſcrupulus, an efficaciæ Sacramentorum detrahere queat, nobis moveatur.

§. 3. In Polemicis adverſus Donatiſtas veteres & Anabaptiſtas, à dignitate miniſtrantis efficaciam Sacramentorum ſuſpendentes, quin & noſtros homines, delectum Miniſtrorum (licet ordo requirat aliud,) inſtituentes, & unius diſpenſationem diſpenſationi alterius longè præferentes, & ſic occultum quaſi Donatiſmum foventes, uſus aphoriſmi hujus eſſe poteſt.

APHORISMUS VI.

Miniſtri non intendentis vitium non tollit Sacramentorum eſſentiam & beneficium.

SCHOLIUM.

§. 1.

NOtum eſt, quod Pontificii requirant intentionem Miniſtri Sacramenta dispenſantis, illamque modis omnibus propugnent. Nos licet intentionem ad formam, vel actus, maximè principales, ex quibus Sacramenti forma conſtat, ut ſunt in cœna conſecratio, diſtributio, manducatio & bibitio, ne quid omittatur, aut perperam fiat, non tamen intentionem ad finem, gratiam ſc. Dei utentibus applicandam & communicandam, à Miniſtro 414
diſpenſante requirimus, ſed cauſæ principalis intentionem ſufficere ſtatuimus. Rationes eædem propemodum, quibus aphoriſmus proxime præcedens adſtruebatur, hic militant, 1. enim hæc ſententia nullis ſacrarum literarum fundamentis nititur. 2. De Sacramentorum efficacia nos reddit incertos. Ecquis enim cor adminiſtrantis poteſt introſpicere, an finem Sacramentorum intenderit, an ſecus? Ne dicam, quod ab ebrioſis & ebriis interdum Sacramenta diſpenſentur. 3. quod pro gradibus intentionis efficacia Sacramenti vel major, vel minor evaderet. 4. quod incredulitas hominum fidem Dei evacuaret, contra Paulinum aſſertum *Rom. 3. v. 3.* 5. quod Deus circumciſionem à Zipora Moſis uxore peractam ratam habuerit, etiamſi finem, receptionem in fœdus gratiæ, illa non intenderit, ſed ex iracundia filium circumciderit, *Ex. 4. v. 25.* 6. quod ab hominibus ſalus noſtra dependeret. Quare ad integritatem Sacramentorum intentio Miniſtri non requiritur. Quod de judicibus & gubernatoribus urbium, in quibus prudentia & intentio requiritur, hic afferunt Pontificii Doctores, eadem facilitate, qua in medium affertur, etiam aufertur. Inter inſtrumenta enim diſpoſitiva, cujusmodi ſunt judices & gubernatores, & inter mere miniſterialia,

sterialia, cujusmodi sunt, qui Sacramenta dispensant, hic distinguendum. Nos Ecclesiæ Ministros officio suo fungentes pro judicibus & gubernatoribus non agnoscimus. Quod de balneatore in nomine Dei lavante, hic adducitur, quasi talis actus sine intentione à baptismo distingui nequeat, recto talo subsistere nequit, quia balneator non est Ecclesiæ Minister, neque in casu necessitatis, cum baptizandus venit infans infirmus, ipsius substitutus, nec iisdem verbis, quibus Ecclesia ex Christi præscripto, utitur. Aliud enim est lavare in nomine Dei, aliud baptizare (prius non baptizatum) in nomine Patris & Filii & Spiritus S. *Matth.* 28. *v.* 19. Addo, quod intentio ad formam hic etiam desit.

§. 2. Usus aphorismi hujus in didacticis est, ut de oblatione gratiæ in Sacramentis, sive a Ministro dispensante intendatur, sive secus, certi simus.

§. 3. In Polemicis adversus Pontificios, intentionem finis à Ministro Sacramenta distribuente requirentes, usus aphorismi hujus esse potest.

APHORISMUS VII.

Sacramenta V. & N. T. efficiente ac fine conveniunt, materia & forma discrepant.

315. SCHOLIUM.

§. 1.

Efficiens causa circumcisionis *Gen.* 17. agni Paschalis *Exod.* 12. Baptismi *Luc.* 7. *Matth.* 28. Cœnæ Dominicæ *Matth.* 26. *Marci* 14. *Luc.* 22. 1. *Cor.* 11. est Deus Nec alius quis, præter Deum, ut supra pluribus diximus, Sacramenta instituere potest. Finis est, ut sint gratiæ media. Sic per circumcisionem receptio fiebat in fœdus gratiæ *Exod.* 17. *v.* 14. per agnum Paschalem tanquam typum, ut ex collatione *capitis* 12. *Exod.* cum *Joh.* 19. *v.* 37. & 1. *Cor.* 5. *v.* 7. applicabatur futuri Messiæ meritum. Per Baptismum regeneramur & renovamur, *Joh.* 3. *v.* 5. *Tit.* 3. *v.* 5. In cœna corpus Christi pro peccatis nostris in mortem datum nobis manducandum, & sanguis ejusdem in remissionem peccatorum nostrorum effusus nobis bibendus præbetur *Matth.* 26. *Luc.* 22. Verbum autem, pro vobis, requirit omnino corda credentia. Materia vero tam externa, quam interna; tam visibilis, quam invisibilis; ut & forma in diversissimis actibus posita, (qua de re pluribus in seqq. agemus,) inter Sacramenta V. & N. T. disterminabat.

§. 2. Usus Aphorismi hujus in didacticis est, ut de convenientia & differentia Sacramentorum utriusque Testamenti nobis constet.

§. 3. In Polemicis adversus Calvinianos, eandem Christi *κοινωνίαν* in utroque Testamento statuentes, usus aphorismi hujus esse potest.

APHORISMUS VIII.

Sacramenta imitantur naturam Testamenti, cujus sunt Sacramenta.

SCHOLIUM.

§. 1.

Sensus aphorismi hujus est, quod Sacramenta V. T. umbram tantum habuerint pro materia cœlesti & invisibili: N. autem Test. Sacramenta corpus ipsum. Sic sanguis circumcisorum, quo conspergebantur, sanguinem Christi, quo tingimur in Baptismo: Agnus Paschalis corpus Christi, quo pascimur in cœna, delineabat

Digitized by Google

neabat & adumbrabat, In hoc imitantur ipsa Testamenta, quorum sunt Sacramenta. Dicitur enim ad *Coloss.* 2. *v.* 16. *Ne quis vos judicet in cibo, aut in potu, aut in*
416. *parte diei festi, aut novilunii, aut Sabbatorum, quæ sunt umbra futurorum, corpus autem Christi.* Et ad *Hebr.* 10. *v.* 1. *Lex umbram habens futurorum bonorum, non ipsam imaginem &c.* Ubi notetur, metaphoram vel ex opticis, vel ex arte pictoria desumi. Quando corpus & umbra sibi opponuntur, ut fit *cap.* 2. *epistola ad Coloss. v.* 16. metaphora ex opticis est petita. Ut enim umbra corpus refert: Sic V. T. & quæ pertinebant ad istud, Sacrificia, Sacramenta &c. Christum. Quando vero umbra & imago sibi opponuntur, ex arte pictoria metaphora desumitur. Ut enim pictores delineationem & adumbrationem præmittere soleut, antequam ipsam imaginem vivis colotibus superinducant: Sic typi quidam & ὑποδείγματα, priusquam ipse Messias exhiberetur, fuere præmittendi. Placuit autem Deo, non statim post lapsum, sed in plenitudine demum temporis, ut jugo legis Israelitæ prius exercerentur, & eodem pressi anxius ad futuram liberationem adspirarent, Messiam mittere. Quo tamen de persona & officio ejusdem Israelitæ informarentur, umbratilem & elementarem doctrinam his velut alphabetariis præscripsit. Ubi σκιαγραφικῶς observetur, per futura bona in epistola *Hebr.* 10. *v.* 1. non ipsa beneficia (ceu putant Socciniani & Remonstrantes, qui Patres V. T. futuram gratiam eminus & quasi per transennam adspexisse volunt,) sed Benefactorem promissum intelligi. Beneficia enim antrorsum & retrorsum valebant, prout captivus aliquis libertati suæ restituitur, antequam λύτρον actu solvatur, modo sufficienter caveatur. Sic Petrus *Act.* 15. *v.* 11. *nos per gratiam Domini nostri Jesu Christi salvari* dicit, prout Patres V. T. jugum legis ἀβάστακτον & δυσβάστακτον portare non valentes per eandem salvati fuerunt.

§. 2. Usus aphorismi hujus in didacticis est, ut utriusque Testamenti Sacramenta rectius discernamus.

§. 3. In polemicis adversus Calvinianos, qui panem Eucharisticum non medium exhibitivum præsentis corporis Christi, sed signum & figuram absentis esse volunt, usus aphorismi hujus esse potest. Quod si res ita se haberet, & panis tantum repræsentaret absens Christi corpus, Novum Testamentum Veteri esset obscurius, cum agnus Paschalis evidentius, quam panis, corpus Christi præfiguraverit.

APHORISMUS IX.

Sacramentum extra usum non est Sacramentum.

SCHOLIUM. 417.

§. 1.

NOn hic de usu salutari, sine quo Sacramentum integrum accipere quis potest, 1. *Cor.* 11. *v.* 26. sed de actione Sacramentali sermo est. V. G. cum quærunt Pontificii, si asinus aquam baptismalem bibat, quid accipiat; si mus arrodat panem Eucharisticum inclusum & asservatū, (cujus occasione Holderus murem scripsit exenteratum:) quid comedat; aut si quis, Eucharistico pane in terram prolapso & pedibus conculcato, an Christi corpus pedibus conculcetur; effuso poculo Eucharistico, an sanguis Christi effundatur? quærat. His & similibus quæstionibus satisfieri potest, si præsens aphorismus,

Sacramenta extra usum non esse Sacramenta, opponatur. Quælibet autem Sacramentalis actio suis actibus quibusdam principalibus, quorum unus si desit, illa manca sit & mutilia, constat. In administratione baptismi duo principales actus, aquæ adspersio, vel in aquam immersio, & simultanea prolatio verborum, ego baptizo te in nomine Patris & Filii & Spiritus S. requiruntur. Horum unus si omittatur, v. g. baptizandus aqua conspergeretur quidem, verba tamen dicta non recitentur, vel etiam depraventur, ut ab ebriis interdum fieri solet, vel verba quidem recitentur, nulla vero fieret aquæ applicatio, Baptismus hic esset nullus. In administratione cœnæ quatuor actus principales, consecratio, distributio, manducatio & bibitio requiruntur, quorum unus si desit, forma Sacramenti hujus integra dici non posset. V. G. Licet panis & vinum per verba institutionis consecrarentur & ab usu vulgari, ut deinceps sint κοινωνία corporis & sanguinis Christi, separarentur, si tamen nulla fieret manducatio & bibitio, Sacramentum hoc non esset integrum. Christus enim præsupponit, manducate & bibite, tunc dicit, hoc esse suum corpus, hoc esse suum sanguinem. Quod si jam de aqua baptismali effusa jumentum aliquod biberet, aut de pane consecrato, sed non distributo, mus aliquis comederet, non tamen illud, absit blasphemia dictis, vel Spiritu S. vel sanguine Christi tingeretur, neque hic de corpore Christi participaret, quia non tantum esset extra usum, sed & pro talibus subjectis Sacramenta non essent instituta. Sic, si panis Eucharisticus in terram ex improviso collapsus pedibus tereretur, non Christi corpus, sed nudus panis ita tereretur; aut si vinum Eucharisticum effunderetur, non sanguis Christi, sed vinum effunderetur, quia extra usum hæc symbola essent posita. Ejusmodi casus plures fingi possunt, ex jam dictis judicandi & decidendi.

§. 2. Usus aphorismi hujus in didacticis est, ut formam cujusque Sacramenti, quibus in actibus principalibus consistat, accurate teneamus. 418

§. 3. In polemicis adversus Pontificios panem Eucharisticum consecratum non distributum asservantes, includentes, circumgestantes, adorantes, ut & Calvinianos usum salutarem cum usu, vel actione Sacramentali confundentes, & sic simpliciorbus imponentes, usus aphorismi hujus esse potest.

APHORISMUS X.

Ordo Sacramentis inservit, non imperat.

SCHOLIUM.

§. 1.

UT omnia in Ecclesia peragantur ἐυσχημόνως καὶ κατὰ τάξιν i. e. *decenter & secundum ordinem*, præcepit quidem Apostolus 1. *Cor* 14. *v.* 40. sed tamen ex ordine in genere, non statim hic, vel ille in specie præceptus colligitur. Ideo ritus ministeriales secundum diversitatem locorum & temporum variant, & qui deflectit ab iisdem, non quidem adversus leges divinas, sed tamen adversus constitutiones Ecclesiasticas peccat. Sic ordinarie baptismus in loco sacro & ab Ecclesiæ ministro dispensandus esset, non quidem ex institutione divina, quia *Joh.* 4. *v.* 21. 23. Salvator inquit, *venit hora, ubi nec Hierosolymis, nec in hoc monte invocabitis, sed veri adoratores Patrem invocabunt in Spiritu & ve-*

& veritate: prout etiam Ecclesia primitiva trium seculorum priorum certa templa nondum habuit, sed tamen Ecclesiastica, (*c. 6. constitutionum Ecclesiasticarum de baptismo*) si tamen casus necessitatis emergit, ita, ut infans in lucem editus morti sit proximus, & copia Ministri non statim haberi possit, etiam à Laico, vel pia quadam muliere (quod in appendice dicti *capitis* 6. constitutiones Ecclesiasticæ permittunt,) in ædibus privatis Baptismus administrari potest. Ubi tamen causam eorum, qui vel citra necessitatem, vel casum necessitatis fingentes ab hac ordinatione, luxus tantum gratia, deflectunt, & in ædibus suis privatis infantes suos baptizari curant, nullatenus otamus. Præterquam enim quod novitate sua graviter infirmos scandalizent, contra constitutiones Ecclesiasticas superiorum peccant. Sic cœna quidem ordinariè in loco sacro & congregatione sanctorum (vi *constit. Eccl. c.* 8.) esset administranda, si tamen casus emergat, ut aliquis ægrotus lecto affixus hoc sacro viatico & immortalitatis pharmaco se instrui desideret, ab hoc ordine
419. deflecti potest. In verbis Pauli 1. *Cor.* 11. *v.* 18. cum conventiis in Ecclesia (congregatione sanctorum, non templis, quæ tum temporis nondum habebant,) exemplum potius, quam præceptum continetur. Sed multa dantur adiaphota v. g. privata confessio & absolutio, Ministrorum Ecclesiæ ordinatio &c. quæ quidem exemplum, non tamen mandatum, habent. Sic temporibus bellicis multa, quæ faciunt ad ordinem, stata, & præscripta tempora, vestes & vasa sacra per direptiones subtracta, fuerunt intermissa.

§. 2. Usus aphorismi hujus in didacticis est, ut constitutiones divinas & humanas limitibus accuratis discernamus.

§. 3. In polemicis adversus Calvinianos, qui Gynæcobaptismum, ut & Eucharistiam ægrotis in ædibus privatis, urgente duro necessitatis telo, administratam tantopere suggillant, usus aphorismi hujus esse potest.

APHORISMUS XI.

Fides non facit Sacramentum esse, sed prodesse.

SCHOLIUM.

§. 1.

FIdem esse de Sacramentorum essentia, volunt Calviniani. Sic enim *Antonius Sadeel de Sacramentali manducatione p.* 174. *&* 176. *Cum manifestum sit, nec Baptismum, nec cœnam Dominicam absq; fine ullum vere vel intelligi, vel definiri posse: consectarium est, finem Sacramenti de ipsius Sacramenti substantia esse.* *Piscator ad elenchos Buscheri c.* 10. fidem esse partem causæ formalis statuit. Unde *volumine* 2. *loco* 13. *th.* 22. in B. Hunnium verbis seqq. invehitur: *Malè negatur ab Hunnio, quod ad substantialem perfectionem, seu integritatem Sacramenti non pertineat fides utentis.* Verum prætetquam quod efficiens & finis à Philosophis etiam causæ externæ rem ipsam non ingredientes, aut constituentes ponantur, in Theologia sententia Calvinianorum recto subsistere talo non potest. Causæ enim συστατικαὶ vel constituentes Sacramentum, sine quibus integrum non est, sunt materia visibilis & invisibilis, & forma suis actibus principalibus integrata.

§. 2. Fides autem ad salutarem usum, vel fructum pertinet. Sic Paulus,

1. *Cor.* 11. *v.* 27. *& seqq.* indignos etiam hospites corpus & sanguinem Dominicum accipere statuit, cum in hæc verba erumpit: *Quisquis ederit panem hunc, aut biberit de poculo Domini ἀναξίως, i. e. in-*
420 *digne, reus erit corporis & sanguinis Domini. Probet autem homo seipsum, & sic de pane illo edat, & de poculo illo bibat. Nam qui edit & bibit indigne, sine fide, judicium sibimetipsi edit ac bibit, non dijudicans corpus Domini.* Sic, ut exemplis hoc illustremus, Simon Magus baptismum quidem quoad substantialia percepit integrum, sed quia fide carebat, salutari etiam istius fructu destituebatur. Ita enim de ipso in *actis Apostolicis c. 8. v. 13. Tunc Simon* (Magus v. 9.) *& ipse credidit, & cum baptizatus esset, adhærebat Philippo, videns quoque signa & virtutes fieri, stupens admirabatur. v.* 21. Petrus his verbis eum alloquitur: *Cor tuum non est rectum coram Domino: resipisce igitur ab ista malitia tua.* Nec dubium est, Judam proditorem, qui cœnæ primæ interfuit, *Luc.* 22. *v.* 21. Sacramentum hoc quoad substantialia integrum accepisse, sed quia fide destituebatur, ad judicium. Hinc veteres dixerunt, Judam quidem accepisse panem Domini, sed non panem Dominum, quem fide non fuit amplexus. Sequeretur etiam ex hac sententia, fidem ad essentiam Sacramentorum pertinere, quod Hypocritæ baptismum suscipientes sint rebaptizandi, propterea quod integrum quoad substantiam non accepissent. Lateat absurdum ex dicta Calvinianorum sententia emergens, quod fides Sacramentum faciat, cum institutioni potius divinæ sit adscribendum. Notentur hic verba Patris Hipponensis *Augustini l. contra Donatum c.* 14. *Non interest, cum de integritate Sacramentorum quæritur, quali fide imbutus sit, aut quid credat ille, qui Sacramentum accipit. Interest quidem plurimum ad salutis viam, sed ad Sacramenti quæstionem non interest. Fieri enim potest, ut habeat homo integrum Sacramentum & perversam fidem.*

§. 2. Usus aphorismi hujus in didacticis est, ut inter ea, quæ ad substantiam Sacramenti & salutarem ejusdem fructum pertinent, accuratius discernamus.

§. 3. In polemicis adversus dictos Calvinianos, qui tamen sui dissimiles institutionem divinam Sacramentum facere concedunt, usus aphorismi hujus esse potest.

APHORISMUS XII.

Non Sacramentum, sed fides Sacramenti justificat.

SCHOLIUM.

§. 1.

HIc aphorismus proxime præcedenti non repugnat, quia non de constitutione Sacramenti, sed de justificatione, quæ pertinet ad salutarem Sacramenti fructum, 421
agit. Sensus est, non sufficere ad justificationem, vel istius continuationem, ut aliquis Sacramento tantum utatur, quomodocunque tandem sit dispositus, sed ut credat. Ubi enim promissio est, ibi requiritur fides. Sed in Sacramentis est promissio ceremoniis quasi picta & vestita. Ergo Fides in Sacramentis requiritur. Promissio annexa Baptismo *Marc.* 16. *v.* 16. legitur: *Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit.* Promissio, quæ cœnæ adhæret, legitur *Luc.* 22. *v.* 19. *Hoc est corpus meum pro vobis datum*, & *Matth.* 26. *v.* 28. *Hoc est sanguis meus Novi Test.*

qui

qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum. Ideò Lutherus verbum pro vobis, tanquam caput & summam juxta manducationem & bibitionem corporalem, in hoc Sacramento commendat, & hoc ipsum omnino corda credentia requirere, in Catecheſi minore dicit. Accepit quidem Simon Magus Baptismum, Judas cœnam quoad substantiam, sed quia fide fuerunt destituti, Sacramenta hæc ipsis nihil ad justificationem profuere. Dictis uniformis Scripturarum concentus, quod nec gratia, nec justificatio nobis absque fide obtingat, suffragatur. In specie de administrando baptismo quæsitus Philippus, *Act.* 8. *v.* 36. respondet Eunucho: *Si credis ex toto corde*, (sincero, serio, ὁλοκαρδίτως, prout cor totum vel manco, mutilo & imperfecto, vel hypocritico & diviso in Scripturis opponi solet,) *licet*, scilicet ut baptizeris.

§. 2. Usus aphorismi hujus in didacticis est, ut de organo gratiam & justificationem ex nostra parte accipiente, sive fiat in Sacramentis, sive extra illa, certi sumus. Nec enim organa ex parte Dei gratiam offerentia, cum sint hypocritis etiam communia, tantum sufficiunt.

§. 3. In Polemicis adversus Pontificios, opus operatum urgentes, usus aphorismi hujus esse potest.

APHORISMUS XIII.

Nec Sacramenta Veteris Testamenti ex opere operantis, nec Novi ex opere operato, gratiam & justificationem conferunt.

SCHOLIUM.

§. 1.

NOn unus error in hac sententia Pontificiorum, quod Veteris Testamenti Sacramenta ex opere operantis, Novi ex opere operato gratiam conferant, latet, qui priusquam detegatur, sententiam ipsorum fusius exponam. Discrimen legis & Evangelii non rectè intelligentes, Veteris Test. Patres, Sacramentis utentes ex opere operantis, quod scilicet in mandatis divinis ambulaverint, nos in Novo Test. ex opere operato, tantum quod Sacramentis utamur, etiamsi absque bono motu id fiat, gratiam & justitiam consequi statuunt. Πρῶτον ψεῦδος in eo latet, quod fructum Dominicæ passionis demum post prolatum in cruce verbum consummatum est, cœpisse velint, & Veteris Testamenti Patribus gratiam denegent. Hinc Evangelium definiunt per novam legem gratiæ viribus auctam. Deinde gratiam Novi Testamenti Sacramentis φυσικῶς inesse volunt, ut calor inest igni, vis sanandi pharmaco, vis incidendi scalpello. De priori dicemus in aphorismo sequenti. Posterius autem destruimus ex eo, quod 1. recens sit hæc doctrina, (prout ipsum vocabulum operis operati barbarum esse & novum, quidam ex Doctoribus Pontificiis fatentur,) in sacris literis fundamentum non habens. 2. Quod Scripturis sit adversa, cum verbum promissionis fidem ex nostra parte requirens Sacramentis sit annexum. Et ut verbum audibile, sic & visibile fidem ex nostra parte requirat. 3. Quia discrimen inter hospites dignos & indignos, inter credentes & Hypocritas tollit. 4. Quia in Sacramentis fœdus cum Deo vel icitur vel confirmatur. Jam in fœderibus duæ manus, offerentis & accipientis, sibi obviant. Confer ea, quæ diximus in scholio præcedentis aphorismi. Fidem quidem (nudum assensum dogmatibus Ecclesiæ Romanæ præbitum, sine

notitia, ſine fiducia,) in iis, qui Sacramentis utuntur, Pontificii prærequirunt, ſed quod gratiam Sacramenti per fidem accipiant, hoc negant. Sic in eo nobiſcum adverſus Calvinianos conſentiunt, quod Sacramenta gratiam conferant, ſed circa modum; an φυσικῶς, an ex ordinatione & inſtitutione divina gratia Sacramentis inſit, & an fides ex noſtra parte ad ſalutarem Sacramenti fructum requiratur, contentionis ſerra inter nos & ipſos reciprocatur.

§. 2. Uſus aphoriſmi hujus in didacticis eſt, ut de Sacramentorum efficacia, & quid ex noſtra parte requiratur, conſtet.

§. 3. In Polemicis adverſus dictos Pontificios opus operatum tuentes, uſus aphoriſmi hujus eſſe poteſt.

APHORISMUS XIV.

Sacramenta V. T. non ſignificarunt, ſed contulerunt gratiam.

423 SCHOLIUM.

§. 1.

UT Veteri Teſtamento, ſic & Sacramentis ejusdem gratiam, quam Novo Teſtamento ſervatam volunt, Pontificii denegant. Quia verò de ſignificationibus legerunt, perperam ad beneficia merito Chriſti parta, (quæ valebant antrorſum & retrorſum,) quod de ipſo corpore ac redemtionis actu erat intelligendum, accommodarunt. Quod ſi verò fuerit obtentum, eundem juſtificandi modum in Vet. ac Novo Teſt. fuiſſe, gratia & vis juſtificandi Sacramentis V. T. denegari non poterit. Probamus autem 1. ex dicto Petrino, quod habetur *Act.* 4. *v.* 12. *Non eſt in alio quoquam ſalus: nec enim aliud nomen ſub cœlo datum eſt inter homines, in quo nos oporteat ſalvari, præter nomen Jeſu: de quo videatur contextus.* 2. Ex ejusdem pronunciato, quod habetur *Act.* 10. *v.* 43. *Huic omnes Prophetæ teſtimonium perhibent, quòd remiſſionem peccatorum acceperint ſint per nomen ejus, quisquis crediderit in eum.* 3. Ex effato Paulino, quod extat in his *actis Apoſtolicis c.* 13. *v.* 38. & 39. *per Jeſum Chriſtum juſtificatos fuiſſe, qui non poterant in lege Moſis juſtificari.* 4. Ex *c.* 15. *Act. v.* 10. Quod *ad eundem modum*, καθ' ὃν τρόπον, *juſtificemur, quemadmodum & illi*, Patres ſcilicet V. T. *jugum legis* (ζυγὸν βαστάσαι & βαστάσαι) *portare non valentes.* 5. Quod Paulus *Rom.* 4. *v* 3. per inductionem didaſcalicam colligendo, Abrahamum per fidem juſtificatum, Patrem credentium, etiam eorum, qui ſunt in N. T. ſiſtat. Eſt autem inductio didaſcalica progreſſus à ſingularibus ad univerſale in iis, in quibus ſubjectum & prædicatum nexu neceſſario cohærent. Hic etiam ex uno ſingulari colligere licet univerſale, quia gradus neceſſitatis καθ' ἑνὸς præſupponit & ineludit gradum καθὰ πανός. Quod enim per ſe ineſt, etiam omni ineſt. Sic omnem hominem riſibilem eſſe colligere poſſumus ex eo, quod Petrus ſit riſibilis. Ratio, quia riſibilitas per ſe ineſt Petro. Pari modo, quod fides cum juſtificatione nexu cohæreat neceſſario, & unus ſit juſtificandi modus in V. & N. T. colligere poſſumus, omnem credentem juſtificari, quod Abraham credens fuerit juſtificatus. 6 Quod eædem juſtificationis cauſæ in V. & N. Teſt. fuerint. Quod enim ex gratia & miſericordia juſtificati fuerint, patet ex *Pſ.* 51. *v.* 3. *Miſerere mei Deus, ſecundum magnam*

magnam misericordiam tuam. Et *Dan. 9. v.18. Adsternimur Tibi non in justificationibus nostris, sed in miserationibus tuis multis.* Id quod ex opposito, denegatione meriti clarius patet. E.g. Cum David deprecatur judicium Dei scilicet ex operibus suis justificandus, *Ps. 143. v. 2.* 424 *Domine, ne intres in judicium cum servo tuo. Non enim justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.* Et *Ps. 130. v. 3. Domine, si peccata volueris imputare, quis sustinebit?* Et apud *Esaiam c. 64. v. 6.* Ecclesia *Judaica omnem suam justitiam cum panno menstruata comparat. Jobus ad mille ne unum quidem se respondere posse,* dicit *c. 9. v. 3.* Sic eadem causa instrumentalis fides fuit. *Credidit Abraham* (in promissum potissimum semen,) *& imputatum est ei ad justitiam.* Et *Ier. c. 5. v. 3.* dicit: *Oculi tui, Domine, respiciunt fidem.* Succinit *Habacuc c. 2. v. 4. Justus sua fide vivet.* Præterea causa materialis ad justitiam imputabilis eadem fuit, promissum scilicet semen, in quo benedicendæ erant omnes familiæ terræ. Hinc *germen Davidis Iehova justitia nostra* salutatur. *Jer. 23. vers. 6.* & *Esai. 45. vers. 24. In Domino justitia nostra consistere dicitur.* Hinc etiam expectarunt fide promissum σωτήριον, *Gen. 49. v. 18. Ps. 119. v. 166.* Eadem quoq; causa formalis in utroque Test. fuit, non imputatio & tectio peccatorum, *Ps. 32. v. 1. 2.* remissio peccatorum, locis propemodum infinitis. Has ipsas causas pro adstruenda sententia de justificatione in N. T. adduxerunt Apostoli v. g. ex *Ps. 143. v. 3. Ex operibus legis non justificabitur nulla caro, Rom. 3. v. 20. Gal. 2. v. 16.* Ex *Gen. 15. v. 6. Credidit Abraham & imputatum est ei ad justitiam.* Ut etiam ex *Hab. c. 2. v. 4. Justus fide vivet,* ad *Gal. 3. v. 11.* Ex *c. Ier. 23. v. 6. Christus nobis factus est à DEO sapientia, justitia, sanctificatio & redemtio, 1. Cor. 1. v. 30.* Ex *Ps. 32. vers. 1. Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, quibus tecta sunt peccata, Rom. 4. v. 7.* 7. Quod Veteris Test. Patres habuerint πρωτευαγγέλιον de contritore capitis serpentini, *Gen. 3. vers. 15.* πρωτευαγγέλιον (ut Paulus ad Gal. 3. v. 8. voce hac utitur,) de semine benedicto, ἐπαγγελίας & promissiones multas de peragendo per passionem & mortem futuri Messiæ redemtionis opere, ut *Es. 53. vers. pluribus, Dan. 9. v. 18.* 8. Quia per Sacramenta Veteris Test. Patres & infantes eorum aut in fœdus gratiæ recepti, aut confirmati fuerunt. Licet autem infantilis fuerit Ecclesia & isti νήπιοι non habuerint jus in re, vel administrationem bonorum liberam, sed Spiritu servitutis contemperatam, jus tamen in rem ipsis denegari nequit. Quod si gratiam conversionis intelligunt Pontificii, tot locis, quot agunt de conversione in V. T. convinci possunt.

§. 2. Usus aphorismi hujus in didacticis est, ut consensu Testamenti utriusque circa doctrinam de gratia, magis in fide nostra confirmemur.

§. 3. In polemicis adversus Pontificios gratiam ex V. T. excludentes, & Patres istius etiam sanctissimos, ut Abrahamum, in limbum quendam, ubi carnerint visi- 425
one DEI usque ad descensum Christi ad inferos, relegantes, usus aphorismi hujus esse potest.

APHORISMUS XV.

Christiani non sunt graculi, sed aquilæ.

SCHO-

SCHOLIUM.

§. 1.

AButuntur hoc Ambrosii dicto Calviniani, qui negantes substantialem corporis Christi præsentiam in cœna, fidem jubeant evolare in cœlum empyreum, supra cœlum stelliferum positum, ibidemque Christum spiritualiter manducare. Sed ipsi potius graculi sunt humivolantes, & in symbolis terrenis hærentes, nec fide sursum nitentes. Est autem graculorum & aquilarum comparatio Romanis frequens, prout Cicero certior factus, tot aquilas Romanorum in acie perditas fuisse, jocosè respondit, credo, si graculi essent. Ambrosius hac ipsa contentione nobilium & ignobilium avium usus, ad locutionem proverbialem Salvatoris ex Jobo sumtam, *Matth. 24. v. 28. ubi cadaver, ibi aquila* respicit. In aquila visus acutus & volatus altissimus, etiam rectilineus, commendantur. Christiani etiam oculo fidei fixo & irretorto Christum adspicere, sursumque (non ratione loci, sed conditionis,) cor tollere, præprimis Christo, corporis & animæ suæ cibo, inhærere debent. Graculi verò humivolantes sunt, qui non nisi palpare volunt ac videre. His rectè Salvatoris dictum, *Joh. 20. v. 29. Beati, qui crēdunt, etiamsi non videant*, opponimus. Et illud tritum: Si vides? quid fides?

§. 2. Usus aphorismi hujus in didacticis est, quod etiamsi ratione penetrare nequeamus, verbis DEI fidem habere debeamus.

§. 3. In polemicis adversus Calvinianos, qui Christi verbis fidem derogant, maximæ communicantium parti propter absolutum decretum alas fidei præscindunt, & ex ipsis graculos efficiunt, usus aphorismi hujus esse potest.

APHORISMUS XVI.

Character Pontificiorum est indelebilis, quia nullibi est scriptus.

SCHOLIUM.

426

§. 1.

QUod in tribus Sacramentis, Baptismo, Confirmatione ac ordine character indelebilis, qui facit, ne iterari possint, animæ suscipientis imprimatur, Pontificii docent. Licet autem Scholastici super hac re variis modis fuerint scissi, Concilium tamen Tridentinum sub anathematis fulmine, controversias Scholasticorum sicco pede transiliens, characterem hunc credendum præcipit. Non malè *Chemnitius fol.* 222. de hoc charactere scribit, *forsan permisisse Deum, ut dimicarent Papista pro tuenda characterum opinione in confirmatione & ordinibus, ut manifestum esset, apud quos sit & reperiatur character ille, cujus multa fit mentio Apocal. 13. 14. 15. 16. 19. & 20. Thomæ character est spirituale quoddam signū indelebiliter in anima impressum. Bellarm. l. 2. de Sacramentorum effectu c. 19.* tria characteri tribuit officia, quorum *primum est, aptum facere ad cultum divinum: secundum configurare Christo: tertium distinguere ab aliis.* Verum, si sedem Sacramentorum, unde judicium de iisdem ferendum, inspicimus, nec vestigium, nec volam de hoc charactere ibidem deprehendimus. Profert quidem Bellarminus locum unum atque alterum, ἅπαξ εἰρημένον, ubi mentio fit obsignationis,

c. g.

e.g. 2. *Cor.* 1. *v.* 21, 22. *Eph.* 1. *v.* 13, *c.* 4. *v.* 30. in quibus obſignationis mentio fiat: Sed in iſtis locis non agitur de charactere Pontificiorum indelebili, ſed de obſignatione per Spiritum S. qui non tantum per Sacramenta, ſed & verbi prædicationem, ceu volunt hæc loca, nobis communicatur. Addo quod ex mente Pontificiorum character indelebilis etiam inhæreat animis incredulorum, cum Spiritu S. non niſi credentes obſignentur. Quod in circumciſione character carni fuerit impreſſus, minus huc facit, quia non carni, ſed animæ characterem iſtum imprimi volunt Pontificii. Si typum urgent, non eſt innatus, ſed illatus. Indelebilis etiam eſt hic character, quia teſtimoniis canæ & ſanæ antiquitatis deſtituitur. Licet enim ſigni, ſignaculi, obſignationis mentionem fecerint antiqui Patres, ejusmodi tamen characterem, qualem Pontificii fingunt, nullatenus docuerunt. Innocentium III. quod attinet in 3. de Bapt. c. majores, nec ad Patres quinque, vel 6. priorum ſeculorum, nec ad Scriptores ætatis mediæ, ſed ultima Scholaſticorum inquinatiſſima tempora venit referendus: quippe qui ſeculo currente 13. poſt Chriſtum natum vixit.

§. 2. Uſus aphoriſmi hujus in didacticis eſt, ut non tantum ἀνάγεσφον, ſed & ἄγεσφον in negotio religionis improbemus.

427 §. 3. In polemicis adverſus Pontificios characterem hunc propugnantes, uſus aphoriſmi hujus eſſe poteſt.

APHORISMUS XVII.

Sacramenta ſigna ſunt non tantum ſignificantia, ſed & exhibentia & conferentia.

SCHOLIUM.

§. 1.

QUomodo voce ſigni abutantur Calviniani, ἀπουσίαν corporis Chriſti à cœna probaturi, notius eſt, quam ut pluribus oſtendendum ſit impræſentiarum. Sed ſigna non tantum σημαντικὰ, ſed & παρεφερόμενα dari noverunt. Sic columba (εἶδος σωματικὸν πνεύματος.) ſignum erat exhibitivum Spiritus S. ita, ut oſtenſa columba, dicere potuerim: Hoc eſt Spiritus S. *Luc.* 3. *v.* 22. Sic halitus Chriſti, quando poſt reſurrectionem ſuam afflavit diſcipulos, ſignum erat παρεφερόμενον Spiritus S. ut dicere potuerim, hoc eſt Spiritus S. *Joh.* 20. *v.* 22. Sic currus ignei famulo Eliſæi viſi ſignum erant παρεφερόμενον Angelorum, ita, ut curribus iſtis oſtenſis, dicere potuerim, hoc ſunt Angeli 2. *Reg.* 6. *v.* 17. Non aliter res ſe cum Sacramentis habet, quoad hoc comparationis tertium, quando ſigna rerum cœleſtium vocantur. Non enim ſigna σημαντικὰ duntaxat, ſed & παρεφερόμενα; non rerum abſentium, ſed in ſenſus non incurrentium intelliguntur. Quemadmodum itaque oſtenſa columba, in cujus corporali ſpecie Spiritus S. apparuit, Johannes dicere potuiſſet: Hoc eſt Spiritus S. Sic exhibito pane Sacramentali, ſigno & ſymbolo corporis Dominici, propter unionem Sacramentalem, & quidem in ipſo uſu ſacro, dicere poſſum: Hoc eſt corpus Chriſti.

§. 2. Uſus aphoriſmi hujus in didacticis eſt, ut ab ambiguitate terminus ſigni liberetur, & exactius de vera ſententia conſtet.

§. 3. In polemicis adverſus Calvinianos hac voce ludentes, uſus aphoriſmi hujus eſſe poteſt.

428

Locus XVI.

De

BAPTISMO.

§. 1.

PRæmissis generalibus, jam ad ipsas species Sacramentorum N. T. accessum facimus. Quia verò Baptismus est Sacramentum initiationis, per quod Christo & Ecclesiæ inserimur, ab eodem non immeritò telam hanc ordimur. Vocabulum ipsum Baptismi ἦ κλήσει Græcum est, ἦ χρήσει verò factum Latinum: vel ex metropoli Græca in coloniam Latinam traductum & civitatis jure donatum. Descendit à verbo βαπτίζειν, quod significat aquam alicui applicare, sive immergendo, sive aspergendo id fiat. De immersione scrupulus alicui non facilè nascetur: de adspersione probo ex *c.7. Marci v.4.* ubi Pharisæi βαπτίσωνται i. e. lectulos baptizasse dicuntur, ut & ad *Hebr. c.9. v.10.* ubi lotiones Judæorum βαπτισμοὶ nominantur. Observationis hujus usus est in controversia, quæ cum Ecclesiis Græcis & Ruthenicis nobiscum intercedit, an, qui per adspersionem aquæ administratur, baptismus, cujusmodi est Ecclesiarum occidentalium, sit vetus baptismus. Illi siquidem baptizandos immergunt, & ad se venientes Christianos ex Ecclesiis occidentalibus, tanquam non recte baptizatos, rebaptizant. Quod sua lingua vocant das Umbtauffen.

§. 2. Nomen baptismi plura significatus in sua significata distinguitur. Sumitur enim in Scripturis vel propriè pro baptismo fluminis, vel metaphoricè pro baptismo flaminis & sanguinis. Pro baptismo fluminis in locis Scripturæ plurimis e. g. quando de baptismo Christi, *Matth.3.* de baptismo totaliditorum Petri, *Act. 2.* de baptismo Eunuchi, *Act. 8.* de baptismo Pauli, *Act. 9.* de institutione baptismi, *Matth.28.* sermo est, accipitur. Pro baptismo Flaminis, *Act.1.v.5. Vos baptizabimini Spiritu S. post dies hosce non multos*; pro baptismo sanguinis, *Matth. 20. v.22.* cum Christus Matrem filiorum Zebedæi verbis hisce alloquitur: *Potestisne baptismate, quo ego baptizor, baptizari?* sumitur. Quando verò Calviniani baptismum in internum & externum dividunt, non est distinctio nominis multa significantis in sua significata, sed divisio generis in species, quam tamen in sensu Calviniano acceptam nos repudiamus.

§. 3. Synonyma baptismi sunt, cum *lavacrum regenerationis & renovationis Tit. 3. v.5. lavacrum aquæ in verbo* ad *Eph.5. v.* 429
26. circumcisio ἀχειροποίητος i. e. manu non facta, *Coloss.c.2. v.11.* dicitur. Quando Petrus 1. *c.3. v.21.* baptismum vocat ἐπερώτημα τῆς ἀγαθῆς συνειδήσεως i. e. *stipulationem bonæ conscientiæ*, propositio est usualis, in qua usus de re prædicatur: cujusmodi plures sunt in Scripturis, utpote *Rom. 1. v.6.*

v.16. cum Evangelium, potentia Dei, seu potens organon *ad salutem omni credenti; panis, quem frangimus*, κοινωνία *corporis Christi*, seu medium exhibitivum corporis Christi 1. *Cor.* 10. *v.16. dicitur.*

§. 4. Definitio baptismi realis est, quod sit primum Novi Test. Sacramentum, in quo vivus homo in nomine DEI Patris, DEI Filii & DEI Spiritus Sancti in aquam immergitur, vel aqua adspergitur, ut regeneratus & renovatus hæres fiat vitæ æternæ.

§. 5. Genus in hac definitione ponitur Sacramentum, in loco proximè præcedente latis descriptum, & additur, quod sit Nov. Test. primum, ut inter Sacramentum initationis & confirmationis distinguatur.

§. 6. Differentia petitur à causis tum externis, tum internis. Causæ externæ sunt efficiens & finis: internæ materia & forma.

§. 7. Efficiens est vel principalis, vel instrumentalis & ministerialis. Principalis est ipse Deus, vel ἀρχηγὸς salutis nostræ Christus, qui per ministrum à peccatis nos abluit & regno suo cives inserit. Non Ministri, sed Christi manum ad te porrigi, arburare. Discipulis Christi baptizantibus Christus ipse baptizasse dicitur, *Joh.* 4. *v.* 1. 2. Sic in loco proximè præcedente audivimus, quod Sacramentum sit res sacra & solennis, in qua Deus per ministrum suum dispenset rem certam peculiari verbo instituiam: Et quod Sacramenta pertineant ad ἔργανα δόλια salutis nostræ, manumque Dei porrigentem, qua nobis κειμήλια pretiosissima, beneficia Christi morte parta offert. Organica instrumentalis causa ordinariè Minister est Ecclesiæ, mysteriorum divinorum Oeconomus: interim, quia Sacramentum hoc est initiationis, necessitate tum præcepti, tum medii, si quis ingredi velit regnum cœlorum, *Joh.* 3. *v.* 5. nobis necessarium, si Ministri copia non suppetat, etiam à Christiano Laico, vel pia quadam muliere Baptismus administrari potest. Sic, cum propter intermissam circumcisionem filii Deus interfecturus erat Mosen, Zipora ipsius uxor filium circumcidit, quod ipsum Deus à Mose abstinendo ratum habuit, *Ex. c.* 4. *v.* 26. Sic & mulieres Judaicæ tempore persecutionis filios suos circumcidisse leguntur 1. *Macc. c.* 1. *v.* 63. Quod autem Calviniani tantopere in Gynæcobaptismum debacchentur, & prius infantes, si Minister haberi non possit, sine Baptismo decedere patiantur, ratio est, quod hic necessitatem medii tollant. Ubi tenendus est aphorismus supra traditus: Ordo Sacramentis inservit, non imperat. 430

§. 8. Materia est vel circa quam, i. e. objectum baptizandum, vel ex qua, terrena & cœlestis. Materia circa quam in definitione ponitur homo vivus. Per vocem hominis objecta excluduntur alia v. g. campanæ, quas Pontificii baptizare solent, globi ferrei, quos in obsidionibus, ne nocumento sint reliquis, superstitiosi quidam baptizant, & objecta ratione carentia omnia. Christus enim non creaturas irrationales, sed πάντα τὰ ἔθνη, i. e. *omnes gentes Matth.* 28. *v.* 19. &, qui *caro de carne nati sunt, Joh.* 3. *v.* 6. baptizare jussit. Sunt quidem ex Pontificis, qui campanas non baptizari, sed consecrari tantum dicunt, sed protestatio facto est contraria, quia causas συγκριτικὰς baptismum constituentes adhibent, cum aqua in nomine Dei Patris, Filii & Spiritus S. eas adspergunt, patrinos etiam adhibent, & certū

Digitized by Google

nomen campanis indunt. Irrepsit hic mos perversus in Ecclesiam seculo cutrente post Christum natum decimo, cum Johannes 12mus Pontifex R. (ipsæ verò campanæ ut sunt instrumenta convocandi tempore Sabiniani Pontificis circa initium seculi septimi cœperunt:) campanam Lateranensem majorem nuper conflatam primus baptizavit, & Johannem vocavit. Per vocem hominis etiam monstra, quæ deflectunt à specie, v. g. si vermes, aut serpentes fœmina quædam fuisset enixa, hic excluduntur. Dico, quæ deflectunt à specie, quia monstrorum varii dantur gradus, adeò, ut etiam sedigitus iisdem accenseatur. Licet itaque partus humanus edatur in lucem deformis, pluribus brachiis ac pedibus, vel etiam capitibus præditus, cum præsumtio sit à similibus similes, ab hominibus homines procreari, quod etiam docuit eventus, postquam adoleverunt, à Baptismo non esset arcendus. Homo tamen baptizandus esse debet vivus, non mortuus, non in utero materno latens, qui baptizato matris utero & ipse baptizari credatur, nec extra matris uterum parte aliqua prominens, sed totus in lucem editus, cum regeneratio generationem præsupponat, nec pars hominis, sed ipse homo baptizari jubeatur. Quid? quod hac ratione variis obstetricum ineptiis & aberrationibus obex poni possit.

§. 9. Quantumvis autem omnes homines (πάντα τὰ ἔθνη,) jus aliquod mediatum ad hoc Sacramentum initiationis habeant, immediato tamen jure Christianorum liberi, qui non prius fieri debent
431. catechumeni, sed statim in hanc lucem nati ad Baptismum admittendi sunt, præ gentilium, Turcarum, Judæorum liberis gaudent. Quare nec in urbibus imperialibus, aut regiis, sive sub Lutherano, sive Pontificio, sive Calviniano Magistratu agant, Judæorum liberi, Parentibus invitis, baptizantur. Apostoli cum gentibus hoc Sacramentum administrarunt, non ab infantibus, sed adultis initium fecerunt. Ab his Christianis jam factis liberi sanctitatem Ecclesiasticam (non fœderalem, quam Calviniani docent,) i.e. jus immediatum ad Ecclesiam acceperunt. Exposititios quod attinet, etiamsi schedula sit apposita, eosdem sacro lavacro esse tinctos, tamen nisi addantur circumstantiæ in pleniorem cognitionem introducentes, sunt baptizandi, ne de fœdere gratiæ per omnem viam dubitare cogantur. Ungarorum liberos quod attinet, cum constet, quæstus gratiâ & baptismum & nuptias ab erronibus istis repeti, ante omnia videndum, an recens in lucem sint editi, an verò ante aliquot septimanas, aut menses nati. Si posterius deprehenditur, res suspicione non caret: Si prius, exploranda Parentum fides, de qua si constiterint, & stipulato promittant, quod nec iterare baptismum, nec in alia, quàm nostra religione baptizatos à nobis infantes educare velint, petitis ipsorum locis relinqui potest.

§. 10. Materia ex qua Baptismi vel est visibilis, vel invisibilis; vel terrena, vel cœlestis. Materia visibilis & terrena est aqua, medium ὑποθέσεως, cujus copia nullibi non potest haberi, non alius liquor, non lac, vinum, cerevisia, brodium, ceu quidam ex Calvinianis persuasum sibi habuerunt. Pertinet enim materia hæc ad substantialia Baptismi & causas συστατικὰς (quæ sunt materia & forma,) Baptismum constituentes, ita, ut si desit aqua, & alius liquor substituatur, Baptismus

pro

pro vero non esset habendus. Materia invisibilis & cœlestis quibusdam est verbum, id est, res verbo significata, quibusdam SS. Trinitas, quibusdam Spiritus S. quibusdam sanguis Christi. Qui verbum ponunt, nituntur loco Apostolico *Eph. 5. v. 26. Mundavit Ecclesiam lavacro aquæ per verbum*; qui SS. Trinitatem, ad institutionem, vel institutionis repetitionem *Matth. 28. v. 19. Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, Filii & Spiritus S.* recurrunt; qui regeneratorem & renovatorem Spiritū S. loco *Joh. 3. v. 5. nisi quis regeneratus fuerit ex aqua & Spiritu, non poterit ingredi regnum cœlorum*, sese muniunt; qui sanguinem Christi, loca illa scripturæ, ut 1. *Joh. 1. v. 7. Apoc. 1. v. 5.* ubi sanguine Christi à peccatis lavari & mundari dicimur, respiciunt. Quorsum verba cantilenæ Germanicæ tendunt: Das Aug allein das Wasser sieht / wie Menschen
432. Wasser giessen ꝛc. So ists vor ihm ein rothe Fluth / mit Christi Blut gefärbet / die allen Schaden heilen thut / von Adam her geerbet / auch von uns selbst begangen. Verum, si per verbum rem verbo significatam & quidem ex verbis Salvatoris *Matth. 28. v. 19.* totam SS. Trinitatem intelligimus, etiam Spiritum S. & Christi sanguinem comprehendimus, nisi quis hunc ad salutarem potius fructum Baptismi referre malit.

§. 11. Formam quod attinet, illa peragitur applicatione aquæ (sive immergendo, sive adspergendo id fiat) & recitatione verborum: *Ego baptizo te in nomine Patris, Filii & Spiritus S.* Ecclesiæ Græcæ utuntur hac formula: Baptizetur servus Christi in nomine Patris, Filii & Spiritus S. Sed mutatio personarum ipsi rei nihil detrahit. Quando vero Apostoli vel in nomine Christi, vel in Christum baptizasse leguntur, non certa formula, sed vel causa efficiens, vel finalis innuitur. Cum baptizarunt in nomine Christi, quod jussu & autoritate Christi, si vero in Christum, quod per baptismum Christo σύσσωμον i. e. concorporem effecerint, significatur. Quod illam formulam attinet, qua quidam ex hæreticis in Ecclesia vetustiore fuerunt usi: Baptizo te in nomine Patris, per Filium, in Spiritu S. quia non legitur, & isti hæretici personarum inæqualitatem sub eadem occultabant, non immerito eandem repudiamus.

§. 12. Finis in scripturis præprimis adducitur regeneratio & renovatio baptizandi. Sic enim Salvator *Joh. 3. v. 3. Amen, amen dico tibi, nisi quis regeneratus fuerit, non potest videre regnum Dei.* Et *v. 5. Nisi quis natus fuerit ex aqua & Spiritu, non potest introire in regnum Dei.* Ubi particulam ἄνωθεν quidam vertunt ex supernis, quidam autem per iterationem, ita ut per γέννησιν ἄνωθεν regeneratio intelligatur, exponunt. Quantumvis autem utraque explicatio nihil contra fidei analogiam statuat & conjungi possit, ex iis tamen, quæ Nicodemus regessit, & ex locis parallelis regenerationem potius intelligimus. Sic Apostolus Paulus *Tit. c. 3. v. 5. Non ex operibus, quæ feceramus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus S.* Per regenerationem fidei donatio, per renovationem motuum spiritualium excitatio significatur. Quantumvis regenerationis voce in Apol. Confessionis Augustanæ justificatio quoque veniat, quia tamen justificatio, quæ stat & cadit cum fide, æque late cum fide patet,

& prior descriptio in libris symbolicis Ecclesiarum nostrarum, utpote art. 2. Form. Conc. strictè dictæ, occurrit, in oppositione ad renovationem, definitionem istam retinere voluimus. Cum solitarie ponitur
433. vox regenerationis, renovationem ambitu suo includit, (art. 3. & 4. Formulæ Conc.) & in hac vita non ὁλικῶς, sed μερικῶς peragitur. Unde dies extremus dies παλιγγενεσίας dicitur, *Matth.* 19. *v.* 28. & de renovatione, quod de die in diem petagatur 2. *Cor.* 4. *v.* 16.

§. 13. Ex hoc ipso, quod baptizati regenerentur, patet, infantes etiam in baptismo fide donari. Cui assertioni suffragatur scriptura *Matth.* 18. *v.* 6. cum Salvator παιδίον i. e. puerulum, in medio collocatum, & discipulis exemplar humilitatis ob oculos positum, in se credere dicit. Ne vero quis cum Anabaptistis excipiat, puerulum istum fuisse grandiusculum, capacem auditus verbi, *Marcus* eandem historiam recitans *c.* 9. *v.* 36. à Christo in ulnas susceptum fuisse, dicit. Sic infantes sibi placere, Salvator *Matth.* 19. *v.* 14. verbis & factis probat, cum tamen *absq; fide impossibile sit, placere Deo, Hebr.* 11. *v.* 6. Et ne scrupulus hic circa ætatem injiciatur, Lucas eandem historiam referens, quos Matthæus παιδία i. e. puerulos vocat, ipse τὰ βρέφη nominat *c.* 18. *v.* 15. Sed hoc vocabulum vel de infantibus in utero latentibus, vel nuper in lucem editis usurpatur. Vide *c.* 1. & 2. *Luca* ubi de Christo & Johanne aliquoties usurpatur. Unde Petrus hoc epitheton, quod sint ἀρτιγέννητα i. e. modo nati *c.* 2. *epistolæ prioris v.* 2. ipsis tribuit, cum inquit: *Ut* ἀρτιγέννητα βρέφη i. e. *infantes nuper in lucem editi lac illud, non corporis, sed animæ, quod dolum nescit, appetite, quo per illud suboleſcatis.* His accedit, quod opera interna ex fide promanantia infantibus & lactantibus in scripturis tribuantur, ut *Ps.* 8. *v.* 3. *Ex ore infantium & lactantium perfecisti tibi laudem.* Ne vero quis excipiat, laudem objectivam, prout etiam irrationales creaturæ Deum laudare i. e. materiam laudis præbere dicuntur, intelligi, os, instrumentum laudis, nominatur.

§. 14. Distinctio etiam inter opera externa & interna in scripturis est fundatissima, v. g. quando Apostolus 1. *Cor.* 13. 3. ait: *Etiamsi omnes facultates meas in alimoniam* (aliorum) *insumam, & si trado corpus meum, ut comburar, charitatem autem* (sc. internam) *non habeam, nihil utilitatis inde capio.* Sic distinctio inter fidem actualem & activam hic locum invenit. Actualis est, quæ potentiali (Calvinianorum semini & radici fidei, quam tribuunt infantibus electis) opponitur; activa est, quæ foras in actus externos bonorum operum erumpit. Posteriorem licet infantibus baptizatis derogemus: priorem tamen iisdem concedimus & asserimus. Sed hac de re pluribus in aphorismis.

§. 15. Baptismum Calviniani dividunt in externum & internum, cujus divisionis 434
sensus, ut eo melius cognoscatur, fidem ipsorum copulativam quadantenus lustrabimus. Fluit hæc divisio ex absoluto prædestinationis decreto, vi cujus Deus vel maximam hominum partem in Adamo (ut Supra-lapsarii docent) ad æternum exitium creavit, vel ex lapso genere humano (ut Sub-lapsarii volunt) maximam partem in interitu relinquere, absolute decrevit. Infantes Christianorum parentum, sed absolute ad vitam æternam electos (quod occultare solent) ab utero matris, antequam baptizentur, sanctos esse

esse sanctitate fœderali, per baptismum autem tanquam signum externum hoc confirmari: quando vero perveniant ad annos discretionis, baptismum internum consequi, regenerari ac fide donari, statuunt. Si vero infans Christianorum Parentum sit ex numero absolute reproborum, baprizari quidem baptismo externo, sed licet millies eodem ringarur, (verba Bezæ recito) nunquam tamen interno baptizari, volunt. Sunt quidem ex nostratibus (ut Heerbrandus & alii) eadem baptismi divisione in internum & externum utentes, sed sensu id faciunt diversissimo. Non enim temporum & locorum intervallis, quin & personarum distinctionibus (ceu Calviniani faciunt) utrumque interrumpunt, sed uno actu, quando aqua super infantem spargitur, Christum intus suo sanguine baptizare, statuunt. Licet hic Calviniani de quibusvis Christianorum infantibus secundum canonem charitatis judicandum esse doceant, quia tamen canon hic salrem probabilis est, (prout *charitas sperat omnia* 1. *Cor.* 13. *v.* 7.) nos potius secundum canonem veritatis judicium ferendum esse censemus. Alias Baptismum unum Scripturæ docent *Eph.* 4. *v.* 5. *Unus Dominus, una fides, unum baptisma &c.* nec ἀπόθεσιν ῥύπου σαρκὸς i. e. depositionem sordium carnis, cujusmodi Pædo-baptismus est apud Calvinianos, sed stipulationem bonæ conscientiæ vocant 1. *Petr.* 3. *v.* 22. Inde symbolum Nicænum articulo tertio confitetur unum Baptisma in remissionem peccatorum. Lateat, quod fundamentum, cui doctrina Calvinianorum prorsus ἀνάγεια superstructa est, sit ruinosum. Sed plura forsan de his dicemus in seqq. Jam ad aphorismos accessum faciemus.

APHORISMUS I.

Baptismus est prima gratiæ porta. Baptismus est prima naufragi tabula.

SCHOLIUM. 435.

§. 1.

QUod *in peccatis conceptí, Ps.* 51. *v.* 7. quod *ex immundis immundi, Jobi* 14. *v.* 4. quod *caro de carne, Joh.* 3. *v.* 6. quod *iræ filii* nati simus, *Eph.* 2. *v.* 3. Solis radiis scriptum invenitur. Unde Lutherus in formula Sponsores invitandi pro simplicioribus conscripta, his utitur verbis: GOtt hat mir einen jungen Heyden beſcheret. Sunt enim infantes etiam Christianorum, antequam baptizentur, extra Christum, extra gratiam, extra Ecclesiam, sed per hoc Sacramentum initiationis Christo & Ecclesiæ fiunt concorpotes, da wird der erſte Stein zu ihrer Seligkeit geleget. Confessio Ecclesiarum Æthiopicarum, quæ sunt sub pretioso Johanne, tales infantes nondum baptizatos Semi-Christianos, dubio procul ad sanctitatem Ecclesiasticam respiciens vocat. Verba ipsa prioris aphorismi ad dictum Salvatoris *Joh.* 3. *v.* 5. *nisi quis natus fuerit ex aqua & Spiritu, non potest introire in regnum Dei*, alludere videntur. Per portam enim in locum prius abditum & inaccessum ingredimur. Posterioris de naufragi tabula locum Petrinum *in Epistola* 1. *c.* 3. *v.* 20. & 21. ubi Baptismus cum arca Nohæ confertur, respectum habent. Observandum tamen h. l. quod Baptismus prima naufragi tabula non dicatur in respectu ad secundam, ceu volunt Pontificii, quasi fœdus Baptismale per peccata fieri possit irritum, ita, ut pœnitentia

Sacramentum initiationis recipiendi ſunt, & recipiebantur. Ergo. Ad ſanctitatem autem Eccleſiaſticam ſpectant dicta v. g. *Rom.* 11. *v.* 16. *Si radix eſt ſancta, ſancti etiam ſunt rami*, & 1. *Cor.* 7. *v.* 14. *Sanctificatur maritus infidelis per uxorem: & ſanctificata eſt uxor infidelis per maritum: alioqui filii veſtri eſſent immundi, nunc autem ſunt ſancti.* Senſus eſt, 437
liberos ex altero parente Chriſtiano, altero infideli natos, eadem ſanctitate, (ſcilicet Eccleſiaſtica,) & eodem jure, ac ſi ex utroque parente Chriſtiano nati eſſent, gaudere. Quare divortia Conjugum ejusmodi diſſuadet *verſ.* 12. *&* 13. Phraſin quod attinet, in medio Eccleſiæ gremio naſci, non habet hunc ſenſum, ac ſi quis ab utero matris ſtatim civis ſit Eccleſiæ, ſed, quod à Parentibus Eccleſiæ membris, à quibus jus ad Eccleſiam immediatum accipiat, natus ſit. Paganorum vero liberi (niſi vel per captivitatem, vel donationem, vel alio modo in plenariam noſtram poteſtatem venerint) ſi fieri volunt Chriſtiani, priusquam baptizentur, catechumeni fieri debent.

§. 2. Uſus aphoriſmi hujus in didacticis eſt, ut, quid habeamus ex natura, quid ex gratia, cognoſcamus, ac proinde mediorum uſum, præſertim in re tanti momenti, non negligamus.

§. 3. In Polemicis adverſus Calvinianos, Chriſtianos ex Chriſtianis naſci perſuaſum habentes, uſus aphoriſmi hujus eſſe poteſt.

APHORISMUS III.

Non privatio, ſed contemtus damnat. Non defectus, ſed deſpectus officit. Deus homines, non ſemetipſum, ordini alligavit.

SCHOLIUM.

§. 1.

NE quis ex dictis inferat, ſi Chriſtianorum liberi non ſtatim ab utero matris ſunt in gratia & fœdere cum Deo, quod ante baptiſmum vel in utero matris extincti exhæredes æternæ vitæ fiant, aphoriſmos ſequentes ſubjungere placuit. Pontificii neceſſitatem Baptiſmi abſolutam fingentes, Chriſtianorum liberos ante Baptiſmum extinctos in limbum infantum, ubi pœnam damni patiantur æternam, à viſione beatifica excluſi, amandant: quam etiam ob cauſam exequias ipſis non ducunt, nec in locis conſecratis, ut cœmeteriis & monumentis gentilitiis, ipſorum corpuſcula ſepeliri patiuntur. Sed inter Scyllam Calvinianam, neceſſitatem medii negantem, & Charybdim Pontificiam, neceſſitatem Baptiſmi abſolutam fingentem via media incedimus, ſummam quidem tum præcepti, tum medii neceſſitatem, ex *c. Joh.* 3. *v.* 5. *&* 6. non tamen abſolutam aſſerentes. Quod ſi enim talis caſus emergat, ut infans Chriſtianorum Parentum (*quid enim ad me quiforis?* 1. *Cor.* 5. *v.* 12.) vel in utero matris, 438
vel in partu extingnatur, de ipſius tamen ſalute propterea non ſtatim deſperandum, quia non privatio, ſed contemtus damnat; nec Deus, qui maturius infantes ejusmodi tollit, & ordini ſic eximit, ſe, ſed homines ordini alligavit. Poteſt is extra ordinem in utero matris infantem ejusmodi regenerare, prout Johannem Baptiſtam in utero matris latentem Spiritu Sancto replevit, *Lucæ* 11. *v.* 15, 41. Nec infantes ante diem octavum apud Iſrae-

Digitized by Google

linas extinctos (quod vel exemplum filioli regii 2. *Sam.* 12. *v.* 23. docere potest:) nec propter necessitatis casum in diserto fatis functos æternum damnatos statuimus. Quam ob causam etiam pro matribus & infantibus preces publicæ in Ecclesiis nostris funduntur. Si tamen citra necessitatem propter luxum Baptismus differatur, & infans interea diem suum obeat, res aliter se habet.

§. 2. Usus aphorismi hujus in didacticis est, ne casibus ejusmodi emergentibus, ut fœtus vel in utero matris, vel in ipso partu extinguatur, despondeamus animum, & de salute infantis desperemus, præsertim si faba in nobis propter obitum istum præmaturum cudi nequeat.

§. 3. In Polemicis adversus Pontificios, absolutam baptismi necessitatem statuente, usus aphorismi hujus esse potest.

APHORISMUS IV.

Satius est baptismum repetere, quam de semel suscepto dubitare.

SCHOLIUM.

§. 1.

Offeruntur interdum expositii, de quorum Baptismo non constat: interdum, quibus schedulæ sunt appositæ, sed sine mentione circumstantiarum, forsan quod ipsa mater, maculam hic adspergendam declinans, baptizaverit, vel præsentes nominari nolit, à quibus infans fuerit baptizatus. In tali casu satius est baptismum repetere, quam de semel suscepto per omnem vitam dubitare. In baptismo enim fœdus cum Deo pangitur, quod per omnem vitam durat, quo ipso vel in agone mortis erigimur. Licet enim nos per peccata contra conscientiam ex eodem exciderimus, ex parte tamen Dei stat ἀμεταμέλητον, ita, ut per fidem ad illud ipsum detur regressus. Sic Jonathan & David in extremo vitæ discrimine constituti se fœdere in circumcisione cum Deo icto, erigunt *1. Sam. c.* 14. *v.* 6. & *c.* 17. *v.* 26. Nec repetitur, aut repetitum dici potest, de quo semel peracto non constat. Idem aphorismus, paucis mutatis, usurpari potest, quando quidem non de peracto, sed ritè peracto Baptismo dubitatur. Sæpius enim evenire solet, ut à Pasterioribus ebriis circa substantialia, præsertim formalia, peccetur, & vel ordo personarum SS. Trinitatis immutetur, vel aliqua prætermittantur, vel ἀσυνδιάτα commisceantur. Tunc observandus venit hic aphorismus: Satius est, baptismum repetere, quam de recte administrato per omnem vitam dubitare. 439.

§. 2. In didacticis usus aphorismi hujus esse potest, ut necessitas Baptismi tam præcepti, quam medii stabiliatur, &, ut de fœdere Baptismali quoq; Christianorum quis certus sit. Dicitur inde pœnitentia exercitium Baptismi, quod per hanc ipsam, si per peccata contra conscientiam exciderimus, ad primum istud fœdus detur regressus.

§. 3. In polemicis adversus Anabaptistas Pædobaptismum prorsus rejicientes, Socinianos pro re indifferente ducentes, & omnes Baptismi necessitatem floccifacientes, usus aphorismi hujus esse potest.

APHORISMUS V.

Non quis, sed quid faciat, in administratione Baptismi spectandum. Item: Necessitas non habet legem.

SCHO-

Digitized by Google

SCHOLIUM.

§. 1.

QUantumvis in Ecclesia κατὰ τάξιν καὶ εὐσχημοσύνην peragenda sint omnia, 1. *Cor.* 14. *v. ult.* si tamen extremus necessitatis casus requirat, ut vel à Laico Baptismus sit administrandus, vel infanti sine Baptismo sit moriendum, prius eligendum censemus. Calviniani propter hypothesin de absoluto electionis & reprobationis decreto necessitatem Baptismi parum attendentes, ipsius dispensationem ad certas personas, locum, quin & aliquibus in locis ad certum tempus restringunt. Sic enim *Johannes Calvinus Tomo tractatuum Theol. p. 43.* ubi formam administrandi Baptismum in Ecclesia Genevensi describit, vult ut omnes infantes apportentur ad Baptismũ aut diebus Dominicis Catechismi tempore, aut aliis diebus ad concionem. Verum cum Baptismus prima sit janua, per quam in regnum Dei, dicente Salvatore *Joh. 3. v. 5.* ingrediamur, & ordo Sacramentis inserviat, non imperet, ut infantis saluti & conscientiis Pa-
440 rentum consulatur, emergente casu necessitatis extremo, in Ecclesiis nostris orthodoxis etiam Laicis in ædibus privatis, quocunque tempore Baptismum infantibus dispensare permittit. Habemus, quantum ad personas, prævium Ziporæ *Exod. 4. v. 24.* & mulierum Judaicarum 1. *Macc. 1. v. 36.* exemplum, præsertim si fiat duobus, aut tribus testibus præsentibus. Datur enim Ecclesia quoque domestica *Rom. 16. v. 5.* & Christus promittit, *quod ubi duo, vel tres congregati fuerint in nomine ipsius, in medio eorum præsens sit futurus, Matth. 18. v. 20.* Quin & *Lutherus* matri puerperæ soli Baptismum permittit in summo necessitatis casu *Tom. 8. Ien. p. 45.* Ist es Sache / daß das Weib mit der Geburt so gar unversehens übereilet würde / und das Kind so schwach wäre / daß es verscheiden möchte / ehe sie jemand darzu ruffen könte / in diesem Fall mag sie das Kind alleine tauffen / stirbt es alsdenn / so ist es wol gestorben / und hat die rechte Tauffe empfangen / welches die Mutter in keinen Zweiffel stellen solle. Quoad locum etiam exempla in Ecclesia Israelitica & Apostolica non desunt. Sic Johannes Baptista in ædibus paternis, matre puerpera præsente, circumciditur *Lucæ 1. v. 59. 60.* Sic Cornelius cum suis *Act. 10. v. 48.* Lydia cum domesticis *Act. 16. v. 15.* & alii privatis in ædibus fuere baptizati. Nec etiam tum temporis certa templa Christianis fuerunt.

§. 2. Tempus quod attinet, in V. quidem Test. propter tenellam infantis ætatem dies octavus erat præscriptus: in N. vero statim ac editus est infans, ad Baptismum properandum. Quo nomine laudantur veteres Britanni, quod eo statim die, quo natus fuit, infantem baptizari curaverint. In primitiva quidem Ecclesia tempus Paschatis & Pentecostes ad Baptismum fuit destinatum, excepto tamen necessitatis casu? Licet etiam Sabbathum, tempus quietis, ex instituto divino, sancte celebrandum sit, circumcisio tamen illo ipso peragebatur apud Judæos, ut Christus inquit *Joh. 7. v. 23. Si circumcisionem accipit homo in Sabbatho, ut non solvatur lex Mosis, mihi succensetis, quod totum hominem sanum fecerim in Sabbatho.*

§. 3. Usus aphorismi hujus in didacticis rursus est, ne primum hoc salutis me-

dium negligatur, & si negligatur, scrupulus conscientiis nostris injiciatur.

§. 4. In polemicis adversus Calvinianos, qui vel ab ipso Cacodæmone, si constitutus sit in officio Ecclesiastico, quam à muliere baptizari malunt, usus aphorismi hujus esse potest.

APHORISMUS IV.

441 Limbus puerorum elumbis est evacuandus.

SCHOLIUM.

§. 1.

POntificii pœnam post hanc vitam faciunt duplicem, damni & sensus. Per pœnam damni carentiam beatificæ visionis; per pœnam sensus ustulationem per ignem materialem intelligunt. Utramque vel temporariam faciunt, vel æternam. Pœnam damni temporariam V. T. Patribus etiam sanctissimis, (v. g. ipsi Abrahamo, quem una cum Lazaro in limbo Patrum superiore ab epulone divite in inferno constituto visum fuisse, *Luc. 16. vers. pl.* volunt) propterea quod ante Christi ascensionem cœlum fuerit occlusum; pœnam damni æternam infantibus non baptizatis; pœnam sensus temporariam constituis in purgatorio; pœnam sensus æternam iis, qui recta descendunt in infernum, dictitant. Missis impræsentiarum aliis, de infantibus non baptizatis & eorum pœna duntaxat aliquid injiciemus. De infantibus non baptizatis *Bellarminus* inquit, *l. 1. de Bapt. c. 4. circa finem p. 378. Si sunt prædestinati, omnes baptizantur: Si moriuntur ante Baptismum, non sunt prædestinati.* Sed divisio inter prædestinatos & reprobos est ἄφυκτος, tertium non admittens. *Gretserus in Colloquio Ratisbonensi p. 44.* pro damnatis habet & puellas Israeliticas circumcisionis minus capaces, & puellos ante diem circumcisionis mortuos, & Christianorum infantes sine Baptismo decedentes. Hac etiam de causa corpusculis eorum, in cœmeteriis aqua lustrali consecratis, ne profanentur (cum tamen pessimis in inferno, vel tamen in purgatorio constitutis, cui neminem facile possunt eximere, id non denegent) locum minime relinquunt.

§. 2. Verum, quod attinet puellas V. T. quia carebant præputio, circumcidi non poterant, interim alia media, sacrificia scil. quæ ratione finis aliquid Sacramentale habebant, Deus pro iisdem ordinaverat. Habebantur etiam pro circumcisis, quia erant ex circumcisis & ad esum agni Paschalis adultiores factæ admittebantur.

§. 3. Circumcisioni Deus ipse diem octavum dixit, *Gen. 17. v. 12.* Quomodo itaq; ante diem octavum extincti damnatorum catalogo possunt accenseri? Refutatur hoc etiam exemplo filioli regii, quem Bathseba Davidi, & quidem ex illegitimo thoro, pepererat. Hic ipse, licet ante diem octavum fatis concesserat, & sic circumcisus non fuerat, damnatorium ta- 442
men calculum minimè ferebat. Dicit enim David & quidem solatii plenus, quod ad ipsum perventurus sit, *2. Sam. 12. v. 23.* Infantes Christianorum Patentum vel in utero matris, vel in partu, vel statim post partum ἀπροσδοκήτως i. e. *præter expectationem* demortuos quod attinet, cum Deus ipsos ordini exemerit, promissionem illam, Ero Deus tuus & seminis tui post te (quæ per baptismum ordinarie fuisset applicanda) per Spiritum S.

extra

extra ordinem iis applicare potest. Ideò Christus per omnes ætatis nostræ gradus venire (non statim perfectus homo in mundum introduci,) voluit, ut immundam nostram nativitatem radicitus curaret, & illis etiam, qui matris in utero extinguuntur, prodesset. Nostram sustinuit nativitatem, Synodus Ephesina inquit. *Nec est voluntas Patris cœlestis, ut pereat unus de pusillis istis, Matth. 18. v. 14.* Negant quidem Pontificii, Christum in utero matris embryonem fuisse, sed refutantur ex eo, quod Maria per novem menses gesserit uterum, ita, ut implerentur dies partus *Luca 2. v. 6.* quod sensim intumuerit, prout ab Elisabetha redux ἐν γαστρὶ ἔχειν deprehensa fuit, *Matth. 1. v. 18.* quod concepisse *Luca 1. v. 31.* quod ἔγκυος *Luca 2. v. 5.* dicatur, & quod, tacente Scripturâ, miracula non sint fingenda. Lateat, quod falsissimis hypothesibus sententia Pontificiorum nitatur, de quibus alibi.

§. 4. Usus aphorismi hujus in didacticis est, ne, casibus emergentibus ejusmodi, desponeamus animum, sed divina gratia & misericordia, præprimis Christi merito nixi, circa salutem talium infantum erigamur.

§. 5. In polemicis adversus Pontificios usus aphorismi hujus esse potest.

APHORISMUS VII.

Baptismus repeti potest, non actu suscipiendo novum, sed fide recipiendo veterem.

SCHOLIUM.

§. 1.

COncernit hic aphorismus adultos hypocritas, qui fidem simulantes Baptismo se tingi curant, interdum saltem lucri causa, vel propter lucella mundi hujus momentanea. De his quæritur, an Baptismus iisdem ad salutem prosit? Ubi præmittimus, aliter cum adultis, aliter cum parvulis comparatum esse. Adulti per auditum verbi fidem concipere possunt, quæ per Baptismum ipsis obsignatur & confirmatur: infantes autem in ipso Baptismi actu regenerantur i.e. fide donantur. Quando autem Patrini loco infantum adhuc ante aquæ applicationem respondent, quod credant, enallage temporis est, qua propter actus continuos & non interrumpendos præsens pro paulo post futuro sumitur. 443.

§. 2. Adulti per incredulitatem, aut amissionem fidei regeneratione, quando baptizantur, excidere possunt: infantes verò, quia ponere non possunt operationibus Spiritus S. malitiosum obicem & quidem propter defectum hypocriseos, per Baptismum semper regenerantur. Interim tamen si adultiores hypocritæ baptizati post baptismum credunt, fructus Baptismi suscepti fiunt capaces, & hoc aphorismus vocat fide Baptismum recipere veterem, vel veteris Baptismi fructum consequi. *Quotquot enim baptizati sunt, Christum* (scil. ex intentione Dei salvare cupientis,) *induerunt.* Sed hoc nihil ipsis prodest, nisi per pœnitentiam & fidem revertantur, & sic salutaris Baptismi prius collati fructus participes fiant. Audiamus hac de re *B. Ægidii Hunii* judicium, qui *disputatione 15. super Aug. Confess. de Baptismo à thesi 18.* sic inquit: *Hypocritis, quamdiu sunt impœnitentes hypocritæ, neq; fides competit, neq; justificatio, neq; ingressus in regnum cœlorum, neq; jus filiorum Dei, nec regnat apud illos*

propositum non peccandi, quod Johannes renatis tribuit, nec adversus mundum victoria, ut qui mundi deliciis immersi, mundiq; Principi subjecti & mancipati sunt. Non igitur accensers possunt renatis, quando baptizantur in sua impœnitentia. Postea tamen prædicatione verbi (quod ipsum quoque est regenerationis organum 1. Cor. 4. 1. Petri 1.) conversi possidere incipiunt bona in illorum Baptismo quondam quasi deposita, quæ tamen, antequam pœnitentiam agerent, neque τῇ κλήσει habebant carentes fide, unico accipiendæ, habendæ & possidendæ gratiæ DEI organo, neq; τῇ χρήσει bonis istis utebantur & fruebantur. Hactenus B. Hunnius. Potest etiam aphorismus habere hunc sensum, si per peccata contra conscientiam fœdere baptismali, quod in infantili ætate cum DEO pepigimus, excidetimus, illud tamen ex parte DEI stare ἀκίνητον, ita ut per pœnitentiam ad illud ipsum detur regressus, nec novo fœdere sit opus. Videantur, quæ de tabula secunda naufragi fusius diximus in loco de pœnitentia.

§. 3. Usus aphorismi hujus in didacticis est, ut de Sacramenti hujus efficacia certi simus.

§. 4. In polemicis adversus Pontificios, qui post Baptismum lapsis novo fœdere opus esse dicunt, usus aphorismi hujus esse potest.

APHORISMUS VIII.

444 Substantialibus retentis, baptismus non est iterandus. Item: Ab hæreticis baptizati, non sunt rebaptizandi.

SCHOLIUM.

§. 1.

ERravit errorem hunc in seculo post Christum natum tertio Cyprianus Martyr, Tertulliani discipulus, qui persuasus fuit, ab hæreticis baptizatos esse rebaptizandos. Verum, si Baptismi substantialia retineantur, sententiæ ipsius pollex simpliciter non est premendus. Sunt autem substantialia Baptismi duæ causæ συστατικαὶ, vel constituentes, materia & forma. Materia est aqua, sive fontana, sive fluviatilis, sive pluvialis sit (accidentia siquidem substantiæ nihil derogant,) non alius liquor, v.g. vinum, cerevisia, lac, mel, lixivium, aquæ per artem destillatoriam confectæ ac similes. Quod verò attinet oleum aquæ in Ecclesiis Pontificiorum misceri solitum, tantum sunt aliquot guttulæ, proportionem nullam ad aquam habentes, ita, ut substantiam hujus corrumpere non possint. Quare propter hanc aliquot guttularum supernatantium adspersionem in substantialibus nihil mutari, certum habentes, eos, qui veniunt ad nos è Papatu, non rebaptizamus, prout etiam primæ religionis nostræ Promachi Lutherus, Melanchthon, Justus Jonas, Bugenhagius, Brentius in Papatu baptizati, postquam à fermento Pontificio doctrinam salvificam repurgare cœperunt, non fuerunt rebaptizati. Æthiopes & Jacobitæ, quando frontibus baptizatorum ferro candente signum crucis inurunt, propterea, quod Christus à Johanne baptizaturus dicebatur aqua & igne, *Matth. 3. vers. 11.* ψευδεπιγραφίαν loci committunt.

§. 2. Clavem, qua verus ejusdem sensus recludendus est, ipse Salvator *Act. 1. v. 5.* suppeditat, cum inquit: *Johannes quidem*

quidem baptizavit aqua: vos autem baptizabimini Spiritu S. post dies hosce non multos. Quia nimirum Spiritus S. quem Christus miſſurus erat, in linguis ignitis, id eſt, flammis apparuit, Chriſtus igne baptizaturus dicebatur. Quantumvis autem Salvator aquis Jordanis baptizatus fuerit, non tamen ſequitur, quod non alia, quam Jordanis aqua, peccata ſint abluenda, (ſicuti quidam ſibi perſuaſum habuerunt, & Imperator etiam Conſtantinus M. ſi reſtitueretur ſanitati, voluit in Jordane baptizari,) cum Chriſtus alias etiam aquas baptiſmo ſuo ſanctificaverit, & exempla
445 plurima eorum, qui non in Jordane, ſed alibi baptizati fuerunt, in Sacris extent. Sic tria millia eorum, qui die Pentecoſtes acceſſerunt Eccleſiæ Apoſtolicæ, non in Jordane, ſed Hieroſolymis baptizati fuerunt, *Act.* 2. *v.* 41. Sic Eunuchus Reginæ Candaces, in proximo profluente circa Gazam, *Act.* 8. *v.* 36. Paulus Damaſci, *Act.* 9. *v.* 18. Lydia purpuratarum venditrix Philippis in Macedonia baptizata fuit, *Act.* 16. *v.* 15.

§. 3. Forma duobus actibus principalibus abſolvitur. Primus eſt applicatio aquæ, ſive immergendo (ut in Eccleſiis orientalibus & Ruthenicis fieri ſolet,) ſive adſpergendo (ut in noſtris,) peragatur. Alter pronunciatio verborum: Baptizo te in nomine Patris, Filii & Spiritus S. Parum autem refert, ſive verbum βαπτίζειν in prima perſona (ut apud nos fit,) ſive tertia (ut in Eccleſiis orientalibus & Ruthenicis, ubi formula baptizandi hæc eſt: Baptizetur Servus Chriſti in nomine Patris & Filii & Spiritus S.) uſurpetur. Sic etiam vitia Grammaticalia, v.g. quando Presbyter ille Bavarus indoctus, cum linguæ Latinæ uſus in ſactis etiam Germanis obtruderetur, ſic baptizavit: Ego baptizo te in nomine Patria & Filia & Spiritua S. ſubſtantialia baptiſmi non tollunt. Rectè proin Pontifex Zacharias adverſus Bonifacium Germanorum Apoſtolum pronunciavit, ſic baptizatum non eſſe rebaptizandum. Si verò vel applicatio aquæ, vel verborum inſtitutionis recitatio intermitteretur, vel verba mutarentur, aut cum aliis permiſcerentur, forma Sacramenti hujus ſalva non conſiſteret. Hæreticos quod attinet, ſive laxè pro quibusvis contra Scripturas errantibus, ſive ſtricte, pro iis, qui non tantum in fundamentalibus errant, ſed etiam errorum convicti nihilominus pertinaciter in iisdem perſeverant, ſumantur, modo nihil in ſubſtantialibus mutent, ab iisdem baptizati non ſunt rebaptizandi. Qua de re pluribus docebit aphoriſmus ſequens.

§. 4. Uſus aphoriſmi hujus in didacticis eſt, ut ab accidentalibus, vel ceremoniis liberis ſubſtantialia Baptiſmi probè diſcernere, nec quicquam in iisdem mutandum eſſe, diſcamus.

§. 5. In polemicis adverſus eos, qui ſubſtantialibus à Chriſto inſtitutis alia ſurrogant, inprimis Reformatos, qui culicem colantes camelos deglutiunt, & circa cauſam organicam Sacramenti hujus extrinſecam tam ſuperſtitioſi, circa cauſas εὐκαλικὰς tam prodigi deprehenduntur, ut, deficiente aqua, quovis liquore ſe rectè baptizare poſſe, autument; ſicut & 446
adverſus eos, qui Cyprianum ſecuti, baptizatos ab hæreticis rebaptizandos exiſtimant, uſus aphoriſmi hujus eſſe poteſt.

APHO-

Digitized by Google

APHORISMUS IX.

Qui baptizantur ab Arianis baptizati non rebaptizantur, sed rectè baptizantur.

SCHOLIUM.

§. 1.

SUb Arianis Socinianos, Anabaptistas & omnes Anti-trinitarios hic intelligimus, formam baptismi ad suas opiniones inflectentes, aut aliam substituentes. v. g. Quando quidam illorum in nomine Patris per Filium in Spiritu Sancto personarum inæqualitatem subintelligentes; quidam in mortem Christi, *Rom. 6. v. 3.* cum tamen his verbis non formula baptismi, sed causa finalis exprimatur, quidam in nomine trium principio carentium, (cum proprie solus Pater fons deitatis principio careat,) quidam in nomine ignoti Patris, in veritate matris omnium, & in nomine descendentis Jesu baptizarunt. Ab his omnibus causa *συσταλικὴ* formalis fuit eversa: consequenter, baptismus eorum pro nullo ducendus, nec, qui sic baptizati denuo baptizantur, rebaptizati, sed rectè baptizati dicendi sunt. Nec enim quid gestum videtur, quod ritè gestum non fuit. Interim si Socinianus, aut Arianus, aut Antitrinitarius alius substantialia non mutaret, sed baptizandum aqua proprie dicta in nomine Dei Patris, Filii & Spiritus S. adspergeret & ablueret, licet ipse perversum verborum sensum haberet, nihilominus rectè baptizaret, quia non sensus causæ organicæ, sed efficientis principalis, vel instituentis hic attendendus venit.

§. 2. Usus aphorismi hujus in didacticis est, ut hæreticos ab hæreticis, à substantialibus accidentalia distinguamus.

§. 3. In Polemicis adversus eos, qui Catabaptismum simpliciter probant, usus aphorismi hujus esse potest.

APHORISMUS X.

Hæretici baptismum legitimum habent, sed non legitimè.

SCHOLIUM.

§. 1.

PEr baptismum legitimum intelligimus partibus suis essentialibus, materia & forma, constantem: qui tamen legitimè non habetur, si de causis externis, inprimis finali, non rectè sentitur & docetur, 447
aut superstitiosis ceremoniis deturpatur. Sic Pontificii & Calviniani baptismum legitimum habent, (quam etiam ob causam ad nos venientes non rebaptizamus,) sed non habent legitimè, quia circa causam efficientem & finalem errant, illi etiam superstitiosis ceremoniis eundem collutulant. Pontificii, præterquam quod absolutam huic Sacramento necessitatem affingant, peccata in illo non tantum remitti, sed & tolli, ut & baptizato characterem indelebilem imprimi volunt. Calviniani necessitatem baptismi, tanquam medii ad salutem facientis, floccipendentes, in casu necessitatis Laicos ab administratione Baptismi arcent, & regenerationem ipsius finem esse negant. Bellarminus in loco de Baptismo circa finem, ceremonias Sacramenti hujus in præcedentes, concomitantes & subsequentes distinguit. Præcedentes adducit professionem nominis, scrutinium fidei, abrenunciationem Satanæ & operum ejus, professionem fidei, signationem signi crucis in fronte ac pectore, attrectationem aurium & narium cum saliva, nec non pronunciationem Ephata,

Digitized by Google

Ephatha, impositionem manuum & benedictionem Sacerdotalem, unctionem in pectore & scapulis, abstinentiam vini & carnium, ut & rei uxoriæ. Concomitantes, impositionem manuum, susceptores, consecrationem aquæ, trinam immersionem, tempus Paschatis & Pentecostes. Subsequentes, osculum pacis, unctionem chrismatis in vertice, cereum accensum, vestem candidam, delibationem lactis, mellis aut vini. Sed licet Ecclesiæ nostræ quasdam ex his ceremoniis retinuerint, ut res medias & indifferentes, plures tamen missas fecerunt, nec opinionem cultus aut necessitatis iisdem affingunt. Quædam etiam v. g. delibatio mellis & lactis, apud ipsos Pontificios in desuetudinem venerunt. Hunc aphorismum, aut res in eo contentas dubio procul respexit Luthetus, quando in aureo suo commentario super epistolam ad Gal. in Papatu omnia bona, verbum, Sacramenta, Baptismum &c. fuisse dicit, præterquam quod Pontifex R. sunm excrementum illeverit. Adverbium legitimè, de jure habendi quoque posset intelligi, sed ex antecedentibus, erroribus videlicet circa Sacramentum hoc, id ipsum flueret. Quod in Ecclesia (licet non de Ecclesia,) sint hæretici, patet ex 1. *Cor.* 11. *v.* 19. *Oportet hæreses esse inter vos, ut probentur, qui sunt recti, & Antichristus in medio templi Dei*, scilicet Ecclesiæ, *sessurus dicitur*, 2. *Thess.* 2. *v.* 4. Lateat, quod tabulas matrimoniales, fidei traducem, verbum & Sacramenta, licet traditionibus humanis & perverso sensu contaminata sint, adhuc habeant.

448 §. 2. Usus aphorismi hujus in didacticis est, ut errores hominum ab operibus divinitus institutis separemus.

§. 3. In polemicis partim adversus Syncretistas illos, qui parvum inter diversas sectas circa Sacramentum hoc dissentientes discrimen faciunt, partim contra Pontificios illos, v. g. Pistorium Apostatam, qui hæreticos in Ecclesia esse negant, usus aphorismi hujus esse potest.

APHORISMUS XI.

Quotidianis delictis baptismus quotidianus opus non est. Item: Baptismus non est iterandus.

SCHOLIUM.

§. 1.

Fuerunt in Ecclesia vetustiore, qui propter delicta quotidiana Baptismum quotidie repetierunt, Hemerobaptistæ dicti. Sic *in confessione fidei*, quam profitentur *Ecclesia sub Pretioso Johanne in Æthiopia, legitur*, quod singulis annis in festo Epiphaniæ baptizentur. Verba Confessionis ita se habent: *In memoriam baptismi Christi singulis annis omnes in Epiphaniis Domini baptizamur, & id quidem facimus, non quod ad salutem spectare credimus, sed propter Salvatoris nostri laudem & gloriam. Neq; uberius aeq; refertius spectaculis, jocis & ceremoniis ullum aliud festum celebramus, quoniam in hoc die primò manifestè apparuit sanctissima Trinitas, cum Dominus noster Jesus Christus baptizaretur in flumine Jordanis, cum Spiritus S. in specie columbæ alba, cum facie* (persona,) *Patris & Filii apparuit in una divinitate.* Hæc dicta Confessio. Verum cum nec præceptum, nec exemplum de circumcisione ac baptismo iterando in sacris extet, per hoc Sacramentum initiationis Christo &

Digitized by Google

Ecclesiæ concorpores evadamus, fructus ipsius per omnem vitam extendatur, semel per baptismum renatus per eundem non sit regenerandus, ut semel natus denuo in uterum matris non ingreditur & ex illo nascitur, alia pro quotidianis delictis extent remedia; sententiam Hemerobaptistarum missam facimus.

§. 2. Quod verò factum Ecclesiarum Æthiopicarum, baptismum quotannis repetentium, & quidem in recordationem baptismi Dominici, concernit, nec hujus rei præceptum, aut exemplum ullum in Scripturis extat, nec in hunc finem baptismus legitur institutus, sed ut sit lavacrum regenerationis & renovationis, *Joh.* 3. *v.* 5. *Tit.* 3. *v.* 5. Ut scandalum, quod 449 aliis Ecclesiis hac repetitione baptismi datur, sicco pede præteream. In Ecclesiis quidem Orientalibus memoria Baptismi Dominici die 6. Jan. propter apparitionem S. S. Trinitatis recolitur, & aquæ isto die hauriuntur & asservantur, sed baptismus non repetitur. In seculo quarto festum nativitatis Dominicæ (propterea quod *DEUS in carne manifestatus fuerit*, 1. *Tim.* 3. *v. ult.*) festum Epiphaniorum & Theophaniorum dicebatur, dieq; sexto Januarii celebrabatur: Postquam verò præcipitante isto seculo, frivolas ob rationes dictum festum natalitiorum in diem 25. Decembris (ubi per annos 1200. etiamnum hæret,) fuit translatum, sexto quidem Januarii nomen Epiphaniæ, vel Epiphaniorum mansit, sed Græci orientales memoriam apparitionis, quæ facta fuit in Jordane, occidentales memoriam stellæ, quæ Magis apparuit, solenniter celebrarunt. Inde forsan Ecclesiæ dictæ sub Precioso Johanne agentes acceperunt, sed repetitione baptismi latius progressæ fuerunt.

§. 3. Quomodo verò ex fœdere Baptismali prolapsi regrediamur ad illud, partim in loco de pœnitentia diximus, partim in superioribus attigimus. Delicta nimirum illa quotidiana vel sunt infirmitatis, cum v. g. pravæ cogitationes nobis subrepunt, quibus tamen non assentimur; vel contra conscientiam committuntur & Spiritum S. ac fidem excutiunt. Si sunt primi generis, quia fidem non excutiunt, propterea dolere, miseriam nostram (unde contritio stantium,) agnoscere, nec non remissionem eorundem ex oratione Dominica petere debemus. Si verò secundi generis, per fidem ex auditu verbi conceptam prævia contritione lapsorum, ad fœdus baptismale, quod ex parte Dei constat ἀκίνητον, datur regressus. Prout inter conjuges, quando scinduntur invicem & reconciliantur, novo Conjugio, solennitatibus scilicet novis, opus non est, sed ad pactum prius tantum revertuntur.

§. 4. Usus aphorismi hujus in didacticis est, quod baptismus propter nova delicta, aut memoriam baptismi Dominici non sit iterandus.

§. 5. In polemicis adversus dictos Hemerobaptistas, & Ecclesia, Abyssinorum impuriores, vel Eteobaptistas, usus aphorismi hujus esse potest.

APHORISMUS XII.

Nec mortui, nec in lucem nondum perfectè nati, sunt baptizandi.

SCHOLIUM. 450

§. 1.

VOlunt nonnulli, baptizatos fuisse in Ecclesia

Ecclesia vetustiore illorum loco, qui destinati ad baptismum, morte nimis propera fuerint abrepti, alios, & huc trahunt locum ex 1. *Cor.* 15. *v.* 29. *Alioqui quid facient si, qui baptizantur ὑπὲρ τῶν νεκρῶν,* (Erasmus, *pro mortuis,*) *si omnino mortui non resurgunt? Cur & baptizantur pro mortuis?* Huic explicationi significatio particulæ ὑπὲρ, quæ vel commodum, vel vicem, rarò vel nunquam locum (nisi forsan aliis jungatur, ut *Eph.* 4. *v.* 10. *Ascendit ὑπεράνω πάντων τῶν οὐρανῶν*, i. e. *super omnes cœlos,*) significat, & contextus ipse, cum Paulus inde resurrectionem mortuorum probet, favere videtur. Si enim demortui non resurgerent, non esset, cur ipsorum loco baptizentur alii. Verum, præterquam quod alii locum hunc exponant de baptismo super sepulchris defunctorũ Christianorum, in spem resurrectionis administrato, posito tamen, de substitutione aliorum in locum defuncti Apostolum loqui, facti tantum esset, non juris; quia, ut alterius loco nemo credere, ita nec baptizari, nec regenerari potest. *Justus sua fide vivet, Habac.* 2. *v.* 4. *Unusquisque propriam mercedem accipiet juxta proprium laborem* 1. *Cor.* 3. *v.* 8. Quid? quod regnum gratiæ post mortem cesset, & catechumeni jam per auditum verbi fidem conceperint. Inde cingendus pro cincto, baptizandus pro baptizato habetur, præsertim quando contemtus abest. Occasio baptismi vicarii fuisse videtur, quod inter Christianos nomen professi gentiles baptismum ad finem usque vitæ distulerint. Factum ex eo, ut quidam morte præventi sine baptismo discesserint, quidam in lectulo emortuali, (Clinici dicti,) baptismum susceperint.

§. 2. Nondum in lucem perfectè natos quod attinet, Pontificii quidem propter absolutam Baptismi necessitatem, quam fingunt, tales baptizant: interdum etiam parturientium uterum, quasi Baptismus ad infantem intus latentem pertingat, aqua Baptismali in nomine Dei Patris, Filii & Spiritus S. conspergunt. Verum παλιγγενεσίαν, de qua Christus *Ioh.* 3. *vers. pluribus* loquitur, perfectam & absolutam γέννησιν præsupponit. Quod etiam *jus Canonicum Decret. parte* 3. *distinct.* 4. *c.* 115. probat, Isidori sententiam citans: *Qui sunt in maternis uteris, cum matre baptizari non possunt: quia, qui natus adhuc secundum Adam non est, renasci secundum Christum non potest. Neq; enim dici regeneratio in eo poterit, quam generatio non præcessit.* Nec tamen propterea de salute talis infantis in partu vel ante partum extincti dubitandum esset, quia, quem Deus ipse per inevitabilem casum ordini eximit, extra ordinem quoque regenerare potest.

§. 3. Usus aphorismi hujus in dictatis est, ut, quibus baptismus administrandus sit, teneamus, & vitiis inconvenientiis præveniamus. 451.

§. 4. In Polemicis adversus dictos Pontificios, & eos etiam ex nostris, qui tales infantes nondum perfectè in lucem editos ab obstetricibus baptizari volunt, usus aphorismi hujus esse potest.

APHORISMUS XIII.

Sponsores os, non cor, infantibus communicant.

SCHOLIUM.

§. 1.

Sententiam oppositam suam faciunt quidam Syncretistæ cum Pontificiis & Calvi-

Calvinianis, quantum ad infantilis fidei abnegationem, tibias easdem inflantes. Dicunt enim ut os, quando loco infantum, se credere, respondent; ita & cor infantibus à Patrinis & susceptoribus communicari. Sed aliter cum ore, aliter cum corde infantium ejusmodi comparatum. Quod loco infantum respondeant susceptores, ideo fit, quia infantes sunt infantes, non fari potentes. Sed in corde talium Spir. S. per Baptismum tanquam ὄργανον ἐνεργητικὸν modo nobis imperceptibili fidem accendit. Quod si jam probatum fuerit, fidem in infantes baptizatos cadere, quod de communicatione cordis diximus, sponte ruit. Rationibus ex c. *Matth.* 18. *v.* 19. & *Ps.* 8. superius adductis addimus, 1. quod in Baptismo fœdus cum Deo pangatur, 1. *Petr.* 3. *v.* 21. ubi vocatur, *stipulatio bonæ conscientiæ cum Deo.* Sed in ejusmodi stipulationibus duæ manus sibi obviant. Ubi apprehendens ex nostra parte sola est fides. 2. Quod infantes in circumcisione quoque cum Deo pepigerint, & quod circumcisio vocetur σφραγὶς δικαιοσύνης τῆς πίστως, i. e. *signaculum justitiæ fidei*, i. e. quæ per fidem obtinetur, *Rom.* 4. *v.* 11. 3. Quod *per baptismum Christum induamus*, *Gal.* 3. *v.* 27. Sed Christum per fidem induimus. Est enim ipsius meritum extra nos positum, quod tamen manu fidei apprehensum fit nostrum. 4. Quod alias infantes brevi post baptismum decedentes absque fide salventur. 5. Quod alius sit justificandi modus adultorum & infantum respectu: Illi per fidem, hi verò sine fide salventur. Fidei radix, de qua multum deblaterant Calviniani, non est fides actualis, sed potentialis, in adulta demum ætate conferenda.

§. 2. Usus aphorismi hujus in didacticis est, ut defectus naturales & morales limitibus accuratis discernamus. Quod infans ab ineunte ætate fari non possit, de- 452
fectus est naturæ, non per saltus, sed per gradus incedentis, vel successivè suas operationes perficientis, cujusmodi non tolluntur à Spir. S. Sed peccatum originale defectus est moralis, cujusmodi Spiritus S. quoad reatum & dominium in Baptismo tollit.

§. 3. In Polemicis adversus Pontificios, Calvinianos, Anabaptistas & Syncretistas, fidem infantilem negantes, usus aphorismi hujus esse potest.

APHORISMUS XIV.

Peccatum in Baptismo tollitur, non ut non sit, sed ut non imputetur.

SCHOLIUM.

§. 1.

UT rectius capiatur hic aphorismus, inter materiale ac formale peccati, & hoc vel absolutum, vel relatum in scholis distingunt. Per materiale ipsam vitiositatem, κακὸν παρακείμενον *Rom.* 7. *v.* 21. καὶ εὐπερίστατον *Hebr.* 12. *v.* 1. i. e. *malum adjacens & tenaciter inhærens*; per formale absolutum ἀνομίαν i. e. *exorbitationem à lege*, per relatum verò peccati reatum intelligunt. In Baptismo nec materiale, nec formale absolutum, sed relatum i. e. reatus, ne nobis peccatum coram tribunali divino imputetur, tollitur. Materiale siquidem usque ad supremum halitum nobis inhæret, ut Paulus renatus super hac miseria spirituali tragicè conqueritur *Rom.* 7. ferè per totum. In Baptizatis etiam hoc ipsum se per suos motus exerit.

Digitized by Google

exerit. Ita peccatum manet ἀνομία & ἀδικία, licet propter imputatum Christi meritum reatus actualis inde tollatur. Si quis tamen materiale quadantenus imminui & infringi, ne dominium suum in baptizatis exerat, dixerit, à veritate nihil alienum dixerit. Est enim Baptismus lavacrum non tantum regenerationis, sed & renovationis, quæ de die in diem peragitur, 2. *Cor.* 4. *v.* 16. Per regenerationem sive fidei donationem, sive justificationem intelligamus, (justitia enim imputata stat & cadit cum fide,) reatus peccati per illam tollitur. Sunt enim duo termini, à quo & ad quem, circa formam justificationis considerandi, peccatorum scil. remissio, & justitiæ Christi meritoriæ imputatio. Baptismus confertur in remissionem peccatorum *Marci* 1. *vers.* 4. & in illo Christum induimus, *Gal.* 3. *v.* 27. Dicitur alias peccati reatum in justificatione, dominium in sanctificatione, sensum & inhærentiam in morte, radicem in emendatione, quando arma injustitiæ destruuntur, tolli.

453 §. 2. Usus aphorismi hujus in didacticis est, ut, quousque peccatum in baptismo tollatur, constet.

§. 3. In polemicis adversus Pontificios, peccatum quoad materiam in Baptismo exitpari statuentes, usus aphorismi hujus esse potest.

APHORISMUS XV.

Baptismus est Imperatoris nostri character.

SCHOLIUM.

§. 1.

INter alios Baptismi fines est etiam, quod sit doctrinæ professio. Quorsum respiciens *Augustinus*, Baptismum characterem regium, vel Imperatoris nostri Christi characterem vocat. Ut enim Imperatores & reges suis imaginibus & coloribus ab aliis in eminentia constitutis distinguuntur: sta suos his veluti tesseris ab aliorum Ministris distingui volunt. Pari modo per amputationem pelliculæ populus circumcisus ab incircumciso: per Baptismum à Paganis & Judæis Christiani discernuntur & dignoscuntur. Tenaces ergò suæ professionis Christiani esse debent, suoque Imperatori fideli ministerio præsto semper adesse. Quod de charactere indelebili animæ per Baptismum impresso nugantur Pontificii, corruptio ac depravatio est horum & similium locorum.

§. 2. Usus aphorismi hujus in didacticis est, ut notam professionis nostræ, qua dignoscimur ab aliis, servemus integram, nec cum veritatis hostibus subdole conspiremus. Symbolum hujus tesseræ est vestis alba, qua baptizati solent indui, &, renunciatione Diabolo & omnibus ipsius squamis facta, Duci suo arctius adstringi.

§. 3. In polemicis adversus Pontificios, his & similibus Patrum locutionibus abutentes, & impressionem characteris indelebilis in vitam futuram etiam durantis asserentes, usus aphorismi hujus esse potest.

APHORISMUS XVI.

Johannis Baptismus idem fuit cum baptismo Christi.

SCHOLIUM.

§. 1.

FIngunt Pontificii perversas suas hypo-

theſes ſecuti, quaſi fructus mortis Chriſti demum poſt peractum redemtionis negotium, & prolatum in cruce verbum
454 conſummatum eſt, cœpiſſet, Johannis Baptiſmum non eundem fuiſſe cum Baptiſmo Chriſti. Verum ſi cauſas utriusque conferimus invicem, easdem deprehendimus. Efficientem quod attinet, Johannes ipſe ad inſtitutionem divinam provocat. *Johannis* 1. *v.* 33. dicit: *Qui miſit me, ut baptizarem aqua, is dixit mihi: Super quem videris Spiritum deſcendentem & manentem ſuper eo, hic eſt, qui baptizat Spiritu S. Lucæ* 3. *v.* 2. *Factum eſſe verbum Domini ſuper Johannem Zachariæ Filium in deſerto*, commemoratur. Quem in finem, vel cujus rei gratia, ſubjicitur: *Et venit in omnem regionem finitimam Iordanis, prædicans Baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum.* Inde *Baptiſmus Johannis de cœlo* eſſe dicitur, *Matth.* 21. *v.* 25. & Phariſæi, quod non fuerint à Johanne baptizati, *conſilium Dei adverſus ſeipſos irritum feciſſe*, arguuntur, *Lucæ* 7. *v.* 30.

§. 2. De materia res in aprico poſita eſt, quod Johannes aquam applicaverit elementarem. Aliquoties enim in Jordane & in Ænon, ubi erant aquæ multæ, baptizaſſe legitur. Etiamſi verò, quibus verbis formalibus Johannes uſus fuerit, (nec enim ceremoniam mutam putabimus,) non commemoretur, quia tamen S. S. Triniratem,

Voce Patrem, Natum corpore, Flamen ave,

ſe revelantem ad Jordanem vidit, dubium non eſt, quin ipſius nomine Baptiſmum adminiſtraverit. Poſito etiam, quoad toeidem literas & apices non fuerint eadem verba, quibus nos utimur, quoad rem tamen à verbis noſtris non procul abfuiſſe, certo certius habendum.

§. 3. Circa finem minus difficultatis hic occurret. Ut enim Baptiſmus Johannis fuit *Baptiſmus pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum Marci* 1. *v.* 4. *Lucæ* 3. *v.* 2. 3. Sic Baptiſmus Chriſti ab Apoſtolis pœnitentibus in remiſſionem peccatorum adminiſtratus legitur, *Act.* 2. *v.* 38. Ut Baptiſmus Johannis (ſuper quo commotus Nicodemus colloquium cum Chriſto inſtituit, ut *ex v.* 11. *Ioh.* 3. apparet,) *lavacrum* fuit *regenerationis*, *Ioh.* 3. *v.* 3. Sic & Baptiſmus Chriſti, *Tit.* 3 *v.* 5. Nec obſtat, quod à Johanne baptizati fuerint rebaptizati. Sic enim in *περιαποστόλῳ c.* 19. *v.* 1. *& ſequentibus* legitur: *Factum eſt, cum Apollos eſſet Corinthi, ut Paulus, peragratis ſuperioribus partibus, veniret Epheſum, &, repertis quibusdam diſcipulis, dixit ad eos. Num Spiritum S. accepiſtis, poſtquam credidiſtis? At illi dixerunt ad eum: Imo, neq; an ſit Spiritus S. audivimus. Et ait ad illos: Quo ergò baptizati eſtis? At illi dixerunt, Iohannis baptiſmate. Dixit autem Paulus, Iohannes quidem baptizavit baptiſma pœnitentiæ, populo loquens de eo, qui venturus eſſet poſt ipſum, ut crederent, hoc eſt de Chriſto Ieſu. His verò auditis, baptizati ſunt in nomine Domini Ieſu.* 455
Et cum impoſuiſſet illis manus Paulus, venit Spiritus S. ſuper eos, & loquebantur linguis & prophetabant. Hactenus *περιαποστόλῳ*. Verum enim verò præterquam quod inter baptiſmum fluminis & flaminis (quantum ad miraculoſa dona,) diſtingui poſſit, verba etiam Lucæ ac Pauli minimè ſunt confundenda. Verba iſta: His verò auditis, baptizati ſunt in nomine Domini Jeſu, non ſunt Lucæ hiſtorici cata-

baptiſ-

baptiſmum aliquem recitantis, ſed Apoſtoli Pauli, qui diſcipulos Johannis, poſtquam de fructu Baptiſmi fuiſſent inſtructi, ab eodem ſuo Præceptore baptizatos refert. Id quod particulæ ſuſpentivæ μὲν & δὲ ſibi reſpondentes docere poſſunt. Hypotheſis planè falſa eſt, cum inter actum redemptionis & ejusdem fructum ſit diſtinguendum. Meritum Chriſti, quantum ad fructum, antrorſum & retrorſum valuit: profuit, antequam fiat. *Jeſus Chriſtus heri & hodie & idem in ſecula*, Paulus inquit ad *Hebr.c.13.v.8.* Vide locum de juſtificatione.

§. 4. Uſus aphoriſmi hujus in didacticis eſt, ut de valore meriti Chriſti & communi juſtificandi modo in utroque Teſtamento certi ſimus,

§. 5. In polemicis adverſus Pontificios uſus eſſe poteſt.

APHORISMUS XVII.

Baptiſmus non fuit ſignum temporarium.

SCHOLIUM.

§. 1.

SUnt ex Socinianis, (ut Johannes Sommerus Pirnenſis Miſnicus,) qui Baptiſmum ſignum tantum temporarium, ut jugum Jeremiæ Prophetæ, fuiſſe volunt, quò neceſſitatem ipſius commodius deſtruere queant. Sic autem incruſtant hanc ſententiam: Quemadmodum jugum Jeremiæ Prophetæ ſignum fuit & concio quaſi realis, quod Judæi refractarii jugo Regis Babylonici ſuccollare debeant: Sic ablutionem per aquam ſignificaſſe ablutionem à peccatis, vel reſipiſcentiam (quam in nova obedientia ponunt,) ſignificaſſe, ne deſtrueretur Hieroſolyma & populus Judaicus ſedibus ſuis ejiceretur. Verum enimvero præterquam quod neceſſitas Baptiſmi tam præcepti, quam medii *Ioh.3.v.3.4.5 6.* plus ſatis ſtabiliatur, *Chriſtus omnes gentes baptizare juſſit Matth.28.v.19.* Sed quid ad gentes excidium Hieroſolymitanum? Ne dicam quod alius Baptiſmi finis, *Ioh.3. v.3.5.6. Eph.5.v.26. Tit 3.v.5.* regeneratio nimirum, renovatio, emundatio à peccatis adducatur. Quid opus fuiſſet, ut Eunuchus Reginæ Candaces baptizaretur, ſi ad avertendam παλιγγενεσίαν populi Judaici ſignum hoc inſtitutum fuiſſet. Uſucapionem Eccleſiæ perpetuam ſicco pede hic prætereo. 455

§. 2. Uſus aphoriſmi hujus in didacticis eſt, ut de neceſſitate Baptiſmi certi ſimus.

§. 3. In polemicis adverſus Socinianos, Baptiſmum in cenſum rerum indifferentium rejicientes, & Anabaptiſtas Pædobaptiſmum, ut rem impiam, execrantes, lavacrum ſuillum vocantes, & cum baptiſmo campanarum conferentes, uſus aphoriſmi hujus eſſe poteſt.

APHORISMUS XVIII.

Baptiſmus non ex opere operato, ſed fide prodeſt.

SCHOLIUM.

§. 1.

DE quibus monuimus in loco proximè præcedente, non ſine cauſa hic repetimus, & ad Sacramentum præſens applicamus. Pontificii fidem ſuam carbonariam præſupponentes, Sacramenta N. T. ex opere operato, ut Veteris ex opere operantis, juſtificare vel gratiam conferre volunt, etiamſi nullus adſit bonus motus utentis. His Canonem Theologicum opponimus: Non Sacramentum, ſed fides Sacramenti juſtificat. Ubi enim

eſt

est promissio, ibi ex nostra parte requiritur fides. Sed in Sacramentis (nominatim in Baptismo, verbum est promissionis,) *Marci 16. v. 16. Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvabitur: Qui verò non crediderit, condemnabitur.* Quod si unicum ex parte nostra medium est, quo justificamur, quo gratiam Dei consequimur, fides scilicet, nec à Sacramento Baptismi excludi poterit. Cum baptizandus erat Eunuchus Reginæ Candaces, Philippus ipsi respondet: *Si credis ex toto corde,* (i.e. ἐκ πυρροκείτως, serio & sincere) *licet.* Quod cum ille fassus esset Eunuchus: *Credo, Filium Dei esse Jesum Christum*, baptizatus fuit. *Act. 8. v. 36. 37. 38.* Infantes quod attinet, etiamsi fidem non afferant ad baptismum, per hoc Sacramentum tamen, (quod agit non physice, ut ignis urit, scalpellum incidit, pharmacum sanat, sed ex ordinatione divina) in iisdem accenditur. Est enim Baptismus lavacrum regenerationis, per quod fides donatur, *Joh. 3. v. 3. 4. 5. Tit. 3. v. 5.* Interim tamen licet non Baptismus, sed fides Baptismi salvet, hæc ipsa tamen fides non facit Baptismum esse, 457 sed prodesse. Quia Baptismum (quoad substantialia) integrum etiam hypocrita v. g. Simon Magus, cujus cor non erat rectum *Act. 5. v. 13. 21.* suscipere potest, licet fructus salutaris, quamdiu talis manet, non fiat particeps.

§. 2. Usus aphorismi hujus in didacticis est, ut de Baptismi effectu sanam & Scripturis conformem doctrinam teneamus.

§. 3. In polemicis adversus Pontificios, Sacramentis vim operandi physicam adscribentes, ac si ex opere operato gratiam conferant; ut & Calvinianos, fidem ad essentialia Sacramentorum referentes, quæ tamen Sacramentum non facit esse, sed prodesse, usus aphorismi hujus esse potest.

APHORISMUS XIX.

Baptismus extra usum non est Sacramentum.

SCHOLIUM.

§. 1.

UT Pontificii panem Eucharisticum consecratum (quem in corpus Christi transsubstantiatum volunt) includunt, reponunt, circumgestant, & si mus eundem arrodat, quid accipiat, quærunt: ita si asinus de aqua baptismali bibat, ecquid accipiat, quærunt, dubio procul μετουσίαν aliquam rei cœlestis in terrenam hic tacite fovente. Verum, ut panis & vinum in Eucharistia consecratum, extra usum, si v. g. non manducetur, sed pedibus ex improviso teratur, aut ad extinguenda incendia reservetur, & ad alios usus adhibeatur, non est corpus & sanguis Christi: Sic aqua Baptismalis, extra lotionis hujus usum, nec cum SS. Trinitate, nec cum Spiritu S. nec cum sanguine Christi unita est, sed est simplex aqua, & ab ædituis in Ecclesiis nostris in angulos, aut alium locum effunditur. Ibi (scilicet in Sacramento Eucharistiæ) Christus præmittit: Manducate ac bibite, tunc demum esse corpus & sanguinem suum dicit. Hic emundatio à peccatis per applicationem aquæ & recitationem formulæ divinitus institutæ requiritur, si res cœlestis & terrena debent esse conjuncta.

§. 2. Usus aphorismi hujus in didacticis est, ut usum Sacramentorum, quando pro actione Sacramentali sumitur, recte capiamus, & ab usu salutari discernere valeamus.

§. 3. In Polemicis adversus Pontificios, quæ-

quæstiones tales non frustra moventes, usus aphorismi hujus esse potest.

458. ## APHORISMUS XX.

Exorcismi duriora verba commodiore sensu sunt interpretanda.

SCHOLIUM.

§. 1.

NOn desunt, qui ritum exorcismi energumentis i. e. obsessis à Diabolo, fuisse adhibitum volunt. Sed ritum hunc, ut circa Baptismum fuit adhibitus, antiquissimum esse, monumentis historiarum informamur. Utut autem variis ceremoniis refertus ex Papatu ad nos venerit, iisdem tamen quadantenus liberatus ut indifferens retentus fuit, quo natura peccati originalis, miseria nostra spiritualis, & efficacia Baptismi per eundem declaretur, & ob oculos quasi ponatur. Quam tragice vero Calviniani contra ritum hunc adiaphorum declamitent, dici nequit. Jam enim nobis affingunt, ac si Dæmonas per eundem expelli statuamus, & ita corporalem infantum obsessionem præsupponamus, jam Antichristi tessera nos insigniri dicunt. Verum enimvero, licet verba sint duriuscula, commodiore tamen sensu sunt interpretanda. Non enim de obsessione corporali, sed de dominio spirituali, cui baptizandus infans, ut filius iræ, subjectus est, agunt. Ante baptismum enim infantes sunt *caro de carne Ioh.* 3. *vers.* 6. *transgressores ex utero*, *Esa.* 48. *vers.* 8. *immundi ex immundis*, *Job.* 14. *vers.* 4. & per baptismum demum in regnum Dei recipiuntur. Quantumvis autem in quibusdam Lutheranis Ecclesiis ritus hic sit abrogatus, quæ nec nostris propter eundem retentum, nec nos illis dicam scribimus, quia tamen in casu confessionis adiaphora induunt rationem rerum necessariarum, (tunc enim articulus de Christiana libertate simul impugnatur:) veritatis hostibus ne quidem in ejusmodi ritibus indifferentibus vel tantillum cendendum est.

§. 2. Quam ob causam, præcipitante seculo superiore, cum Crypto Calviniani suum venenum in hasce ditiones Saxonicas infusuri, ab exorcismi abrogatione tanquam causa plausibili facerent initium, qui γνησίως erant Lutherani extrema quævis pati volebant, quam ut in abrogationem hujus ritus consentirent. Non enim ut adiaphorum, sed ut ceremonia prorsus impia & Antichristi nota Exorcismus erat abrogandus. Circumferebatur post obitum B. Hunnii Senioris, quem vidit annus currentis seculi tertius, scriptum aliquod de abrogando exorcismo, quasi ab ipso fuisset compositum, sed suppositititum
459. fuisse, vel immutatio status controversiæ docet. Autor enim istius, dubio procul Calvinianus, argumentis ex *c.* 15. *Matth. v.* 9. desumtis, *frustra me colunt mandatis hominum*, & *v.* 13. *omnis planta, quam non plantavit Pater cœlestis, eradicabitur*, exorcismum impugnat, cum B. Hunnio probe constiterit, nos exorcismum nullatenus cultum facere, sed in censu rerum indifferentium habere. Absit itaque, ut Theologo doctissimo & candidissimo vel ignorantiam, vel malitiam hanc adscribamus. Ne dicam, quod ex aliis etiam unguibus Autor istius scripti, cum signum crucis, veteribus precum compendium, ita tacite pungit, cognoscatur. Cur autem in his ditionibus, ut in aliis, ritus hic non abrogetur, rationes sunt, quod infirmiores, certaminum istorum memores, non exiguum scandalum essent passuri, si nos jam in iis, super quibus tantopere pugna-

tum fuit, victas manus præbere viderent, hostes autem veritatis quasi obtenta victoria nimium quantum gloriaturi & cristas erecturi. Qua in re sequuntur exemplum Apostoli, qui dicit *ad Gal. 2. v. 3.4.5. se Titum circumcidi passum non fuisse, propter falsos fratres obiter subingressos ad explorandam libertatem nostram, quam habemus in Christo Jesu, quibus ne ad horam cesserit.*

§. 3. Usus aphorismi hujus in didacticis est, ut de natura & essentia ritus hujus indifferentis certi simus.

§. 4. In polemicis adversus Calvinianos usus aphorismi hujus esse potest.

APHORISMUS XXI.

Actualia peccata, sed obscuriuscula, etiam in infantes cadunt.

SCHOLIUM.

§. 1.

AN formula, quæ in Ecclesiis nostris, cum baptizantur infantes adhiberi solet, Deum remittere velle baptizando non tantum id, quod ex hæreditaria vitiositate Parentum traxit, sed & quod ipse superadjecit, toleranda sit, quæritur. Academiæ Juliæ Professores in scripto, quod opposuerunt Statio Buschero, *p.* 218.219. negant hoc, &, cum baptizantur adulti, tantum usurpandam censent. Urgent, quod infantes inter dextram & sinistram discernere nequeant *Jonæ c. 4. v. 11.* Sed inter actualia peccata περαιρετικὰ & ἀπεραίρετα distinguendum. Ut hæc distinctio melius capiatur, quid περαίρεσις sit, ex Ethicis discendum. Definit illam *Philosophus l. 3. Ethic.* ubi de principiis actionum humanarum agit, quod sit ἑκούσιον προβεβουλευμένον i. e. spontaneum prius deliberatum. Jam quia propter defectum usus rationis talis deliberatio non cadit in infantes, neque actualia peccata περαιρετικὰ iisdem tribuimus. Interim ἀπεραίρετα & obscuriuscula ipsis denegati non possunt. Aut enim actiones, quas edunt, sunt ἀνόμοι, aut ἔννομοι. Non ἔννομοι, vel propter defectum boni ineſſe debiti. E. Ἀνόμου. Ne dicam jam de ignis, ira, excandescentia & aliis. Transgressores ab utero certe vocantur *Es.* 48. *v.* 8. Nec vetus hoc fermentum in infantibus latens ociosum est, sed ebullit, & radix venenata, quam trahimus ex Parentibus nostris, vitiosos fructus edit. Oritur autem hæc Julianorum opinio ex falsa hypothesi, quod peccatū originale sit carentia justitiæ primis Parentibus concreatæ, tanquam boni alicujus supernaturalis: qua ratione naturalia post lapsū manserunt integra. Dubio procul enim actiones infantibus non denegabunt. Sed istam falsam hypothesin alibi destruximus. Locum Jonæ quod attinet, de peccatis proæreticis loquitur, ut & locus Apostoli *Rom. 5. 14.* mortem etiam in eos regnasse, qui non peccaverunt ad similitudinem Adami, sc. actualiter & proærerice. Dicuntur autem innocentes (qui *filii* sunt *iræ Eph. 2. v. 3.*) non ἁπλῶς, sed συγκριτικῶς, in comparatione ad adultos, imprimis respectu infanticidii, quod in iis commisit Herodes *Matth. 2. v. 16.* 460

§. 4. Usus aphorismi hujus in didacticis est, ut veram sententiam de peccatis infantum teneamus, & ex magnitudine morbi magnitudinem remedii æstimemus.

§. 5. In polemicis adversus dictos Julianos, & qui cum iis faciunt, usus aphorismi hujus esse potest.

LOCUS

Locus XVII.

De

COENA DOMINI.

§. I.

POſtquam Sacramentum initationis vidimus, ad Sacramentum confirmationis, in quo ſpiritualis alimonia nobis recondita, rectà nos conferimus. Varia Sacramentum hoc accepit nomina, quæ partim Biblica ſunt, partim Eccleſiaſtica. Illa vel ῥητῶς, quoad totidem literas in ſacris leguntur, vel per bonam conſequentiam eliciuntur. Evidentiſſimus terminus, qui legitur in ſcripturis quoad to-
461 tidem apices, & uſu receptus eſt, legitur 1. *Cor.* 11. *v.* 20. ubi κυριακὸν δεῖπνον i. e. *cœna Domini* vocatur. Ratio denominationis eſt, quod in cœna ultima poſt epulum paſchale hæc alimonia ſacra fuerit inſtituta. Unde phraſis: Zum heiligen Abendmahl / oder zum heiligen Nachtmahl gehen. In ea ſiquidem nocte, qua traditus fuit Dominus, epulum hoc Sacrum inſtituit, 1. *Cor.* 11. *v.* 23. Vocatur & τράπεζα Κυρίου i. e. *menſa Domini* 1. *Cor.* 10. *v.* 21. *Non poteſtis eſſe participes menſæ Domini & menſæ Dæmoniorum.* Unde quoque trita locutio: Zum Tiſch deß HErrn gehen. Vocatur Sacramentum corporis & ſanguinis Dominici, non quidem κατ' ἐξοχὴν, ſed κατ' ἐξοχὴν πρᾶγμα, quia cibus nobiliſſimus hujus epuli eſt corpus & ſanguis Domini, ut ex verbis inſtitutionis *Matth.* 26. *Marci* 14. *Lucæ* 22. 1. *Cor.* 11. apparet. Vocatur Euchariſtia quoque per conſequentiam ex verbis inſtitutionis deſumtam. Dominus enim εὐχαριστήσας i. e. poſtquam gratias egiſſet, hoc epulum inſtituit, 1. *Cor.* 11. *v.* 24. Et quia nos pro redemtionis opere debemus εὐχαριστεῖν i. e. gratias agere, ſicut nos adhortatur Apoſtolus eodem *c. v.* 26. *Quotieſcunque comederitis panem hunc,* (qui ſc. eſt medium exhibitivum corporis Dominici,) *& de poculo hoc biberitis, mortem Domini annuncietis, donec venerit.* Ubi καθ' ἐξοχὴν notetur, Theologos inter duo verba, (quorum utrumque in verbis Inſtitutionis, ſed apud diverſos Autores, occurrit,) εὐχαριστεῖν καὶ εὐλογεῖν diſtinguere, quod illud ſignificet gratias agere, hoc vero benedicere: illud ad Deum, hoc ad ſymbola dirigatur: illi (quia verba Chriſti non fuerunt annotata) ex Chriſtiana libertate in Eccleſiis noſtris reſpondet oratio Dominica, vel in feſtis ſolennioribus aliæ orationes, quibus Deo pro præſtitis beneficiis gratias agimus; huic recitatio verborum inſtitutionis. Vocatur & ſacra ſynaxis, ex 1. *Cor.* 11. *v.* 20. *Congregatis vobis &c.* ubi tamen caſus neceſſitatis, quando in ædibus privatis ægrotis cœna DOMINI porrigitur, excipiendus eſt. Vocatur λειτουργία non quod

ſacrificium ſit, ſed pars miniſterii publici præcipua. Sic Angeli vocantur πνεύματα λειτουργικὰ i. e. *Spiritus adminiſtratorii, Hebr. c. 1. v. 14.* qui tamen ſacrificia nulla offerunt. *Act. 13. v. 2.* per λειτουργίαν non incommode preces (ſicut ex verticulo tertio ſequente lucem hic accipit,) publicæ intelliguntur. Pontificiis miſſa vocatur à veteri formula, qua catechumeni dimittebantur: Ite miſſa eſt, id eſt, miſſio eſt: ut apud Græcos finitis ſacris: λαῷ ἄφεσις i. e. *populo dimiſſio.* Hæc vox pro λειτουργίᾳ publica ſumta etiam à noſtris interdum retinetur, prout in abuſu tertio Confeſſionis Auguſtanæ dicitur: Falſo accuſantur Eccleſiæ noſtræ, quod Miſ-
462 ſam aboleant: retinetur enim Miſſa apud nos, & ſumma reverentia celebratur. Calviniani ab actu aliquo miniſteriali, diminutione panis in partes vocant ἀρτοκλασίαν i. e. fractionem panis, das Brodbrechen. Unde phraſis, zum Brodbrechen gehen.

§. 2. Definitur cœna Domini, quod ſit alterum N. Teſt. Sacramentum ab ipſo Chriſto inſtitutum, in quo verum corpus & verus ſanguis Domini noſtri Jeſu Chriſti in, cum & ſub pane ac vino manducantibus & bibentibus omnibus vere diſtribuitur, & promiſſio gratiæ ſingulis credentibus applicatur & obſignatur. Definitio hæc cauſalis eſt, in qua generi adjunguntur cauſæ, efficiens, materia, forma & finis.

§. 3. Genus eſt Sacramentum, ſed cum aliqua reſtrictione, quod ſit Novi Teſtamenti Sacramentum alterum, qua differentia generica tum à Sacramentis Veteris Teſtamenti, tum à Baptiſmo diſcernitur.

§. 4. Efficiens eſt ipſe Salvator, qui ſecundum officium Propheticum, & ſic, ut θεάνθρωπος, ſigilla doctrinæ ſuæ appendit.

§. 5. Materia vel eſt terreſtris, vel cœleſtis: vel viſibilis, vel inviſibilis. Materia terreſtris & viſibilis eſt panis & vinum. Per panem intelligimus maſſam ex farina & aqua commiſtis, igne humiditatem abſumente, conſolidatam. An magnus, an parvus, an fermentatus, an azymus eſſe debeat, Chriſtianæ libertati relinquimus. Nomina panis, cum ſpecies, cum hoſtiæ, cum oblata vocantur, quod attinet, notamus, per ſpecies nos nullatenus accidentia nuda (ut in Papatu fit, ubi panis Euchariſticus in corpus Chriſti transſubſtantiari, remanentibus tantum accidentibus, fingitur) ſed ſymbola in ſenſus incurrentia intelligere. Calumniam autem putamus, cum propter vocabulum ſpecierum, (quod in articulo decimo confeſſionis Auguſtanæ legitur,) ac ſi transſubſtantiationi faveremus, traducimur. Hoſtia vocatur, non quod panis transſubſtantiatus actu fiat hoſtia in cœna, ſed quod medium exhibitivum ſit corporis Dominici, pro nobis in ara crucis oblati. Quod ut melius capiatur, vocem hoſtiæ vel materialiter, vel formaliter ſumi, tenendum. Materialiter denotat ipſum ſubjectum, quod eſt vel fuit hoſtia: formaliter ſacrificandi actum. Chriſtus in cœna dici poteſt hoſtia, non formaliter, quaſi ſacrificetur, cum celebratur miſſa, ut volunt Pontificii, ſed materialiter, quod in cœna præſens ſit illud ipſum Chriſti corpus, quod olim victima fuit in ara crucis. Ubi σιδηρόξυλον & ἀνακείμενον ἐν φατνιδίῳ notandum, quando Pontificii ſacrificium Miſſaticum θυσίαν ἀναίμακτον, i. e. ſacrificium incruentum

tum vocant. Ad oblationem enim ani-
463 malis deſtructionem & ſanguinis effuſio-
nem intervenire, neceſſum eſt. Quando
autem Patres Græci cœnam vocarunt
θυσίαν ἀναίμακτον, non ſacrificium pro-
priè dictum, ſed metaphoricum laudis &
gratiarum actionis intelligitur. Oblata
vocantur, quia ſcilicet in Eccleſia vetuſti-
ore communicantes τὰ δῶρα, panem &
vinum, ſecum aſportabant & offerebant,
de quibus pars huic actioni ſacræ, pars
Eccleſiæ Miniſtris & pauperibus cedebat.
altera ſpecies eſt vinum, genimen ſcilicet
vitis, ut habetur *Matth.* 26. *v.* 29. An au-
tem aquâ dilutum fuerit, non dicitur.
Pontificii mixturam vini & aquæ vocant
crama, quod eſt à verbo κεράννυμι i. e.
miſceo, & quidem prima perſona Præte-
riti Perfecti paſſivi κέκραμαι. Circa ri-
tum hunc Eccleſiæ orientales & occiden-
tales differunt. Illæ ſiquidem poſt con-
ſecrationem, hæ ante conſecrationem vi-
num aqua miſcent. Nec tamen propte-
rea, ſi vinum aqua miſtum ad celebran-
dam Euchariſtiam offeratur, (ſæpius enim
ab œnopolis ita miſceri ſolet,) ſubſtantia-
lia Sacramenti corrupta putemus, ſed ne-
ceſſitatem duntaxat cramatis impugna-
mus. Hydroparaſtatæ, qui tantum aquam
loco alterius ſpeciei ſubſtituebant, voca-
bantur, & ab Eccleſia vetuſtiore rectius
ſentiente rejiciebantur. Sic quod Inno-
centius IV. mulſam (ex aqua & melle
confectum,) Norvvegianis propter de-
fectum vini conceſſerit in adminiſtrati-
one cœnæ uſurpandam, nullatenus pro-
bamus.

§. 6. Materia inviſibilis & cœleſtis in
hoc Sacramento eſt verum Chriſti cor-
pus pro nobis in mortem traditum & ve-
rus ejusdem ſanguis in ara crucis pro no-
bis effuſus. Hac materia cum modis om-
nibus à Calvinianis, Socinianis & Ana-
baptiſtis impugnetur, nobis ex ſacris literis
erit vindicanda.

§. 7. Fundamentum aſſertionis noſtræ
ſi ponimus verba inſtitutionis, prout à tri-
bus Evangeliſtis *Matthæo c.* 26. *Marco c.*
14. *Luca c.* 22. & *Paulo* 1. *Cor.* 11. fuere
conſcripta: *Hoc eſt corpus meum, hoc eſt*
ſanguis meus N. T. vel, hoc poculum no-
vum Teſtamentum eſt in meo ſanguine.
Quod ſi tropus hic aliquis ſubeſſet, quid
facilius fuiſſet, cum verba iſta, ſi ſpeciem
utramque conjugimus, octies recitentur,
quam vel ſemel poſuiſſe, hoc ſignificat
corpus meum, hoc eſt ſignum corporis
mei. Sed verbum eſt ſemper ponitur, præ-
terquam quod apud Lucam in altera ſpe-
cie more Hebræis uſitato prætermittatur.
Quare quis harmonia tot teſtium in fide
ſua non confirmetur? Quod in altera
ſpecie Lucas & Paulus à Matthæo & Mar-
co quantum ad verba quadantenus de-
flectant, ſententiæ orthodoxæ nihil offi-
cit. Inter propoſitiones enim reales &
uſuales limitibus accuratis eſt diſtinguen- 464
dum. Propoſitio realis eſt, in qua res de
re; uſualis, in qua uſus de re prædicatur.
Matthæus & Marcus propoſitiones rea-
les; Lucas & Paulus uſuales adhibent. In
cœna ſiquidem fœdus novum, quod in
ara crucis fuit ſancitum, nobis applicatur.
Nullatenus autem propoſitiones uſuales,
cujusmodi paſſim in Scripturis occurrunt,
tropicis annumerandæ veniunt, cum in
tropo unum pro altero ſubſtituatur, in
propoſitionibus uſualibus uſus de re præ-
dicetur. Sed de his Scriptores Analytici
videantur, Doctrinæ hujus propriam ſe-
dem non *haput 6. Joh.* quod eſt hetero-
geneum, ſed verba inſtitutionis exemplo

Apoſtoli Pauli, qui Corinthios ſuos de S. Cœna informaturus, ad inſtitutionem primam 1. *Cor.* 11. provocat, in medium adduximus.

§. 8. Fundamentum ſecundum eſſe poteſt manducatio indignorum, de qua Paulus 1. *Cor.* 11. *v.* 27. 28. 29. *Quisquis itaq; comederit panem hunc, aut biberit de poculo Domini* ἀναξίως, i. e. *indignè, reus erit corporis & ſanguinis Domini. Probet autem homo ſeipſum, & ſic de pane hoc edat, & de poculo hoc bibat. Nam qui edit & bibit indignè, judicium ſibimetipſi edit & bibit, non dijudicans corpus Domini.* Quod ſi jam edere idem eſſet ac credere, hoſpites indigni corpus & ſanguinem Dominicum prorſus non acciperent. Nec infirmi fide per hoſpites indignos intelligi poſſunt, quia fides infirma etiam eſt fides, & propter hos ipſos, ut in fide confirmentur, cœna eſt inſtituta.

§. 9. Fundamentum tertium eſſe poteſt oralis manducatio ſolis radiis, *Marci* 14. *v.* 23. deſcripta. Sic enim inſtitutionem alterius ſpeciei dictus Evangeliſta l. c. deſcribit: *Et, accepto poculo, cum gratias egiſſet, dedit illis, & biberunt ex eo omnes. Et dixit illis, hoc eſt ſanguis meus Novi Teſt. qui pro multis effunditur.* Ore corporis ex porrecto ſibi poculo diſcipulos Domini bibiſſe, conſtat. Quid autem biberint, Salvator exponit, fuiſſe ſanguinem ſuum Novi Teſtam. pro peccatis multorum fundendum.

§. 10. Fundamentum quartum eſſe poteſt locus Apoſtoli, 1. *Cor.* 10. *v.* 16. *Poculum benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio eſt ſanguinis Chriſti? Panis, quem frangimus, nonne communicatio corporis Chriſti eſt.* Aliud autem communicatio eſt, aliud ſignificatio. Sive propoſitiones hæ venditentur pro uſualibus, ſive ita exponantur, diſtributio panis eſt corporis Chriſti communicatio, præſentia ſubſtantialis Dominici corporis inde probatur.

§. 11. Fundamentum quintum ex eodem capite *verſ.* 18. 19. 20. 21. depromi poteſt, præſertim cum nobis à Calviniſequis objiciatur. *Nonne, qui victimas edunt, participes ſacrarii ſunt? Quid ergò dicam, quod ſimulacrum aliquid ſit? aut, quod ſimulacris immolatum aliquid ſit? Verum illud dico, quod quæ gentes immolant, dæmoniis immolant, & non Deo: nolim autem vos conſortes dæmoniorum eſſe. Non poteſtis poculum Domini bibere & poculum dæmoniorum: Non poteſtis menſæ Domini participes eſſe & menſæ dæmoniorum.* Unde inferimus: Quo inſtrumento comeduntur idolothyta & bibitur ex poculo dæmoniorum, eodem comeditur corpus & bibitur ſanguis Domini. Sed ore corporis, non fidei, comeduntur idolothyta & bibitur ex poculo dæmoniorum. Ergò & ore corporis comeditur corpus Domini & bibitur ejusdem ſanguis. Nec eſt, quod Calviniani, menſam & ſacratium, vel etiam ipſum poculum materialiter acceptum ſine contento comedi ac bibi dicant, quia non ſunt res eſculentæ ac poculentæ, prout etiam in verbis cœnæ libenter Synecdochen, vel potius metonymiam continentis pro re contenta in vocabulo poculi admittimus, ſed de verbis ſubſtantialibus, quibus exprimuntur legata, controvertitur. Sic fieri poteſt, ut in circumſtantialibus alicujus Teſtamenti tropus occurrat, ne tamen in principalibus, quibus legata exprimuntur, ad excludendas 465

dendas lites tropus aliquis immiſceatur, omninò cavendum eſt.

§. 12. Fundamentum ſextum peti poteſt ex *c. 5. epiſtolæ prioris Joh. v. 8.* ubi aqua & ſanguis (qua voce συνεκδοχικῶς cœna intelligitur,) inter teſtes, qui de ſalute noſtra teſtimonium in terra perhibent, numerantur. Ergò neceſſe non eſt, ut fides noſtra ſupra cœlum ſtelliferum evolet, & ibidem Chriſtum, quando cœna celebratur, quærat & manducet.

§. 13. Fundamentum ſeptimum ex differentia veteris & novi Teſtamenti deſumi poteſt. *Vetus Teſtamentum habuit umbram duntaxat, novum autem ipſum Chriſti corpus, Coloſſ. 2. v. 17.* Unde regula: Sacramenta imitantur naturam eorum Teſtamentorum, quorum ſunt Sacramenta. Jam quia Vetus Teſtamentum habuit umbram de Chriſto, materia cœleſtis Sactamentorum Veteris Teſt. fuit typica, prout ſanguis in circumciſione fuſus Chriſti ſanguinem; agnus paſchalis Chriſtum ipſum adumbravit. Sed quia Novum Teſt. habet ipſum σῶμα, panis Euchariſticus non figurabit, aut ſignificabit, ſed exhibebit corpus Domini. Nec opus fuiſſet, ut, abrogato Sacramento agni paſchalis, Chriſtus inſtitueret novum, cum agnus Paſchalis longè propius & concinnius, quàm panis Chriſtum adumbret, 466 nec Novum Teſtamentum vetere ſit obſcurius.

§. 14. Fundamentum octavum differentia inter manducationem ſpiritualem & Sacramentalem nobis ſuppeditat. Illa ſiquidem eſt omnium temporum: hæc Novi Teſtamenti propria. Illa fit etiam absque ſymbolis: hæc tantum mediantibus ſymbolis peragitur. Illa ſemper prodeſt ad ſalutem: hæc interdum cedit ad judicium. Illa indiſtinctim fertur in totum Chriſtum & omnia ipſius beneficia: hæc diſtinctè corpus ſub pane; diſtinctè quoque ſanguinem ſub vino accipit. Illa, quæ metaphorica eſt, fide: hæc ore corporis peragitur.

§. 15. Fundamentum nonum futilitas rationum, quibus οἱ ἐξ ἐναντίας muntur in hac controverſia, nobis ſuggerit. Quantumvis enim numero, non tamen pondere argumentorum nobiſcum in hac controverſia contendunt. Et miramur, quod non plures hujus furfuris ratiunculas in medium adducant, cum tantum non omnes ex cœcæ rationis liripipio ſint depromtæ, hocque principio nitantur, Deum incomprehenſibilia rationi nobis ad credendum non proponere. Quo admiſſo, (prout Cinglius in colloquio Marpurgenſi cum Luthero præprimis hoc telo pugnavit,) neganda nobis erunt myſteria & miracula omnia. Thomiſtis verò iſtis, qui non niſi palpare & videre volunt, (quales etiam, ſeculo ſuperiore, cum Crypto-Calvinianiſmus in haſce terras irrepere, tandemq; irrumpere cœpiſſet, fuerunt hic Lipſiæ, ad viſum & tactum provocantes,) opponimus iſtud Salvatoris, *Joh. 20. v. 29. Beati, qui credunt, etiamſi non videant.*

Quod non capis, quod non vides,
Animoſa firmet fides.

Οὐδεὶς γεωμέτρης εἰσίτω i. e. Nullus Geometra locum hic inveniat. *Animalis enim homo non percipit ea, quæ Spiritus ſunt Dei: ſtultitia ipſi ſunt. 1. Cor. 2. v. 14.*

§. 16. Fundamentum decimum conſcientiæ tranquillitas in hac controverſia eſſe poteſt. Melius ſiquidem conſcientiæ ſuæ conſulunt, quibus analyſis ultima in hac controverſia eſt, ἀνὴς ἴφα, i. e.

ipſe

ipſe dixit, Dominus dixit, os Domini locutum eſt, (in quod principium ultimum etiam Prophetæ ſua vaticinia terminant,) quam quibus eſt, Ratio dixit. Quod ſi jam ex hiſce duabus ſententiis una vel Lutheranorum, vel Calvinianorum eſſet falſa, tolerabilius tamen errarent Lutherani, qui verbis Salvatoris veracis, ſapientis & omnipotentis fidem habent, quam Calviniani, à verbis Salvatoris ob rationes tam frivolas reredentes & vix oculo
467 ſiniſtro ea adſpicientes. Lutherus tali apologia ſe apud tribunal Filii Dei uſurum eſſe ſcribit: DOMINE, JESU CHRISTE, controverſia in mundo agitata fuit ſuper verbis Teſtamenti tui, aliquibus in diverſam à verborum tenore ſententiam eadem trahentibus, quibus ego fidem & conſcientiam meam committere nec potui, nec volui. Ego verò, quia Teſtamenti tui & ultimæ voluntatis verba iſta eſſe conſideravi, neque comperi uſpiam in Scriptura diverſo, quam ſonarent, ſenſu eadem abs te accipi, cui declarationi haut dubiè non peperciſſes in re tam gravi, ſi aliter, quam ſonant, intelligi voluiſſes, in nativo & ſimplice ſenſu eorundem acquievi. Judica ergò tu, Domine, an erraverim: &, ſi erravi, cujus culpa factum ſit, ut erraverim.

§. 17. Fundamentum undecimum, quo probatur, Chriſtum in cœna præſentem eſſe poſſe. (non velle ſiquidem ex verbis inſtitutionis probatur,) ſunt promiſſiones de generali præſentia, & promiſſionum complementa in ſacris literis conſignata. *Matth.* 15. *v.* 20. Chriſtus promittit, *ubi duo, vel tres congregati ſunt in nomine meo, ibi ſum in medio eorum.* *Matth.* 28. *v. ult. Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus usq; ad conſummationem ſeculi.* *Joh. c.* 14. *v.* 18. non relinquam vos orphanos. Eventu completæ fuere dictæ promiſſiones, *Act.* 7. *verſ.* 56. cum Stephanus Chriſtum à dextris Dei ſtantem vidit, certè non ex cœlo empyréo, cum ſtellæ globum terrenum ſua magnitudine ſuperantes vix oculos incurrant, nedum tale corpuſculum ex loco longè ſuperiore. Nec eſt, cur excipiant Calviniſequæ, fuiſſe viſionem mentalem, quia Stephanus dicitur *ἀνέβλεψε*, i.e. oculis in cœlum defixis Chriſtum vidiſſe, ipſique Spiritum ſuum commendat. *Act.* 9. *v.* 5. Chriſtus cum Paulo in via Damaſcena colloquitur, non ex cœlo empyréo, (quia vox tali ac tanto ex intervallo percipi minimè potuiſſet, cum ſpecies audibiles activitatis ſphæra longè anguſtiore terminentur, quam viſibiles,) ſed proximus adſtans. Nec Filius Dei bicorpor tunc fuit, ut perſuaſum ſibi habuit Zanchius, quia JESUS hic cum Paulo ſermones cædens non fuiſſet verus Jeſus ex Maria conceptus & natus. *Act.* 23. *v.* 11. cum Paulo in caſtris Hieroſolymitanis colloquitur, ipſumque ad perhibendum ſibi teſtimonium Romæ facit animoſum. In 1. *Cor.* 9. *v.* 1. ex hac nota, quod Dominum Jeſum viderit, ſe probat Apoſtolum. In *c.* 15. *ejusdem epiſtolæ v.* 8. reſurrectionis veritatem ex apparitionibus ſibi factis adſtruit. *Joh. Apoc. c.* 1. 2. 3. Filium Dei pro nobis occiſum & reſuſcitatum in medio candelabrorum aureorum, i. e. Eccleſiarum militantium in terris ambulare, gnaviterque omnia obſervare vidit.

§. 18. Fundamentum duodecimum ſit ſenſus horum verborum, quem Apoſtoli 468
& ipſorum in miniſterio ſucceſſores habuerunt, & Eccleſiæ reliquerunt. Jam veteſtiores Eccleſiæ Doctores de præſen-

tia

tia ſubſtantiali corporis Chriſti, quando cœna celebratur, ita loquuntur, ut ex verbis duriuſculis mutationis, converſionis, μεταστοιχειώσεως, figmentum transſubſtantiationis originem ſuam tandem traxerit. Nec ſuper verborum iſtorum intellectu, priusquam ſemina transſubſtantiationis ſpargerentur, & ſic, ante ſeculum nonum controverſia nulla mota fuit. *Ignatius*, qui circa confinia ſeculi primi & ſecundi vixit, Apoſtolorum diſcipulus in epiſtola ad Smirnenſes inquit: *Euchariſtia eſt caro Servatoris noſtri JESU CHRISTI, quæ pro peccatis noſtris paſſa eſt, quam Pater ſua benignitate ſuſcitavit. Hoc qui negant, ſunt hæretici.* *Juſtinus Martyr*, qui vixit in ſeculo currente ſecundo *Apol. 2. pro Chriſtianis*: *Non, ut vulgarem panem & vulgare poculum, hæc ſumimus, ſed quemadmodum per verbũ Dei caro factus eſt Chriſtus Servator, noſter carnem & ſanguinem pro ſalute noſtra habuit: Sic etiam per verbum precationis & gratiarum actionis ſacratam ab ipſo alimoniam, qua mutata nutrit noſtram carnem & ſanguinem, illius incarnati JESU carnem & ſanguinem eſſe dicimus. Nam Apoſtoli ſuis in ſcriptis, quæ vocantur Evangelia, ſic ſibi mandaſſe Jeſum, tradiderunt, ſumto pane, actiq; gratiis dixiſſe: Hoc facite in mei memoriam. Hoc eſt corpus meum. Similiter, ſumto poculo, actiq; gratiis dixiſſe: Hoc eſt ſanguis meus.* *Irenæus*, qui vixit eodem ſeculo *l. 4. c. 31.* *Qui eſt à terra panis percipiens vocationem Dei, jam non eſt communis panis, ſed Euchariſtia ex duabus rebus conſtans, terrena & cœleſti, hoc eſt pane & corpore Chriſti.* Lib. 5. contra hæreſes idem dicit: *Quando mixtus calix & fractus panis percipit verbum Dei, fit Euchariſtia corporis & ſanguinis Chriſti.* *Tertullianus*, qui vixit in centuria currente tertia inter Scriptores Latinos antiquiſſimus *l. 4. adverſus Marcionem: Profeſſus itaque, ſe deſiderio deſideraſſe comedere Paſcha, acceptum panem & diſtributum diſcipulis corpus ſuum illum fecit.* *Cyprianus*, qui vixit in ſeculo currente tertio, & quidem in Eccleſiis transmarinis, vel Africanis, Tertulliani diſcipulus, tandemque Martyr *in ſermone de lapſis: Spretis his omnibus atq; contemtis vis infertur corpori ejus & ſanguini ejus, plus modo in Dominum manibus & ore delinquunt, quam cum Dominum negaverunt.* Et rurſus: *Quod non ſtatim Domini corpus inquinatis manibus accipiat, aut ore polluto Domini ſanguinem bibat, Sacerdotibus ſacrilegus iraſcitur.* *Concilium Nicænum*, Oecumenicum primum, currente ſeculo quarto celebratum in hæc erumpit verba: *Rurſum & hic in divina menſa non ad prepoſitum panem & poculum humiliter intenti ſimus, ſed exaltantes mentem fide conſideremus, in ſacra illa menſa jacere agnum Dei tollentem peccata mundi, qui non victimarum more à Sacerdotibus ſacrificatur: & pretioſum ejus corpus & ſanguinem verè accipientes credimus nos, hæc eſſe noſtræ reſurrectionis ſymbola.* Ejusmodi teſtimoniorum uberrimam meſſem in ſcriptis Patrum Græcorum & Latinorum metere licet, quæ paſſim congeſta in ſcriptis Eccleſiæ Doctorum, Philippi Melanchthonis ad Myconium, Johannis Galli de cœna, Stephani Gerlachii diſputatione peculiari de conſenſu antiquitatis in hac doctrina, Henrici Höpfneri in tractatu 469

theorico-practico de cœna & aliorum videantur.

§. 19. Forma sacramenti hujus in actione Sacramentali quatuor actibus principalibus integrata consistit. Sunt autem isti actus quatuor, consecratio, distributio, manducatio & bibitio, quorum unus si desit, forma Sacramenti hujus non est integra, sed mutilata. Primus est consecratio, per quam sacra symbola panis & vinum ab usu vulgari separantur, & vocationem accipiunt, ut in hac actione sacra media sint exhibitiva corporis & sanguinis Domini. Duo hîc verba τὸ εὐχαριστῆσαι καὶ εὐλογῆσαι apud Evangelistas occurrunt, quorum prius ad Deum, posterius ad symbola dirigitur. Ut enim Christus alias, quando cibavit suos auditores, Deo gratias egit, *Joh. 6. v. 11.* sic multò magis hoc epulum sacrum instituturus. Quia verò verba, quibus Christus gratias agens usus fuit, nos latent, ex Christiana libertate oratione Dominica, & in festis solennioribus precibus tempori accommodatis, utimur. Benedictio verò repetitione verborum institutionis (quæ non sunt historica tantum commemoratio, ceu volunt Sacramentarii, sed operativa,) peragitur. Non tamen propter verba ministri Ecclesiæ sacra symbola fiunt κοινωνία corporis & sanguinis Christi, sed propter ipsius instituentis Salvatoris verba, quorum effectus etiamnum durat. Ut enim verba, quibus Deus in creatione fuit usus, crescite & multiplicamini, suum adhuc habent effectum: ita verba Salvatoris in Sacramenti hujus institutione prolata: *Hoc est corpus meum, hoc est sanguis meus Novi Testamenti.* Ubi scrupulosè, quando fiat mutatio, (non substantialis, sed accidentalis, vel officii, quod panis non amplius sit cibus vulgaris ad saginandum ventrem adhibendus, sed medium exhibitivum corporis Dominici,) ad quam syllabam, an primam, an mediam, an ultimam verborum horum: *Hoc est corpus meum, hoc est sanguis meus N. Test.* disputandum & inquirendum non est, sed ad integram actionem sacram respiciendum. Christus præmittit hæc verba manducate ac bibite, (non dicit includite, reponite, circumgestate, incendia extinguite,) tunc subjungit: *Hoc est corpus meum, hoc est sanguis meus N. T.* Quod si consecrata symbola non manducentur & bibantur, sed ad alios usus adhibeantur, non sunt corpus & sanguis Domini. Reverenter tamen ista symbola tractanda, cum per verba institutionis vocationem hanc acceperint, ut sint ὀχήματα & vehicula corporis & sanguinis Dominici. Effectus horum verborum non est transsubstantiatio, sed unio Sacramentalis elementorum cum corpore ac sanguine Domini. Quantumvis enim Lutherus elevationem in Ecclesia Wittebergensi ad annum usque 41. cum aliis in locis Evangelium amplexis dudum abrogata fuisset, retinuerit, non tamen hac ceremonia panem in corpus Christi transsubstantiatum esse, docere voluit, ut in Papatu fieri solet, sed quod panis vocationem hanc acceperit, ut sit communicatio corporis Christi, præprimis quod Carolstadius Ecclesias istas negatione substantialis præsentiæ corporis Christi & sanguinis ejusdem in cœna turbaverit. 470

§. 20. Secundus actus principalis est distributio, sive in os, sive in manus sacra symbola inferantur. In fontibus est verbum λαμβάνετε, τῇ δόσει respondens, quod

quod etiam de Christo in cruce pendente, *Joh.19.v.30.* cum acetum accepit, usurpatur. Manibus autem, quæ clavis ferreis cruci erant affixæ, potum istum accipere non poterat. Ergò ore.

§. 21. Tertius actus principalis est manducatio, quæ facta fuit ore corporis. Quo siquidem instrumento vehiculum corporis Christi panem, eodem & corpus Christi acceperunt; sed panem ore acceperunt, (ut & poculum, quod inter se diviserunt, ore biberunt,) discipuli. E. Quantumvis autem hæc manducatio Sacramentalis propria sit proprietate Grammatica, quatenus scil. figuratæ manducationi opponitur, non tamen est propria proprietate phyca, quasi corpus Christi dentibus dilanietur, discerpatur, deglutiatur, in ventriculum mittatur, concoquatur, in substantiam corporis nostri convertatur, sed quod mediante pane per os nostrum accipiatur. Quæ siquidem antecedunt hanc per os acceptionem, aut eandem consequuntur prædicata panis, de corpore Christi non prædicantur. V.g. Panis ex aqua & farina pinsitur. E. & corpus Christi. Panis descendit in ventriculum & concoquitur. E. & corpus Christi. Non ita, sed quæ de pane prædicantur in manducatione, quod sc. in os accipiatur, de corpore Christi quoque prædicantur. Bergium itaque convitium suum resorbere jubemus, quando in Stereomate (daß die Worte noch feste stehen/) os Lutheranum vix spithamæ intervallo à ventriculo Pontificio distare
471. dicit. Hoc nimirum vult, doctrinam Lutheranorum de orali manducatione non procul à doctrina Pontificiorum, qui propter figmentum transsubstantiationis corpus Dominicum in ventriculum descendere statuunt, abesse. Sed falluntur & fallunt. Licet enim corpus Christi mediante pane per os accipi statuamus, nullatenus tamen ea, quæ panem per os acceptum consequuntur, de corpore quoque Christi prædicamus, quia Scripturam hic præviam non habemus. Evenire solet, ut ab ægrotis imbecillitate ventriculi laborantibus sacra symbola per vomitum ejiciantur: sed quis corpus Christi simul ejici dixerit.

§. 22. Ut hæc rectius capiantur, manducationem in cœna triplicem, naturalem, Sacramentalem & spiritualem inveniri, tenendum est. Naturalis est symbolorum, quæ per os ingressa deglutiri & in ventriculum mitti non negamus; Sacramentalis est corporis & sanguinis Christi, quæ symbolorum interventu per os corporis accipiuntur: Spiritualis fit ore fidei, & indistinctim in totum Christum cum omnibus suis beneficiis fertur.

§. 23. Quartus actus est bibitio nullatenus in actu Eucharistiæ intermittenda. Distinctè siquidem Christus manducationem sui corporis pro nobis in mortem traditi, & distinctè bibitionem sui sanguinis, quod in ara crucis pro nobis effudit, & sic perfectam alimoniam esculenta & poculenta re constantem instituit. Lutherus alicubi suas de distinctis hisce speciebus, cur Christus distinctè manducationem sui corporis, distinctè bibitionem sui sanguinis instituerit, habet meditationes, quod propter obedientiam duplicem activam & passivam hoc factum fuerit, ut illud corpus, in quo legem numeris omnibus pro nobis implevit, & illum sanguinem, quem pro peccatis nostris in ara crucis fudit, arctissimè nobiscum uniret.

§. 24. Pontificii propter figmentum transsubstantiationis, consequenter periculum effusionis ab altera specie Laicos arcent, &, licet quibusdam in locis poculum ablutionis (den Spülfelch / ne quid de specie panis dentibus inhæreat,) iisdem per ædituum, aut ejusdem famulum (quasi circa vini potum res hic agatur,) non tamen benedictionis, vel consecratum per Sacrificulum iisdem Laicis, ut & Clericis non conficientibus porrigunt. Sed Christus ex calice bibere jussit discipulos omnes, Ecclesiam totam tunc præsentantes, id quod etiam Paulus in sua, quam dedit Corinthiis, institutione repetit. Quid? quod sanguis Christi pretiosissimus (Ἅιμιον αἷμα 1. *Petr.* 1. *v.* 19. ἴδιον τῦ Θεῦ
472 αἷμα, *Act.* 20. *v.* 28.) non secus pro Laicis ac Clericis in remissionem peccatorum fusus fuerit. Profluxit autem ἡ ποτηριοκλασία, vel sacrilegium calicis ex transsubstantiatione. Postquam enim hæc ex catachresticis Patrum quorundam locutionibus sensim in Ecclesiam irrepserat, & in Concilio Lateranensi sub Innocentii III. Pontificatu seculo currente decimo tertio stabilita fuerat, propter periculum effusionis communicantes à calice abstinere cœperunt. Mansit tamen res adiaphora, donec in seculo currente decimo quinto, & quidem in Concilio Constantiensi (quod Lutherus Obstantiense vocat à verbis canonis, non obstante, quod Christus dixerit, bibite ex hoc omnes, tamen aliter sancit Ecclesia:) certo decreto communio sub una sancita fuerit.

§. 25. Actus ministeriales sunt, qui serviunt principalibus, ut fractio panis inservit distributioni. Sumitur autem hæc vox fractionis vel pro comminutione in partes, vel stylo Hebræis usitato pro distributione ipsa. Ubi solitariè ponitur, ut in 1. *Cor.* 11. *v.* 24. (*postquam gratias egisset, fregit ac dixit,*) pro actu principali, distributione nimirum, supponit: ubi verò cum datione conjungitur, ut *Matth.* 26. *v.* 26. (*vescentibus eis, accepit Jesus panem, &, cum gratias egisset, fregit ac dedit discipulis suis*:) comminutionem in partes, & sic actum ministerialem principali servientem denotat. Parum autem refert, an hæc præparatio fiat in ipso cœnæ actu, an antequam celebretur. Calviniani finem fractionis faciunt alium, repræsentationem scilicet passionis Dominicæ, ritumque hunc vel essentialem, vel integralem cœnæ partem statuunt, cum thalero artoso cœnam sine fractione panis celebratam comparantes. Verum enimverò finem hunc Scriptura nescit, imò destruit, cum crurifragium de Christo negat, *Joh.* 19. *v.* 33. Quorsum adducit typum agni Paschalis, de quo dictum erat, *Exod.* 12. *vers.* 47. *Os ipsi non comminuetis.*

§. 26. In actionem autem toto genere diversam S. cœnam convertunt Pontificii, quando corpus Christi Deo Patri pro peccatis vivorum & mortuorum, imò quibuslibet necessitatibus, offerunt, adeo, ut si reduces in hanc vitam fierent, qui cœnæ primæ interfuerunt, Apostoli, & missæ, præsertim privatæ, ubi nulla fit distributio, theatralem pompam adspicerent, pro cœna nunquam essent habituri. Longissimè differunt Sacrificium & Sacramentum: in illo nos aliquid damus Deo, in hoc Deus aliquid dat nobis: & licet ex Patribus quidam sacrificium dixerint, non tamen ἱλαστικόν, quod in ara crucis peractum,

actum, sed Eucharisticum laudis & gratiarum actionis intellexerunt. Hactenus de forma.

473. §. 27. Finis cœnæ non est, ut ex opere operato nobis prosit, ceu volunt Pontificii, sed ut fides nostra manducatione corporis istius, quod pro nobis in mortem datum est, & bibitione sanguinis illius, qui fusus est in remissionem peccatorum nostrorum, confirmetur. Ubi enim verbum promissionis, ibi fides ex nostra parte requiritur. Sed in cœna est verbum promissionis. Id quod indicant hæc verba: *Pro vobis datur & effunditur in remissionem peccatorum.* Verbum autem Pro vobis, requirit omnino corda credentia. Calviniani (exemplo Bergii,) falsè perstringunt formulam in Ecclesiis nostris usurpatam, cum dicitur ad hospites hujus epuli sacri: Accipe, hoc est corpus Christi pro peccatis tuis in mortem traditum, quod confortet & conservet te ad vitam æternam &c. quia scil. Christi meritum in individuo nemini propter particularitatem imputare audent. Substituunt autem aliam: *Panis, quem frangimus, est communicatio corporis Christi,* ex 1. *Cor.* 10. *v.* 16. Interim ex Deo insignem hypocritam faciunt, quando signa & symbola salutis indifferenter omnibus ad Eucharistiam accedentibus porrigunt, cum tamen maxima pars eorum per absolutum decretum ab æterna salute secundum eorum sententiam sit repudiata. Sociniani & Sacramentalem & spiritualem manducationem rejicientes, annunciationem duntaxat realem & repræsentativam mortis Christi, quæ fiat fractione ac manducatione, & sic per dentes destructione, finem hujus Sacramenti (à qua tamen voce abhorrent,) vel actionis hujus sacræ nobis à Christo mandatæ, faciunt. Sed ex falsis hypothesibus hæc omnia proficiscuntur, quod scilicet satisfactionem Christi negent, & fidem per obedientiam mandatorum divinorum definiant. Verbum promissionis, Pro vobis datur & effunditur in remissionem peccatorum, cui fides apprehendens ex nostra parte respondere debet, utique in verbis institutionis habetur.

§. 28. Fines præterea Sacramenti hujus plures sunt principali subordinati, ut est doctrinæ professio & publicorum conventuum nervus. Eo ipso siquidem, cum in cœtibus publicis hospites ad hoc convivium sacrum accedimus, testamur, nos eandem fidem cum cœtu isto profiteri. *Panis unus, unum corpus multi sumus, quia ex eodem pane* (non ratione massæ, sed usus Sacramentalis,) *participamus,* Paulus 1. *Cor.* 10. *v.* 17. dicit. Quare non tantum conscientiam suam lædunt, sed & aliis offendiculo sunt, qui Lutheranos se profitentes in Ecclesiis vel Pontificiis, vel Calvinianis ad Eucharistiam accedunt. Satius esset, manducatione spirituali contentum esse, quam sibi & aliis interrimento esse. Publicorum conventuum nervus est hoc Sacramentum, quia con- 474
gregatis Ecclesiæ membris, 1. *Cor.* 11. *v.* 20. celebrari solet. Interim tamen flagitante necessitatis casu, Sacramentum hoc in ædibus etiam privatis infirmis & ægrotis dispensari potest. Ordo Sacramentis inservit, non imperat.

APHORISMUS I.

Idem, qui protulit Evangelium ex sinu Patris, sigilla doctrinæ adjecit.

SCHOLIUM.

§. 1.

DE Filio Dei unigenito, qui naturam humanam assumsit, dicitur, quod Evangelium ex sinu Patris protulerit, *Joh.* 1. *v.* 18. idem etiam Sacramenta promissionum Evangelicarum signacula instituit. Ut autem propter officium Persona σύνθετος requirebatur, ita etiam ut θεάνθρωπος, & quidem secundum officium Propheticum, quo docebat, & informabat Ecclesiam, ὡς ἐξουσίαν ἔχων, Sacramentum hoc instituit. Sunt quidem, officium Christi duplex tantum Sacerdotale ac regium facientes, dubio procul sub Sacerdotali etiam Propheticum continentes: sed quia Prophetæ docebant extra ordinem, cum scilicet in doctrina & moribus reformatio erat suscipienda, quod Christus etiam, ex tribu Juda & familia Davidis ortum suum ducens, fecit, & ut *Propheta magnus Deut.* 18. *v.* 15. promittitur, iisdem verbis cœlitus audiendus nobis mandatur & commendatur *Matth.* 17. *v.* 5. à populo, ut Propheta venturus in hunc mundum expectatur *Joh.* 6. *v.* 14. ut ἐπισκέπτης & Præceptor agnoscitur *Luc.* 17. *v.* 13. munus hoc, secundum quod docuit & Sacramenta instituit, non prætermittimus. Sed tamen quocunq; tandem nomine docendi veniat officium, autoritate humana (sc. ψιλανθρώπῳ) Sacramentum nec instituit, nec augeri, nec minui potest.

§. 2. Usus aphorismi hujus in didacticis est, ut autorem hujus Sacramenti, & ex eo dignitatem ejusdem agnoscamus, nec quicquam adversus ipsius institutionem & voluntatem mutare præsumamus.

§. 3. In polemicis adversus Pontificios, sacramentum hoc contra institutionem Christi mutilantes, & Laicos ab usu calicis benedicti arcentes, ut etiam in actionem toto genere diversam, sacrificium scilicet missaticum convertentes, usus aphorismi hujus esse potest.

APHORISMUS II. 475

Idem Convivator idem cibus. Idem Sacerdos, idem victima.

SCHOLIUM.

§. 1.

CUm Christus efficiens sit sacri hujus epuli, eundem cibum esse non posse hujus Sacramenti, qui præsentiam ipsius substantialem in cœna negant, obtendunt. Verum enimvero, si diverso respectu idem Salvator noster Sacerdos & victima; Spiritus S. obsignator & sigillum esse potest, cur non & hospes, vel Convivator & cibus idem esse queat? Sed Ἀρχιερεὺς, i. e. *summus Sacerdos Hebr.* 7. *v* 26. προσφορὰ i. e. *victima*, c. 10. ad *Hebr. v.* 10. vocatur. Utrumque ad *Hebr.* 9. *v.* 25. 26. conjungitur. *Non ut sæpius offerat seipsum, quemadmodum Pontifex ingreditur in sancta singulis annis per sanguinem alienum:* (sæpius alioqui oportuisset illum passum fuisse à condito mundo) *nunc autem sub consummationem seculorum ad profligationem peccati per immolationem sui ipsius apparuit.* Et ad *Eph.* 5. *v.* 2. *Christus dilexit nos & tradidit semetipsum pro nobis* προσφορὰν καὶ θυσίαν i. e. *oblationem & victimam, in odorem bonæ fragrantiæ.*

grantie. Quin & ara simul vocatur *Hebr. 13. v. 10. Habemus altare, de quo non est fas comedere his, qui tabernaculo serviunt.* Sic Spiritus S. obsignator & sigillum vocatur *Eph. 1. v. 13. & 14. Obsignati estis à Spiritu promissionis sancto, qui est arrhabo hæreditatis nostræ.*

§. 2. Usus aphorismi hujus in didacticis est, ut de causa efficiente ac materia Sacramenti hujus certi simus.

§. 3. In Polemicis adversus Calvinianos, efficientem & materiam hic invicem contendentes, & noctem clarissimæ literæ offundentes, esse potest.

APHORISMUS III.

Non Ministri, sed Christi manum ad te porrigi arbitrare.

SCHOLIUM.

§. 1.

CUm sacris operantes tantum sint οἰκονόμοι non οἰκοδεσπόται i. e. dispensatores, non Domini, causæ organicæ & instrumentales, non efficientes mysteriorum divinorum, & ita manum duntaxat & os Christo commodent, ipsorum vel vita, vel doctrina (si præsertim occultatur) Sacramento huic efficacia detrahi nequit. Unde dicitur:

476 Vim Sacramenti non mutat vita Ministri.

Et:

Non Sacramentum mutat doctrina Ministri.

Cum vero de publica doctrina cœtus alicujus minus sincera constat, ipsi sibi detrimento sunt, qui nihilominus communione sacrorum cum concorporibus ejusmodi cœtus conjunguntur. Horum auribus insonet illud Apostoli, quod habet in 2. *Cor. 6. v. 14. Nec ducatis jugum cum heteroclitis. Quod enim consortium justitiæ cum injustitia? aut quæ communio luci cum tenebris? aut quæ communio Christo cum Belial?* Item, quod Filius Dei dicit ad Angelum Laodicensis Ecclesiæ *c. 3. Apoc. v. 15. Quia neque frigidus es, neq; calidus, sed tepidus, evomam te ex ore meo.*

§. 2. Usus aphorismi hujus in didacticis est, ut inter efficientem principalem & instrumentalem limitibus accuratis distinguamus, nec ab hujus dignitate vim & efficaciam Sacramenti suspendamus.

§. 3. In polemicis adversus Donatistas veteres & novos, tude præsertim vulgus Donatismum intus & in cute fovens, nec ad vitam duntaxat, sed & authoritatem, vel respectum, quem Minister habet in publico, attendens, cum Sacramentis utendum est, usus aphorismi hujus esse potest.

APHORISMUS IV.

Naturæ symbolorum nec quantitas, nec qualitas quicquam derogat, modo substantia maneat.

SCHOLIUM.

§. 1.

QUantumvis hic aphorismus sit generalis, ita ut utrique Sacramento accommodari possit, nos tamen intra fines Sacramenti de cœna nos continebimus. Quantitas hoc loco est, an panis Eucharisticus sit magnus, an parvus: qualitas, an fermentatus, an azymus, an sphæricæ, vel alterius figuræ. Nos in Ecclesiis nostris panes parvos, placentulas, distributioni ac masticationi, præsertim edentulorum, servientes, azymos & orbiculares, ut

acco-

acceperunt majores noſtri è Papatu egreſſi, retinemus. Calviniani feſtucam ex oculo falſo ſic dicti Fratris ejicere conantes trabem autem horribilem doctrinam in oculo proprio non videntes propter quantitatem chartulas, nebulas & ſpumas panis, propter qualitatem lentorem viſcoſum & panes nummularios in Eccleſiis noſtris uſitatos panes Euchariſticos
477 vocant. Sed panem noſtrum verum eſſe panem ex definitione ſuperius adducta conſtat. Quod vero non nutriat, id fit per accidens propter paucitatem. Si enim in copia majore ſumerentur, actu etiam nutrirent. Interim tamen potentiam nutriendi retinent; prout etiam partes minores panis cibarii, v. g. micæ aliquot in cibum aſſumtæ actu non nutriunt, quibus tamen potentia nutriendi denegari nequit. Quod autem panes parvi adhibeantur, ratio eſt, quia non propter nutritionem inſtituti ſunt, ſed ut media eſſent exhibitiva Dominici corporis. Non ſumimus multum, ſed parum, ut agnoſcamus hæc ſumi non ad ſaturitatem, ſed ad ſanctificationem. *Qui eſurit, manducet domi*, 1. *Cor.* 11. *v.* 34. Apoſtolus inquit. Quod tenues, quia maſticationi ſerviunt. Quod azymi, quia Chriſtus talibus tempore paſchatis uſus fuit, & quia de multis, Chriſti præprimis puritate, noſtraque ſanctitate, commonefacere nos poſſunt. An figura placentularum ejusmodi rotunda ſit, vel angularis, parum refert. Jam Epiphanii tempore προγυλοειδεῖς i. e. orbiculates adhibiti fuerunt, qui tamen vixit circa finem centuriæ quartæ, priusquam Anti-Chriſtus innotſceret Eccleſiæ. Ne dicam, quod figura panis etiam cibarii plerumque ſoleat eſſe rotunda. Quod figura Chriſti crucifixi placentulis illis imprimatur, non fit propter incluſionem Chriſti localem, aut deliteſcentiam parvi corpuſculi ſub pane, ſed quia *κοινωνία* ſunt corporis Chriſti pro nobis in mortem traditi. Nos propter panes cibarios & grandiores Calvinianis dicam non ſcribimus, ſed qualitatem & quantitatem in Chriſtiana libertate poſitam dicamus: Licet azymi noſtri propius ad exemplum eorum panum, quibus Chriſtus in inſtitutione cœnæ fuit uſus, accedant. Interim tamen hoc quod panes noſtros tanquam teſſeram Anti-Chriſti traducant & oſtentui habeant, ferendum non eſt, ſed ſuper Chriſtiana libertate pugnandum. Si omnia, quæ fuerunt ſub Papatu, ſimpliciter eſſent rejicienda, templa etiam & campanæ ſub Pontificatu Sabiniani, qui vixit circa initium centuriæ ſeptimæ, in Eccleſiam introductæ, Calvinianis eſſent repudiandæ. Lateat, quod culicem colantes camelos deglutiant, & loco panis maſſam ex radicibus herbarum confectam ab Indis adhiberi poſſe, cenſeant: prout etiam Beza loco aquæ liquorem quemvis in Baptiſmo adhiberi poſſe, dicit l. 1. epl. 2.

§. 2. Uſus aphoriſmi hujus in didacticis eſt, ut circa ſubſtantialia Sacramenti hujus conſcientia noſtra tranquilla ſit, nec ſibi propter accidentia ſcrupulum injici patiatur.

§. 3. In polemicis adverſus reformatores Calvinianos, nodum in ſcirpo quærentes uſus aphoriſmi hujus eſſe 478
poteſt,

APHO-

APHORISMUS V.

Miſtura vini & aquæ non optime in ſcripturis audit.

SCHOLIUM.

§. 1.

POntificios miſtura vini & aquæ, quam Crama dicunt, in Euchariſtiæ celebratione uti, diximus etiam in ſuperioribus. In verbis inſtitutionis miſtionis hujus nulla fit mentio, ſed res poculenta γέννημα τῆς ἀμπέλου i. e. *genimen vitis* appellatur *Matth.* 26. *v.* 29. *Marci* 14. *v.* 25. Videntes hoc Pontificii ad omnis generis admonitiones, quæ deſumi poſſint ex iſta miſtura, confugiunt. Sed ſi propterea crama iſtud retinendum, etiam hoc docere nos poſſet, verbum Dei traditionibus humanis eſſe miſtum. Male in ſcripturis hæc miſtio audit, & cum miſtione ſcoriarum & argenti conjungitur *Eſ.* 1. *v.* 22. *Argentum tuum verſum eſt in ſcoriam: & vinum tuum mixtum eſt aqua.* Cultum nimirum hypocriticum his ipſis ſimilitudinibus Judæis ob oculos Prophera ponere voluit. Paulus 2. *Cor.* 2. *v.* 17. *Verbum Dei* καπηλεύειν i. e. *cauponari*, ut Oenopolæ vinum aqua miſcere ſolent, prohibet. Sinceritati ſiquidem τὸ καπηλεύειν h. l. opponit.

§. 2. Uſus aphoriſmi hujus in didacticis eſt, ne jugo ſervituris à Chriſto in liberrarem aſſerti denuo implicemur, ad *Gal.* 5. *v.* 1.

§. 3. In polemicis adverſus Pontificios, propter intermiſſum hunc ritum Eccleſias noſtras reprehendentes, uſus aphoriſmi hujus eſſe poteſt.

APHORISMUS VI.

Perſpicuus Teſtatorum ſolet & eſſe debet ſtylus.

SCHOLIUM.

§. 1.

FInis eſt, ut lites inter hæredes tollantur. Jam verba Chriſti ſacram cœnam inſtituentis eſſe Teſtamentaria, patet 1. ex eo, quod in ultima nocte mortem ipſius præcedente fuerint prolata. 2. quod Teſtator, hæres, bona legata, ſigna & ſigilla in inſtitutione ſacræ cœnæ adſint. 3. quod ſacer calix (ratione contenti) poculum novi Teſtamenti vocetur. Nec tamen propterea tropum omnem à Teſtamentis excludimus, ſed à verbis ſubſtantialibus, & talem, qui lites inter hæredes procreare, vel de ſententia Teſtatoris incertos eosdem facere poſſit. Sic in voce poculi ſynecdochen, vel metonymiam continentis pro contento libenter agnoſcimus, quia illa eſt omnibus obvia, nec legatum ipſum concernit. Nobis ſufficit, quod verba cardinalia, quibus legata exprimuntur, hoc eſt corpus meum, hoc eſt ſanguis meus Novi Teſtamenti, à tropo libera ſint. In verbis Jacobi Patriarchæ ultimis *Gen.* 49. contentis (quæ nobis ab Adverſariis objiciuntur) verba vaticinii, & ultimæ diſpoſitionis, in quibus ordinat de ſepultura ſua, ſunt diſtinguenda. Non in his, ſed illis tropos agnoſcimus. Confirmamur etiam de proprietate verborum, quod à tot teſtibus & toties deſcripta ſint, nec tamen ulla tropi alicujus explicatio inveniatur. Non itaque mirum eſt, quod ipſi Sacramentarii τὸ ῥητὸν deſerentes, & gloſſas quærentes, ita collidantur invicem, unus in ſubjecto, 379

alter in prædicato, tertius in copula tropum quærat: unus ad Grammaticam, alter ad Logicam, (quantum ad χτλικὰς propositiones,) tertius ad Rhetoricam confugiat, &, ubi pedem figere possint, non inveniat.

Litera non fallit, multos speciosa fefellit
Glossa, Dei verbo nitere, tutus eris.
Lubrica dum ratio sensus se volvit in omnes,
Certa facis ῥητῷ pectora, Christe, tuo.

§. 2. Usus aphorismi hujus in didacticis est, ut rationibus, quibus nitamur in tuendo ῥητῷ, abundemus.

§. 3. In Polemicis adversus Sacramentarios, τὸ ῥητὸν in hac causa deferentes, & διάνοιαν quærentes, usus aphorismi hujus esse potest.

APHORISMUS VII.

Quæ Christus conjunxit, homo ne separet.

SCHOLIUM.

§. 1.

PRotulit hæc verba Christus de conjugibus legitime copulatis non separandis, *Matth. 19. v. 6.* sed sensus illorum ad res alias etiam accommodari potest. In cœna Christus panem cum corpore, vinum cum sanguine, nec non utranque speciem, rem esculentam & potulentam, conjunxit. Dicit enim, hoc est corpus meum, hoc est sanguis meus Novi Test. quæ propositio est exhibitiva, cujus subjectum est συμπεπλεγμένον ex re terrestri & cœlesti constans, prædicatum vero partem nobiliorem sensus non incurrentem exprimens. Antecedentia & consequentia hic probe sunt attendenda. In antecedentibus præmittitur ἄρτος i. e. panis, quem Christus sumsit & discipulis dedit dicens, τοῦτο, quod masculino præcedenti minime respondet. In consequentibus hoc ipsum, quod manducandum porrexerat, dicit esse corpus suum. Quod alteram speciem attinet, Evangelistæ & Apostolus Paulus particulam ὡσαύτως i.e. *similiter*, pariter &c. præmittunt, nec facile unius speciei mentionem faciunt, ubi alteram non conjungant.

§. 2. Usus aphorismi hujus in didacticis est, ut de conjunctione rei terrenæ ac cœlestis, ut & utriusque speciei tam esculentæ, quam potulentæ, in hoc Sacramento certi simus.

§. 3. In polemicis tum contra Calvinianos præsentiam substantialem corporis & sanguinis Christi in hoc Sacramento negantes, &, putaminibus relictis, nucleum subtrahentes; tum contra Pontificios calicem consecratum Laicis & Clericis non conficientibus surripientes, usus aphorismi hujus esse potest.

APHORISMUS VIII.

Concomitantia naturalis corporis & sanguinis Dominici sacrilegio calicis minime patrocinatur.

SCHOLIUM.

§. 1.

UT ποτηριοκλεψίαν suam melius tueri possint Pontificii, concomitantiam corporis & sanguinis, quod nullum corpus sit sine sanguine, comestoque corpore Christi, simul ipsius sanguis accipiatur, prætendunt. Verum inter unionem naturalem & sacramentalem hic distinguendum. Corpus quidem

480

& san-

& ſanguis unione naturali, ſed non ſacramentali, ſunt conjuncta. Sub alio enim ſymbolo Chriſtus corpus ſuum manducandum, ſub alio ſanguinem ſuum (non comedendum ſed) bibendum inſtituit. Quippe qui alimonia perfecta, re eſculenta & potulenta conſtante, ſuos reficere voluit. Addo, quod corpus Chriſti nec ut vivum, nec ut mortuum, ſed ut vivificum, in hac actione ſacra ſpectetur. Unde nonnulli fingunt caſum, ſi tempore mortis Chriſti Apoſtoli cœnam adminiſtraſſent, quid accepiſſent, quærentes. Corpus vivum utique non accepiſſent, quia per mortem unio naturalis inter corpus & animam ſoluta fuit; nihilominus vivificum accepiſſent, quia vim hanc ζωοποιητικὴν
481. Chriſti corpus habet ex unione perſonali cum Λόγῳ, quæ nunquam, ne tempore quidem mortis, ſoluta fuit. Cum itaque Chriſto de concomitantia corporis & ſanguinis naturali probe conſtiterit, ipſeq; nihilominus diſtincte corpus ſuum cum pane manducandum, diſtincte ſanguinem ſuum cum vino bibendum inſtituerit, noſtrum non eſt cornicis, quod dicitur, oculos configere, vel inſtitutum ſapientiſſimi Magiſtri noſtri ſub aſciam vocare.

§. 2. Uſus aphoriſmi hujus in didacticis eſt, ut inter unionem corporis & ſanguinis naturalem, & inter unionem corporis cum pane, ſanguinis cum vino Sacramentalem accurate diſcernamus, nec in actione Euchariſtica utramque confundamus.

§. 3. In Polemicis adverſus Pontificios, qui Laicos & Clericos non conficientes ab uſu Calicis arcent, unaque ſpecie contentos eſſe jubent, uſus aphoriſmi hujus eſſe poteſt. Ubi tamen Eccleſias Orientales, quod utramque ſpeciem, quantum ad materialia, quidem retineant, nihilominus panem Euchariſticum non diſtincte manducandum, nec vinum Euchariſticum diſtincte bibendum, ſed utrumque junctim, velut intritum, cochleari communicantibus percipiendum præbeant, notamus.

APHORISMUS IX.

Transſubſtantiatio multorum errorum & abuſuum genetrix extitit.

SCHOLIUM.

§. 1.

FIngunt Pontificii, quod per conſecrationem, poſt recitationem horum verborum, *hoc enim eſt corpus meum, hoc enim eſt ſanguis meus N. T.* panis Euchariſticus in corpus, vinum in Euchariſticum in ſanguinem Chriſti, remanentibus duntaxat accidentibus, colore, ſapore, odore, figura orbiculari, transſubſtantietur. Hinc elevatio & λατρεία. etiam extra uſum, originem traxit. Quantumvis autem apud Patres quosdam antiquos unionem Sacramentalem exprimere volentes, mutationis & converſionis terminus occurrat, non tamen mutationem aut converſionem ſubſtantiæ, ſed officii, & ſic accidentalem, quod ſcilicet panis & vinum poſt conſecrationem non ſint amplius cibus vulgaris, ſed media exhibitiva corporis & ſanguinis Dominici, ſi manducatio & bibitio ſequatur, intellexerunt. Verum, poſtquam citeriores hac catechetica locutione abuſi, ſubſtantialem mutationem & converſionem panis in corpus, vini in ſanguinem aſſerere cœperunt, & hac duriore ſententia 482

offensi quidam in alteram partem nimis inclinantes, Berengarius præsertim Andegaviensis Ecclesiæ in Gallia Diaconus, seculo currente undecimo, corpus & sanguinem Christi signotenus tantum in cœna præsentia statuissent, qui priorem sententiam tuebantur, tam tenaces erant ejusdem, ut tandem ipse transsubstantiationis terminus & error natus, & decretis concilii Lateranensis, quod circa seculi decimi tertii frontispicium sub Innocentio III. Pontifice celebratum legimus, insertus fuerit. Inde brevi Eucharistici panis inclusio, reservatio, corporis Dominici festum & *πομπευκλεψία* fuit insecuta. Propter periculum enim effusionis à sacro calice plures abstinebant, donec in Concilio Constantiensi circa 1415. à nato Christo annum, canon conderetur: Non obstante, quod Christus dixerit, bibite ex hoc omnes; Ecclesia tamen certis rationibus ducta sic sancit, ut Clerici conficientes duntaxat imposterum de sacro calice bibant, reliqui una specie sint contenti. Nec alias fere calicis adempti rationes, quam transsubstantiationis figmentum præsupponentes. v. g. ne quid effundatur, ne quid hispidis Laicorum barbis adhæreat, ne convertatur in bibiones &c. Gerson, Cancellarius Parisiensis, adducit.

§. 2. Usus aphorismi hujus in didactici est, ut veram de *παρουσία* corporis & sanguinis Christi sententiam, via media inter *μετουσίαν* Pontificiam & *ἀπουσίαν* Calvinianam incedentem, recte teneamus.

§. 3. In Polemicis adversus Pontificios Transsubstantiatores & Creatoris creatores, ut loquuntur, usus aphorismi hujus esse potest.

APHORISMUS X.

Unio Sacramentalis fit, quando fit manducatio & bibitio.

SCHOLIUM.

§. 1.

Quantumvis symbola per consecrationem separentur ab usu vulgari, ut non amplius sint cibus communis, sed *ὀχήματα* & vehicula corporis & sanguinis Dominici; non tamen prius quam fiat oralis manducatio & bibitio, si v. g. ex incuria panis consecratus in terram decidens pedibus calcetur, aut vinum benedictum effundatur, panis cum corpore, vinum cum sanguine Sacramentaliter sunt unita. Christus enim inquit: *Manducate & bibite, hoc est corpus meum, hoc est sanguis meus N. T.* Si jam nulla fiat manducatio, nulla bibitio, sed ad alios usus consecrata symbola reserventur & adhibeantur, non sunt corpus & sanguis Christi. Cum limitatione itaque verba priora, quod panis & vinum consecratum vehicula sint corporis & sanguinis Dominici, quatenus scilicet in vero suo usu spectentur, i. e. manducentur & bibantur, sunt accipienda. Ut enim in superioribus diximus, Sacramentum extra usum non est Sacramentum. Quid itaque de circumgestatione consecratæ hostiæ, de istius adoratione, quæ fit in locis inaccessibilibus (ut Imperatori Maximiliano, cum in venatione rupricaprarum eum in locum delatus esset, unde pedem referre non poterat, Eucharistia eminus fuit ostensa) de incendiorum per eandem extinctione, de munitione adversus gladiorum & bombardarum ictus, ac similibus abusibus habendum, ex dictis cuilibet patescere potest. 483.

§. 2. Usus

§. 2. Usus aphorismi hujus in didacticis est, ut de fine ac usu Sacramenti hujus certi simus.

§. 3. In Polemicis adversus Pontificios, qui panem Eucharisticum includunt, reponunt, per agros & compita circumgestant, flexis genubus adorant, nec non Magos, qui suas ad incantationes hostiis consecratis abutuntur, usus aphorismi hujus esse potest.

APHORISMUS XI.

Os Lutheranum à ventriculo Pontificio longè distat.

SCHOLIUM.

§. 1.

JOhan. Bergius in Stereomate tractatu Germanico de cœna, daß die Worte noch feste stehen:) dicit, os Lutheranum à ventriculo Pontificio vix spithamæ intervallo abesse i. e. sententiam Lutheranorum de orali manducatione à sententia Pontificiorum, quod corpus Christi descendat in ventriculum, & quàm diu supersunt accidentia panis, ibi remaneat, non multum differre. Sed fallitur & fallit. Unionem enim Sacramentalem panis cum corpore, vini cum sanguine, non durabilem, sed quando per hæc vehicula & media corpus & sanguis Christi oraliter accepta fuerunt, solubilem statuimus. De symbolis, quæ manducatione & bibitione naturali sumuntur, quod in ventriculum abeant, per ὁμοίωσιν nobis apponantur, & tandem quoad residuum, (si majori copia sumerentur,) excernantur concedimus: sed aliter cum corpore & sanguine Dominico comparatum. Ut Deus alias nobiscum condescendens agit per media: Sic & h. l. per panem & vinum corpus suum manducandum, & sanguinem suum bibendum nobis porrigit. Postquam igitur per hæc ἐγκύματα corpus & sanguis Domini os nostrum ingressa fuerunt, iis amplius opus non est, sed Christus in nobis habitat, & una cum credentibus massa evadit.

§. 2. Usus aphorismi hujus in didacticis est, ut de sententia nostra, quam circa manducationem oralem fovemus, exactius constet.

§. 3. In polemicis partim adversus Pontificios, qui corporis Christi propter transsubstantiationem in ventriculum ingressum concedunt, partim adversus calumnias Sacramentariorum, usus aphorismi hujus esse potest.

APHORISMUS XII.

Οὐδεὶς γεωμέτρης εἰσίτω. Item: Quod non capis, quod non vides, animosa firmet vides.

SCHOLIUM.

§. 1.

DE *Platone* ferunt, quod foribus auditorii sui hæc verba, οὐδεὶς ἀγεωμέτρητος εἰσίτω i. e. nullus Geometriæ expers interiit, inscripserit, ratus, oleum & operam perditurum, qui disciplina ista non tinctus, aurium ædes vacivas locare sibi velit. Hoc dictum, sed in contrario sensu, imitantur Theologi, quando decempedatores humanæ rationis ab hoc mysterio abesse jubent. Objicientes enim, nullam esse proportionem inter recipiens & receptum, inter os hominis & Christi corpus, præsertim si brachia pandat, ut in cruce fecit, hoc dicto, οὐδεὶς γεωμέτρης εἰσίτω id est, nullus Geometra huic my-

§. 24. Pontificii propter figmentum transsubstantiationis, consequenter periculum effusionis ab altera specie Laicos arcent, &, licet quibusdam in locis poculum ablutionis (den Spülkelch / ne quid de specie panis dentibus inhæreat,) iisdem per ædituum, aut ejusdem famulum (quasi circa vini potum res hic agatur,) non tamen benedictionis, vel consecratum per Sacrificulum iisdem Laicis, ut & Clericis non conficientibus porrigunt. Sed Christus ex calice bibere jussit discipulos omnes, Ecclesiam totam tunc præsentantes, id quod etiam Paulus in sua, quam dedit Corinthiis, institutione repetit. Quid? quod sanguis Christi pretiosissimus (ἴδιον αἷμα 1. *Petr.* 1. *v.* 19. ἴδιον τοῦ Θεοῦ
472 αἷμα, *Act.* 20. *v.* 28.) non secus pro Laicis ac Clericis in remissionem peccatorum fusus fuerit. Profluxit autem ἡ ποτηριοκλεψία, vel sacrilegium calicis ex transsubstantiatione. Postquam enim hæc ex catachresticis Patrum quorundam locutionibus sensim in Ecclesiam irrepserat, & in Concilio Lateranensi sub Innocentii III. Pontificatu seculo currente decimo tertio stabilita fuerat, propter periculum effusionis communicantes à calice abstinere cœperunt. Mansit tamen res adiaphora, donec in seculo currente decimo quinto, & quidem in Concilio Constantiensi (quod Lutherus Obstantiense vocat à verbis canonis, non obstante, quod Christus dixerit, bibite ex hoc omnes, tamen aliter sancit Ecclesia:) certo decreto communio sub una sancita fuerit.

§ 25. Actus ministeriales sunt, qui serviunt principalibus, ut fractio panis inservit distributioni. Sumitur autem hæc vox fractionis vel pro comminutione in partes, vel stylo Hebræis usitato pro distributione ipsa. Ubi solitariè ponitur, ut in 1. *Cor.* 11. *v.* 24. (*postquam gratias egisset, fregit ac dixit,*) pro actu principali, distributione nimirum, supponit: ubi verò cum datione conjungitur, ut *Matth.* 26. *v.* 26. (*vescentibus eis, accepit Jesus panem, &, cum gratias egisset, fregit ac dedit discipulis suis*:) comminutionem in partes, & sic actum ministerialem principali servientem denotat. Parum autem refert, an hæc præparatio fiat in ipso cœnæ actu, an antequam celebretur. Calviniani finem fractionis faciunt alium, repræsentationem scilicet passionis Dominicæ, ritumque hunc vel essentialem, vel integralem cœnæ partem statuunt, cum thalero arrofo cœnam sine fractione panis celebratam comparantes. Verum enimverò finem hunc Scriptura nescit, imò destruit, cum crurifragium de Christo negat, *Joh.* 19. *v.* 33. Quorsum adducit typum agni Paschalis, de quo dictum erat, *Exod.* 12. *vers.* 47. *Os ipsi non comminuetis.*

§. 26. In actionem autem toto genere diversam S. cœnam convertunt Pontificii, quando corpus Christi Deo Patri pro peccatis vivorum & mortuorum, imò quibuslibet necessitatibus, offerunt, adeo, ut si reduces in hanc vitam fierent, qui cœnæ primæ interfuerunt, Apostoli, & missæ, præsertim privatæ, ubi nulla fit distributio, theatralem pompam adspicerent, pro cœna nunquam essent habituri. Longissimè differunt Sacrificium & Sacramentum: in illo nos aliquid damus Deo, in hoc Deus aliquid dat nobis: & licet ex Patribus quidam sacrificium dixerint, non tamen ἱλαστικὸν, quod in ara crucis peractum,

actum, sed Eucharisticum laudis & gratiarum actionis intellexerunt. Hactenus de forma.

473. §. 27. Finis cœnæ non est, ut ex opere operato nobis prosit, ceu volunt Pontificii, sed ut fides nostra manducatione corporis istius, quod pro nobis in mortem datum est, & bibitione sanguinis illius, qui fusus est in remissionem peccatorum nostrorum, confirmetur. Ubi enim verbum promissionis, ibi fides ex nostra parte requiritur. Sed in cœna est verbum promissionis. Id quod indicant hæc verba: *Pro vobis datur & effunditur in remissionem peccatorum.* Verbum autem Pro vobis, requirit omnino corda credentia. Calviniani (exemplo Bergii,) falsè perstringunt formulam in Ecclesiis nostris usurpatam, cum dicitur ad hospites hujus epuli sacri: Accipe, hoc est corpus Christi pro peccatis tuis in mortem traditum, quod confortet & conservet te ad vitam æternam &c. quia scil. Christi meritum in individuo nemini propter particularitatem imputare audent. Substituunt autem aliam: *Panis, quem frangimus, est communicatio corporis Christi*, ex 1. *Cor.* 10. *v.* 16. Interim ex Deo insignem hypocritam faciunt, quando signa & symbola salutis indifferenter omnibus ad Eucharistiam accedentibus porrigunt, cum tamen maxima pars eorum per absolutum decretum ab æterna salute secundum eorum sententiam sit repudiata. Sociniani & Sacramentalem & spiritualem manducationem rejicientes, annunciationem duntaxat realem & repræsentativam mortis Christi, quæ fiat fractione ac manducatione, & sic per dentes destructione, finem hujus Sacramenti (à qua tamen voce abhorrent,) vel actionis hujus sacræ nobis à Christo mandatæ, faciunt. Sed ex falsis hypothesibus hæc omnia proficiscuntur, quod scilicet satisfactionem Christi negent, & fidem per obedientiam mandatorum divinorum definiant. Verbum promissionis, Pro vobis datur & effunditur in remissionem peccatorum, cui fides apprehendens ex nostra parte respondere debet, utique in verbis institutionis habetur.

§. 28. Fines præterea Sacramenti hujus plures sunt principali subordinati, ut est doctrinæ professio & publicorum conventuum nervus. Eo ipso siquidem, cum in cœtibus publicis hospites ad hoc convivium sacrum accedimus, testamur, nos eandem fidem cum cœtu isto profiteri. *Panis unus, unum corpus multi sumus, quia ex eodem pane* (non ratione massæ, sed usus Sacramentalis,) *participamus*, Paulus 1. *Cor.* 10. *v.* 17. dicit. Quare non tantum conscientiam suam lædunt, sed & aliis offendiculo sunt, qui Lutheranos se profitentes in Ecclesiis vel Pontificiis, vel Calvinianis ad Eucharistiam accedunt. Satius esset, manducatione spirituali contentum esse, quam sibi & aliis intertrimento esse. Publicorum conventuum nervus est hoc Sacramentum, quia con- 474
gregatis Ecclesiæ membris, 1. *Cor.* 11. *v.* 20. celebrari solet. Interim tamen flagitante necessitatis casu, Sacramentum hoc in ædibus etiam privatis infirmis & ægrotis dispensari potest. Ordo Sacramentis inservit, non imperat.

grantis. Quin & ara simul vocatur *Hebr. 13. v. 10. Habemus altare, de quo non est fas comedere his, qui tabernaculo serviunt.* Sic Spiritus S. obsignator & sigillum vocatur *Eph. 1. v. 13. & 14. Obsignati estis à Spiritu promissionis sancto, qui est arrhabo hereditatis nostræ.*

§. 2. Usus aphorismi hujus in didacticis est, ut de causa efficiente ac materia Sacramenti hujus certi simus.

§. 3. In Polemicis adversus Calvinianos, efficientem & materiam hic invicem contendentes, & noctem clarissimæ literæ offundentes, esse potest.

APHORISMUS III.

Non Ministri, sed Christi manum ad te porrigi arbitrare.

SCHOLIUM.

§. 1.

CUm sacris operantes tantum sint ὑπηρέται non οἰκοδεσπόται i. e. dispensatores, non Domini, causæ organicæ & instrumentales, non efficientes mysteriorum divinorum, & ita manum duntaxat & os Christo commodent, ipsorum vel vita, vel doctrina (si præsertim occultatur) Sacramento huic efficacia detrahi nequit. Unde dicitur:

476 Vim Sacramenti non mutat vita Ministri.

Et:

Non Sacramentum mutat doctrina Ministri.

Cum vero de publica doctrina cœtus alicujus minus sincera constat, ipsi sibi detrimento sunt, qui nihilominus communione sacrorum cum concorporibus ejusmodi cœtus conjunguntur. Horum auribus insonet illud Apostoli, quod habet in 2. *Cor. 6. v. 14. Nec ducatis jugum cum heterodoxis. Quod enim consortium justitiæ cum injustitia? aut quæ communio lucis cum tenebris? aut quæ communio Christo cum Belial?* Item, quod Filius Dei dicit ad Angelum Laodicensis Ecclesiæ c. 3. *Apoc. v. 15. Quia neque frigidus es, neq; calidus, sed tepidus, evomam te ex ore meo.*

§. 2. Usus aphorismi hujus in didacticis est, ut inter efficientem principalem & instrumentalem limitibus accuratis distinguamus, nec ab hujus dignitate vim & efficaciam Sacramenti suspendamus.

§. 3. In polemicis adversus Donatistas veteres & novos, rude præsertim vulgus Donatismum intus & in cute fovens, nec ad vitam duntaxat, sed & authoritatem, vel respectum, quem Minister habet in publico, attendens, cum Sacramentis utendum est, usus aphorismi hujus esse potest.

APHORISMUS IV.

Naturæ symbolorum nec quantitas, nec qualitas quicquam derogat, modo substantia maneat.

SCHOLIUM.

§. 1.

QUantumvis hic aphorismus sit generalis, ita ut utrique Sacramento accommodari possit, nos tamen intra fines Sacramenti de cœna nos continebimus. Quantitas hoc loco est, an panis Eucharisticus sit magnus, an parvus: qualitas, an fermentatus, an azymus, an sphæricæ, vel alterius figuræ. Nos in Ecclesiis nostris panes parvos, placentulas, distributioni ac masticationi, præsertim edentulorum, servientes, azymos & orbiculares, ut

acce-

acceperunt majores noſtri ê Papatu egreſſi, retinemus. Calviniani feſtucam ex oculo falſo ſic dicti Fratris ejicere conantes trabem autem horribilem doctrinam in oculo proprio non videntes propter quantitatem chartulas, nebulas & ſpumas panis, propter qualitatem lentorem viſcoſum & panes nummularios in Eccleſiis noſtris uſitatos panes Euchariſticos
477 vocant. Sed panem noſtrum verum eſſe panem ex definitione ſuperius adducta conſtat. Quod vero non nutriat, id fit per accidens propter paucitatem. Si enim in copia majore ſumerentur, actu etiam nutrirent. Interim tamen potentiam nutriendi retinent; prout etiam partes minores panis cibarii, v. g. micæ aliquot in cibum aſſumtæ actu non nutriunt, quibus tamen potentia nutriendi denegari nequit. Quod autem panes parvi adhibeantur, ratio eſt, quia non propter nutritionem inſtituti ſunt, ſed ut media eſſent exhibitiva Dominici corporis. Non ſumimus multum, ſed parum, ut agnoſcamus hæc ſumi non ad ſaturitatem, ſed ad ſanctificationem. *Qui eſurit, manducet domi*, 1. *Cor.* 11. *v.* 34. Apoſtolus inquit. Quod tenues, quia maſticationi ſerviunt. Quod azymi, quia Chriſtus talibus tempore paſchatis uſus fuit, & quia de mulcis, Chriſti præprimis puritate, noſtraque ſanctitate, commonefacere nos poſſunt. An figura placentularum ejuſmodi rotunda ſit, vel angularis, parum refert. Jam Epiphanii tempore προγυλοειδεῖς i. e. orbiculares adhibiti fuerunt, qui tamen vixit circa finem centuriæ quartæ, priusquam Anti-Chriſtus innotuſceret Eccleſiæ. Ne dicam, quod figura panis etiam cibarii plerumque ſoleat eſſe rotunda. Quod figura Chriſti crucifixi placentulis illis imprimatur, non fit propter incluſionem Chriſti localem, aut deliteſcentiam parvi corpuſculi ſub pane, ſed quia *κοινωνία* ſunt corporis Chriſti pro nobis in mortem traditi. Nos propter panes cibarios & grandiores Calvinianis dicam non ſcribimus, ſed qualitatem & quantitatem in Chriſtiana libertate poſitam dicamus: Licet azymi noſtri propius ad exemplum eorum panum, quibus Chriſtus in inſtitutione cœnæ fuit uſus, accedant. Interim tamen hoc quod panes noſtros tanquam teſſeram Anti-Chriſti traducant & oſtentui habeant, ferendum non eſt, ſed ſuper Chriſtiana libertate pugnandum. Si omnia, quæ fuerunt ſub Papatu, ſimpliciter eſſent rejicienda, templa etiam & campanæ ſub Pontificatu Sabiniani, qui vixit circa initium centuriæ ſeptimæ, in Eccleſiam introductæ, Calvinianis eſſent repudiandæ. Lateat, quod culicem colantes camelos deglutiant, & loco panis maſſam ex radicibus herbarum confectam ab Indis adhiberi poſſe, cenſeant: prout etiam Beza loco aquæ liquorem quemvis in Baptiſmo adhiberi poſſe, dicit l. 1. epl. 2.

§. 2. Uſus aphoriſmi hujus in didacticis eſt, ut circa ſubſtantialia Sacramenti hujus conſcientia noſtra tranquilla ſit, nec ſibi propter accidentia ſcrupulum injici patiatur.

§. 3. In polemicis adverſus reforma- 478
tores Calvinianos, nodum in ſcirpo quærentes uſus aphoriſmi hujus eſſe poteſt,

APHO-

APHORISMUS V.

Miſtura vini & aquæ non optime in ſcripturis audit.

SCHOLIUM.

§. 1.

POntificios miſtura vini & aquæ, quam Crama dicunt, in Euchariſtiæ celebratione uti, diximus etiam in ſuperioribus. In verbis inſtitutionis miſtionis hujus nulla fit mentio, ſed res poculenta γέννημα τῆς ἀμπέλου i. e. *genimen vitis* appellatur *Matth.* 26. *v.* 29. *Marci* 14. *v.* 25. Videntes hoc Pontificii ad omnis generis admonitiones, quæ deſumi poſſint ex iſta miſtura, confugiunt. Sed ſi propterea crama iſtud retinendum, etiam hoc docere nos poſſet, verbum Dei traditionibus humanis eſſe miſtum. Male in ſcripturis hæc miſtio audit, & cum miſtione ſcoriarum & argenti conjungitur *Eſ.* 1. *v.* 22. *Argentum tuum verſum eſt in ſcoriam: & vinum tuum mixtum eſt aqua.* Cultum nimirum hypocriticum his ipſis ſimilitudinibus Judæis ob oculos Prophetæ ponere voluit. Paulus 2. *Cor.* 2. *v.* 17. *Verbum Dei* καπηλεύειν i. e. *cauponari*, ut Oenopolæ vinum aqua miſcere ſolent, prohibet. Sinceritati ſiquidem τὸ καπηλεύειν h. l. opponit.

§. 2. Uſus aphoriſmi hujus in didacticis eſt, ne jugo ſervitutis à Chriſto in libertatem aſſerti denuo implicemur, ad *Gal.* 5. *v.* 1.

§. 3. In polemicis adverſus Pontificios, propter intermiſſum hunc ritum Eccleſias noſtras reprehendentes, uſus aphoriſmi hujus eſſe poteſt.

APHORISMUS VI.

Perſpicuus Teſtatorum ſolet & eſſe debet ſtylus.

SCHOLIUM.

§. 1.

FInis eſt, ut lites inter hæredes tollantur. Jam verba Chriſti ſacram cœnam inſtituentis eſſe Teſtamentaria, patet 1. ex eo, quod in ultima nocte mortem ipſius præcedente fuerint prolata. 2. quod Teſtator, hæres, bona legata, ſigna & ſigilla in inſtitutione ſacræ cœnæ adſint. 3. quod ſacer calix (ratione contenti) poculum novi Teſtamenti vocetur. Nec tamen propterea tropum omnem à Teſtamentis excludimus, ſed à verbis ſubſtantialibus, & talem, qui lites inter hæredes procreare, vel de ſententia Teſtatoris incertos eosdem facere poſſit. Sic in voce poculi ſynecdochen, vel metonymiam continentis pro contento libenter agnoſcimus, quia illa eſt omnibus obvia, nec legatum ipſum concernit. Nobis ſufficit, quod verba cardinalia, quibus legata exprimuntur, hoc eſt corpus meum, hoc eſt ſanguis meus Novi Teſtamenti, à tropo libera ſint. In verbis Jacobi Patriarchæ ultimis *Gen.* 49. contentis (quæ nobis ab Adverſariis objiciuntur) verba vaticinii, & ultimæ diſpoſitionis, in quibus ordinat de ſepultura ſua, ſunt diſtinguenda. Non in his, ſed illis tropos agnoſcimus. Confirmamur etiam de proprietate verborum, quod à tot teſtibus & toties deſcripta ſint, nec tamen ulla tropi alicujus explicatio inveniatur. Non itaque mirum eſt, quod ipſi Sacramentarii τὸ ῥητὸν deſerentes, & gloſſas quærentes, ita collidantur invicem, unus in ſubjecto, 379

alter in prædicato, tertius in copula tropum quærat: unus ad Grammaticam, alter ad Logicam, (quamum ad χτιπὰς propositiones,) tertius ad Rhetoricam confugiat, &, ubi pedem figere possint, non inveniat.

Litera non fallit, multos speciosa fefellit
Glossa, Dei verbo nitere, tutus eris.
Lubrica dum ratio sensus se volvit in omnes,
Certa facis ἡητῷ pectora, Christe, tuo.

§. 2. Usus aphorismi hujus in didacticis est, ut rationibus, quibus nitamur in tuendo ἡητῷ, abundemus.

§. 3. In Polemicis adversus Sacramentarios, τὸ ἡητὸν in hac causa deserentes, & διάνοιαν quærentes, usus aphorismi hujus esse potest.

APHORISMUS VII.

Quæ Christus conjunxit, homo ne separet.

SCHOLIUM.

§. 1.

PRotulit hæc verba Christus de conjugibus legitime copulatis non separandis, *Matth. 19. v. 6.* sed sensus illorum ad res alias etiam accommodari potest. In cœna Christus panem cum corpore, vinum cum sanguine, nec non utramque speciem, rem esculentam & potulentam, conjunxit. Dicit enim, hoc est corpus meum, hoc est sanguis meus Novi Test. quæ propositio est exhibitiva, cujus subjectum est συμπεπλεγμένον ex re terrestri & cœlesti constans, prædicatum vero partem nobiliorem sensus non incurreniem exprimens. Antecedentia & consequentia hic probe sunt attendenda. In antecedentibus præmittitur ἄρτος i. e. panis, quem Christus sumsit & discipulis dedit dicens, τοῦτο, quod masculino præcedenti minime respondet. In consequentibus hoc ipsum, quod manducandum porrexerat, dicit esse corpus suum. Quod alteram speciem attinet, Evangelistæ & Apostolus Paulus particulam ὡσαύτως i.e. *similiter*, pariter &c. præmittunt, nec facile unius speciei mentionem faciunt, ubi alteram non conjungant.

§. 2. Usus aphorismi hujus in didacticis est, ut de conjunctione rei terrenæ ac cœlestis, ut & utriusque speciei tam esculentæ, quam potulentæ, in hoc Sacramento certi simus.

§. 3. In polemicis tum contra Calvinianos præsentiam substantialem corporis & sanguinis Christi in hoc Sacramento negantes, &, putaminibus relictis, nucleum subtrahentes; tum contra Pontificios calicem consecratum Laicis & Clericis non conficientibus surripientes, usus aphorismi hujus esse potest.

APHORISMUS VIII.

Concomitantia naturalis corporis & sanguinis Dominici sacrilegio calicis minime patrocinatur.

SCHOLIUM.

§. 1.

UT πατρικλεψίαν suam melius tueri possint Pontificii, concomitantiam corporis & sanguinis, quod nullum corpus sit sine sanguine, comestoque corpore Christi, simul ipsius sanguis accipiatur, prætendunt. Verum inter unionem naturalem & sacramentalem hic distinguendum, Corpus quidem

480

& san-

& sanguis unione naturali, sed non sacramentali, sunt conjuncta. Sub alio enim symbolo Christus corpus suum manducandum, sub alio sanguinem suum (non comedendum sed) bibendum instituit. Quippe qui alimonia perfecta, re esculenta & potulenta constante, suos reficere voluit. Addo, quod corpus Christi nec ut vivum, nec ut mortuum, sed ut vivificum, in hac actione sacra spectetur. Unde nonnulli fingunt casum, si tempore mortis Christi Apostoli cœnam administrassent, quid accepissent, quærentes. Corpus vivum utique non accepissent, quia per mortem unio naturalis inter corpus & animam soluta fuit: nihilominus vivificum accepissent, quia vim hanc ζωοποιητικὴν
481. Christi corpus habet ex unione personali cum Λόγῳ, quæ numquam, ne tempore quidem mortis, soluta fuit. Cum itaque Christo de concomitantia corporis & sanguinis naturali probe constiterit, ipseq; nihilominus distincte corpus suum cum pane manducandum, distincte sanguinem suum cum vino bibendum instituerit, nostrum non est cornicis, quod dicitur, oculos configere, vel institutum sapientissimi Magistri nostri sub asciam vocare.

§. 2. Usus aphorismi hujus in didacticis est, ut inter unionem corporis & sanguinis naturalem, & inter unionem corporis cum pane, sanguinis cum vino Sacramentalem accurate discernamus, nec in actione Eucharistica utramque confundamus.

§. 3. In Polemicis adversus Pontificios, qui Laicos & Clericos non conficientes abusu Calicis arcent, unaque specie contentos esse jubent, usus aphorismi hujus esse potest. Ubi tamen Ecclesias Orientales, quod utramque speciem, quantum ad materialia, quidem retineant, nihilominus panem Eucharisticum non distincte manducandum, nec vinum Eucharisticum distincte bibendum, sed utrumque junctim, velut intritum, cochleari communicantibus percipiendum præbeant, notamus.

APHORISMUS IX.

Transubstantiatio multorum errorum & abusuum genetrix extitit.

SCHOLIUM.

§. 1.

FIngunt Pontificii, quod per consecrationem, post recitationem horum verborum, *hoc enim est corpus meum, hoc enim est sanguis meus N. T.* panis Eucharisticus in corpus, vinum in Eucharisticum in sanguinem Christi, remanentibus duntaxat accidentibus, colore, sapore, odore, figura orbiculari, transubstantietur. Hinc elevatio & ἀρτολατρεία, etiam extra usum, originem traxit. Quantumvis autem apud Patres quosdam antiquos unionem Sacramentalem exprimere volentes, mutationis & conversionis terminus occurrat, non tamen mutationem aut conversionem substantiæ, sed officii, & sic accidentalem, quod scilicet panis & vinum post consecrationem non sint amplius cibus vulgaris, sed media exhibitiva corporis & sanguinis Dominici, si manducatio & bibitio sequatur, intellexerunt. Verum, postquam citeriores hac catechetica locutione abusi, substantialem mutationem & conversionem panis in corpus, vini in sanguinem adserere cœperunt, & hac duriore sententia 482

§. 2. Usus aphorismi hujus in didacticis est, ut de fine ac usu Sacramenti hujus certi simus.

§. 3. In Polemicis adversus Pontificios, qui panem Eucharisticum includunt, reponunt, per agros & compita circumgestant, flexis genubus adorant, nec non Magos, qui suas ad incantationes hostiis consecratis abutuntur, usus aphorismi hujus esse potest.

APHORISMUS XI.

Os Lutheranum à ventriculo Pontificio longè distat.

SCHOLIUM.

§. 1.

JOhan. Bergius in Stereomate tractatu Germanico de cœna, (daß die Worte noch feste stehen:) dicit, os Lutheranum à ventriculo Pontificio vix spithamæ intervallo abesse i. e. sententiam Lutheranorum de orali manducatione à sententia Pontificiorum, quod corpus Christi descendat in ventriculum, & quàm diu supersunt accidentia panis, ibi remaneat, non multum differre. Sed fallitur & fallit. Unionem enim Sacramentalem panis cum corpore, vini cum sanguine, non durabilem, sed quando per hæc vehicula & media corpus & sanguis Christi oraliter accepta fuerunt, solubilem statuimus. De symbolis, quæ manducatione & bibitione naturali sumuntur, quod in ventriculum abeant, per ὁμείωσιν nobis apponantur, & tandem quoad residuum, (si majori copia sumerentur,) excernantur concedimus: sed aliter cum corpore & sanguine Dominico comparatum. Ut Deus alias nobiscum condescendens agit per media: Sic & h. l. per panem & vinum corpus suum manducandum, & sanguinem suum bibendum nobis porrigit. Postquam igitur per hæc ἐχήματα corpus & sanguis Domini os nostrum ingressa fuerunt, iis amplius opus non est, sed Christus in nobis habitat, & una cum credentibus massa evadit.

§. 2. Usus aphorismi hujus in didacticis est, ut de sententia nostra, quam circa manducationem oralem fovemus, exactius constet.

§. 3. In polemicis partim adversus Pontificios, qui corporis Christi propter transsubstantiationem in ventriculum ingressum concedunt, partim adversus calumnias Sacramentariorum, usus aphorismi hujus esse potest.

APHORISMUS XII.

Οὐδεὶς γεωμέτρης εἰσίτω. Item: Quod non capis, quod non vides, animosa firmet vides.

SCHOLIUM.

§. 1.

DE *Platone* ferunt, quod foribus auditorii sui hæc verba, οὐδεὶς ἀγεωμέτρητος εἰσίτω i. e. nullus Geometriæ expers intersit, inscripserit, ratus, oleum & operam perditurum, qui disciplina ista non tinctus, aurium ædes vacivas locare sibi velit. Hoc dictum, sed in contrario sensu, imitantur Theologi, quando decempedatores humanæ rationis ab hoc mysterio abesse jubent. Objicientes enim, nullam esse proportionem inter recipiens & receptum, inter os hominis & Christi corpus, præsertim si brachia pandat, ut in cruce fecit, hoc dicto, οὐδεὶς γεωμέτρης εἰσίτω id est, nullus Geometra huic my-

sterio interfit, repellunt. Μὴ λέβειν quippe apertissimam τὸ ἄπο γίνο sic argumentantes committunt, conclusionem Theologicam medio ex principio Philosophico, & quidem Geometrico desumto, evertere conantes. Qui camelum per foramen acus traducere novit, etiam, ut corpus suum per os nostrum ingrediatur, efficere poterit. Nec est, quod quis inter κάμιλον per ι, sive funem nauticum, & κάμηλον per η, sive animal gibbosum, & sic inter rem difficilem & impossibilem distinguat. In fontibus enim non est κάμιλο per ι, sed per η, & Christus de re impossibili sermonem sibi esse, apertè fatetur, sed inter impossibile coram Deo & coram hominibus distinguit. Quid? quod funis nauticus, qua talis, in fila nondum resolutus per foramen acus transire nequeat. Aliud enim est ipse funis, aliud
485 ipsius partes divisim sumtæ, filamenta scilicet, in quæ resolvi potest. Idem saltus, de genere in genus, etiam in aliis Dipnosophistarum argumentis deprehenditur.

§. 2. Ultimam igitur analysin, summumque principium in hoc tremendo mysterio, non Cinglianum, aut Socinianum illud, RATIO DIXIT, sed illud αὐτὸς ἔφα i. e. Dominus dixit, os Domini locutum est, in quod Prophetæ suas conciones terminant, nobis esse sinamus. Quod non capis, quod non vides, animosa firmet fides. *Beati qui credunt, etiamsi non videant*, Salvator à mortuis redux *Joh. 20. v. 29.* inquit. Quod & nos Thomistis, palpare ac videre cupientibus, ut Sacramentarios B. Menzerus saluiat, nec non Quomodistis, quomodo poterit hic corpus suum nobis dare manducandum? ingeminantibus, opponimus.

§. 3. Usus aphorismi hujus in didactis est, ne cœcæ rationis dictamine à simplicitate fidei nos abduci patiamur, aut propter ignorantiam modi rem ipsam negemus, memores istius Apostoli, quod habet, *2. Cor. 11. v. 3. Metuo, ne fiat, ut, quemadmodum serpens decepit Evam versutia sua*, (sc. ἀπὸ τῆς ἁπλῆς eandem abducendo,) *sic corrumpantur sensus fidei à simplicitate, quæ est erga Christum &c.* & illius Justini Martyris, Σαφὴς τῆς ἀπιστίας ἔλεγχος, τὸ πῶς περὶ Θεὸν ζητεῖν i. e. *satis evidens incredulitatis argumentum est, modum de Deo* (& rebus divinis,) *quærere.*

§. 4. In Polemicis adversus Calvinianos, Remonstrantes, Socinianos, Anabaptistas, præsentiam corporis & sanguinis Christi sub pane & vino negantes, quod rationi sit incomprehensibilis, usus aphorismi hujus esse potest.

APHORISMUS XIII.

Præsentiæ Sacramentalis, qua talis, fundamentum sunt verba institutionis. Item: Præsentia Sacramentalis generalem præsupponit.

SCHOLIUM.

§. 1.

PEr præsentiam Sacramentalem intelligimus eam, qua corpus & sanguis Christi præsentia sunt sub symbolis: per generalem, qua Christus secundũ utramq; naturam, & quidem humanam quod attiner, vi personalis unionis & sessionis ad dextram Dei, etiam extra cœnam præsens est, (non tantum in Ecclesia, ut Heshusius & Hofmannus, Professores Juliani quondam concedebant, sed etiam,) in toto terrarum orbe, *in medio inimicorum*,
486

Pſ. 110. *v.* 1. 1. *Cor.* 15. *v.* 25. Præſentiam Sacramentalem (ſed per *μετουσίαν* i. e. tranſubſtantiationem talem,) Pontificii & Profeſſores Juliani admittunt, generalem autem extra hoc Sacramentum negant. Illi quidem circa reformationis initium fuere ſciſſi, cum Jacobus Faber Stapulenſis, Sorboniſta, Kemerius & alii generalem Chriſti ſecundum carnem præſentiam admiſerunt, alii negarunt, donec poſt habitam diſputationem Ingolſtadienſem (ab anno Chriſti 1564.) in abnegatione omnipræſentiæ carnis Chriſti conſpirarunt. Profeſſores Juliani & quidam Hollati multipræſentia contenti omnipræſentiam eo potiſſimum ex fundamento, quod promiſſione deſtituatur, quam Sacramentalis habeat, negant.

§. 2. Cum itaque generalem Chriſti ſecundum carnem præſentiam quidam negantes, Sacramentalem concedant: quidam etiam ex noſtris argumento ab omnipræſentia Chriſti ſecundum carnem ducto, Sacramentalem probent, quod ipſum *τὸ ἐνωτικὸν* articulo ſeptimo facit; de fundamentis, quibus præſentia corporis & ſanguinis Chriſti ſub ſymbolis nitatur, quæri cœpit. Ubi vel inter præſentiam Sacramentalem, qua talis eſt, & inter generalem; vel inter *τὸ* velle ac poſſe corpus ſuum præſens ſiſtere, diſtinguendum. Præſentiæ Sacramentalis, qua talis, fundamentum ſunt verba inſtitutionis, quæ tamen generalem ex unione perſonali & ſeſſione ad dextram Dei deductam, præſupponit. Quod autem hæc promiſſione deſtituatur, falſiſſimum eſt, *Matth.* quippe 18. *v.* 20. *Chriſtus, quod ubi duo, vel tres in ipſius nomine congregentur, in medio eorum ſit, Matth.* 28. *v. ultimo* præſentiam ſuam usque ad conſummationem ſeculi; *Joh.* 14. *v.* 18. quod diſcipulos non ſit derelicturus orphanos, promittit. Tot etiam apparitionibus *Act.* 7. 9. 23. 1. *Cor.* 9. 15. *Apoc.* 1. 2. 3. conſignatis promiſſionem iſtas ſtabilivit. Sic, quod Chriſtus adeſſe poſſit in cœna, ex unione perſonali & ſeſſione ad dextram Dei, quod adeſſe velit, ex verbis inſtitutionis probamus. Qui verò Sacramentalem concedunt, generalem negant, vel adductivam & abductivam, (qua corpus Chriſti ex ſummo cœlo empyréo ad ſacra ſymbola, quoties cœna celebranda ſit, adduci, eademque finita, rurſus abduci debeat,) vel productivam, (qua corpus Chriſti producitur, aut creatur ex pane,) ſtatuere coguntur.

§. 3. Uſus aphoriſmi hujus in didacticis eſt, ut de fundamentis utriusque præſentiæ certi ſimus, & pro re nata diſtinguere queamus.

§. 4. In Polemicis adverſus Pontificios, Julianos & omnes eos, qui Sacramentalem præſentiam concedunt, generalem negant, uſus aphoriſmi hujus eſſe poteſt.

APHORISMUS XIV. 487

In, cum, ſub totum turbant monoſyllaba mundum.

SCHOLIUM.

§. 1.

PEr particulas iſtas, quod in, cum & ſub pane benedicto corpus Chriſti manducandum, in cum, & ſub vino benedicto ſanguis Chriſti bibendus nobis exhibeatur, propoſitionem Sacramentalem, hoc eſt corpus meum, hoc eſt, ſanguis meus N. T. Orthodoxi explicare ſolent. Quantopere verò ab Adverſariis, præſertim

Digitized by Google

sertim Calvinianis exagitentur, quasi localem Dominici corporis in panem inclusionem, aut parvi corpusculi sub pane dilitescentiam innuant, notius est, quam ut filo prolixiore diducendum sit impræsentiarum. Verum enimverò, per particulas istas non modus præsentiæ, quem ἀκατάληπτον i.e. *incomprehensibilem* dicimus, significatur, sed ex una parte vera & substantialis Christi corporis in cœna præsentia stabilitur, ex altera parte figmentum transsubstantiationis destruitur. Si enim in, cum & sub pane præsens est corpus Christi, non signum tantum absentis & cœlo empyreo inclusi corporis præsens est: rursus si Christi corpus in, cum & sub pane præsens est, substantia panis in Christi corpus non est conversa. Imitantur autem orthodoxi hac explicatione propositiones personales, quæ per ejusmodi particulas in Scripturis explicantur, v. g. 2. *Cor.* 5. *v.* 19. *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi. Act.* 10. *v.* 38. *Deus erat cum Christo.* Per particulam autem sub, non localis inclusio, sed magnum mysterium denotatur. Quod de modo præsentiæ incomprehensibili diximus, de modo τῷ θέσει determinando, non κατ' ἄρσιν intellectum volumus. Quod enim nec per transsubstantiationem, nec per inclusionem localem, nec per delitescentiam sub pane corpus Christi præsens sit in cœna, χειρίστῃ ποσίνῃ propugnamus.

§. 2. Usus aphorismi hujus in didacticis est, ut finem & sensum harum particularum rectè teneamus

§. 3. In Polemicis adversus Pontificios & Calvinianos usus aphorismi hujus esse potest.

APHORISMUS XV.

Formæ consistunt in indivisibili.

SCHOLIUM. 383

§. 1.

QUantumvis hic Canon de formis substantialibus πρώτως veniat accipiendus, ad accidentales tamen etiam transferri potest. Quia verò Sacramentorum essentia in actione consistit, forma sacræ cœnæ hujus in tota Sacramentali actione ponitur. Hæc ipsa verò tota Sacramentalis actio ex quatuor actibus principalibus non divellendis invicem integratur. Horum unus si desit, de forma Sacramenti hujus actum est. Sunt autem isti quatuor actus, consecratio, distributio, manducatio & bibitio. Qui Sacramenta in δόσει & λήψει consistere dicunt, consecrationem hic non excludunt, sed præsupponunt, λῆψιν autem in manducationem & bibitionem dividunt. Hos omnes actus in cœnæ primæ institutione reperire licet. Christus enim postquam gratias egisset, symbolis benedixit, illa distribuit: discipuli verò quod jussi erant, manducatunt & biberunt. Quod si jam intermittatur consecratio & symbola, licet annectantur institutionis verba, distribuantur, aut consecratio, quidem fiat, sed nulla distributio, aut altera species intermittatur, aut symbola sacra distribuantur quidem, sed non manducentur, neque bibantur, Sacramentum cœnæ non celebratur. Hi siquidem actus à se invicem divulsi, formam Eucharistiæ non constituunt.

§. 2. Usus aphorismi in didacticis est, ut de forma Sacramenti hujus certi simus, nec

nec ullus actus principalis ad formam ejusdem pertinens intermittatur.

§. 3. In Polemicis adversus Pontificios symbola quidem consecrantes, sed non distribuentes, sed reponentes, includentes, circumgestantes, aut calicem Laicis subtrahentes, aut non benedictum (calicem ablutionis den Spülkelch/) iisdem porrigentes, usus aphorismi hujus esse potest.

APHORISMUS XVI.

Effectus verborum Christi etiamnum durat. Item: Verba consecrationis sunt operativa.

SCHOLIUM.

§. 1.

VErba institutionis, ut recitationem tantum historicam, à Reformatis administrationi cœnæ præmitti, notum est. Nec possunt aliter, cum veram substantialis corporis Christi præsentiam in cœna
489 negent. In nostris autem Ecclesiis verba ista, ut operativa, Sacramenti hujus administrationi præmittuntur, non quidem, ut per illa panis Eucharisticus in Dominicum corpus convertatur, aut in illud transsubstantietur, sicuti Pontificii volunt, sed ut in legitimo usu, (id est, si etiam distribuatur communicantibus, manducetur & bibatur,) corpus Christi cum pane Sacramentaliter uniatur. Ne verò quis tantam vim voci Sacerdotis, aut Ecclesiæ Ministri adscribat, effectum verborum Christi veracis, sapientis & omnipotentis, quando in institutione cœnæ dixerat, hoc est corpus meum, hoc est sanguis meus N. T. etiamnum durare, sciat. Ut enim effectus verborum divinæ Majestatis, crescite & multiplicamini, etiamnum duret, ut vi eorum adhuc propagentur homines: ita & verborum institutionis. Ad repetitionem itaque verborum istorum ab Ecclesiæ Ministro, quoties administranda cœna venit, factam, panis Eucharisticus in legitimo usu cum corpore Christi, vinum Eucharisticum cum sanguine Christi Sacramentaliter unitur.

§. 2. Usus aphorismi hujus in didacticis est, ut sciamus, cujus verbis, an Ministri, an Christi unio Sacramentalis sit adscribenda, &, ut omnem suspicionem operationis alicujus Magicæ procul hinc faceſſere jubeamus.

§. 3. In Polemicis adversus Calvinianos, corporis & sanguinis Christi præsentiam substantialem negantes, consequenter, verba institutionis, ut nudam commemorationem historicam, dispensationi Sacramenti hujus præmittentes, usus aphorismi hujus esse potest.

APHORISMUS XVII.

Fractio panis distributioni servit. Item: Ἀρτοκλασία non est actus cœnæ principalis, sed ministerialis.

SCHOLIUM.

§. 1.

SUnt ex Reformatis sic dictis, qui fractionem panis pro parte cœnæ essentiali; sunt, qui pro parte integrali venditent, cum thalero arroso comparantes cœnam illam, quæ sine fractione panis administratur. Inde quoque totam hanc actionem ab ἀρτοκλασία vocant das Brodbrechen / item: zum Brodbrechen gehen. Illam verò tantopere urgent, ut opinionem de vera & reali corporis Christi præsentia per hanc repræsentationem ex imis

Digitized by Google

cordis fibris evellant, & ſuam de figura corporis penitius infigant. Hinc & Crypto-Calviniani ſub Lutheranis latitantes,
490 Bohemi, vel Huſſitæ præprimis, quando placentulas orbiculares communicantibus in os inſeruerunt, illas frangere ſueverunt. Verum repræſentativam illam fractionem Scriptura neſcit; quin potius à fractione corpus Chriſti liberum manſiſſe pronunciat. Hinc providentia divina, ne crura Chriſti frangerentur, factum dicit *Joh.19. v.36.* & huc citat verba, *Exodi 12. v. 46. Os non comminuetis ei.* Quod ſi de ſolutione corporis & animæ fractionem ſuam exponerent, figura figurato non reſponderet, cum in quatuor partes diviſionem utplurimum inſtituant.

§. 2. In Scripturis duas potiſſimum vocabuli fractionis acceptiones, pro diſtributione & comminutione in partes, invenimus. Apud *Matthæum cap. 26. Marcum* 14. & *Lucam c. 22.* utrumque ponitur: *Fregit panem ac dedit diſcipulis.* Apud Paulum in 1. *Cor.* 11. tantum habetur verbum fregit. Quod ſi vocabulum fractionis ſolitariè ponitur, diſtributionem denotat, ut in illo Prophetæ, *Eſa. c. 53. v. 7. Eſurienti frange panem tuum:* & ſic actus eſt principalis ad integritatem hujus Sacramenti pertinens. Si verò cum datione conjungitur, comminutionem in partes ſignificat, & actus eſt miniſterialis principali ſerviens. An verò in ipſa cœnæ adminiſtratione miniſterialis hic actus peragatur, an ante, (prout in noſtris Eccleſiis fieri ſolet, quando communis maſſa per inſtrumentum aliquod in partes dividitur,) res eſt indifferens: & parum refert, an in ipſa ſacræ cœnæ diſpenſatione vinum in vaſa infundatur, an ante.

§. 3. Quod de repræſentativa Calvinianorum fractione diximus, Pontificios etiam ſtringit; quippe qui hoſtiam paulò majorem, quam ſunt eæ, quas diſtribuunt, in tres particulas, quarum unam pro vivis, alteram pro ſanctis demortuis, tertiam pro conſtitutis in purgatorio ſacrificant, frangere ſolent, ſecundum Verſum:

> Pars intincta mero pro vivis ſacrificatur,
> Altera pro Sanctis, ſed tertia pro redimendis.

Vocabulum κλώμενον id eſt, fractum, quod apud Paulum in 1. *Cor.* 11. *v.* 24. legitur (hoc eſt corpus meum pro vobis fractum,) ipſis non patrocinatur. Vel enim de acerbiſſimis cruciatibus, quales eſſe ſolent eorum, qui crurifragio tolluntur; vel de diſtributione venit accipiendum. Quando ſumitur in ſignificatione priore, particula ὑπὲρ i. e. pro vobis, vicem; quando in poſteriore, bonum & commodum denotat. Miramur autem Crypto-Calvinianos in Eccleſiis Lutheranorum uti cœna, cum ſecundum ſuas hypotheſes, mancam & mutilam, fractione panis carentem, & ſic thalerum arroſum accipiant.

§. 2. Uſus aphoriſmi hujus in didacticis eſt, ut, quid de fractione panis habendum, quod ſcilicet pro comminutione in partes ſumta res ſit indifferens, & actus miniſterialis principali ſerviens, teneatur. 491

§. 3. In Polemicis advetſus Calvinianos, Pontificios & Socinianos, uſus aphoriſmi hujus eſſe poteſt.

APHO-

APHORISMUS XVIII.

In fractione panis, & deſtructione per dentes, forma Sacramenti hujus non conſiſtit. Item: Sacramentum hoc actio Dei potius eſt, & conſequenter novis Chriſti præceptis non venit annumerandum.

SCHOLIUM.

§. 1.

PEjores adhuc Calvinianis Sociniani manducationem non tantum ſacramentalem, ſed & ſpiritualem vi ſuarum hypotheſeων ex hoc Sacramento rejiciunt, & formam ejusdem in nuda repræſentatione per fractionem panis & deſtructionem, quæ manducando fit, ponunt. Vocabulum inſuper Sacramenti deteſtantes, adminiſtrationem cœnæ novis Chriſti præceptis, tanquam novi legislatoris accenſent, annunciationem mortis Chriſti realem præprimis urgentes. Ut plexus & nexus errorum in hac doctrina continetur; ita diſtinctè de diſtinctis agentes διὰ βραχέων eosdem ſolvemus. Quod ſubſtantialem corporis & ſanguinis Chriſti præſentiam in cœna negent, ex eodem principio, unde Calviniani ſuam ſententiam hauſerunt, nimirum quod ultimam fidei analyſin ponant, RATIO DIXIT, oritur. Verum cum potius ad illam confugiendum ſit, αὐτὸς ἔφα, DOMINUS dixit, OS DOMINI locutum eſt, ruinam patietur, quicquid in ſpiritualibus eidem fuerit ſuperſtructum. Ψυχικὸς ἄνθρωπος δὲ δέχεται τὰ τοῦ πνεύματος. Μωρία γὰρ αὐτῷ, i.e. *Animalis homo non percipit ea, quæ ſunt Spiritus Dei. Stultitia enim ipſi ſunt*, 1. *Cor.* 2. *v.* 14. Ubi provocamus ad argumenta pro ſubſtantiali corporis Chriſti præſentia ſuperius in evolutione hujus articuli prolata.

§. 2. Quod autem ſpiritualem manducationem & bibitionem, quam ſolummodo Calviniani urgent, nos etiam ad ſalutarem Sacramenti hujus uſum requirimus, attinet, illa fundamentum in iis verbis inſtitutionis, *pro vobis datur & effunditur in remiſſionem peccatorum*, habet. Quæ verba Lutherus, tanquam caput & ſummam in hoc Sacramento prædicat. Unde regula extructa: Non Sacramen- 492
tum, ſed fides Sacramenti juſtificat. Verbum enim, Pro vobis, requit omninò corda credentia. Juſſit quidem Chriſtus celebrare cœnam in ſui ἀνάμνησιν i. e. recordationem, *Lucæ cap.* 22. *v.* 19. & Paulus 1. *Cor.* 11. *v.* 26. jubet annunciare mortem DOMINI, quando cœna celebratur, donec venerit, ſed quod per fractionem & manducationem, ſive deſtructionem per dentes id fieri debeat, de hoc nec vola, nec veſtigium in verbis inſtitutionis comparet. Tantum abeſt, ut fractio & manducatio, quatenus eſt deſtructio per dentes, ipſam Sacramenti hujus formam conſtituat, ut ne quidem actum principalem, ſed miniſterialem duntaxat, referat. Quando mortem Domini annunciare jubemur, Apoſtolus verbum καταγγέλλειν adhibet, quod verbis potius, quam theatricis ejusmodi geſtibus, cum re ipſa convenientiam nullam habentibus, aliquid annunciare ſignificat.

§. 3. Quod autem fidem in Chriſti mortem hic excludant, ratio eſt, quia ſatisfactionem pro peccatis noſtris negant, & proinde fidem per obedientiam mandatorum divinorum definiunt. Sacramenti vox, à qua prorſus abhorrent Socini-

ani, licet Biblica non ſit, quantum ad hos ritus ſacros, (habetur alias *Eph. 5. v. 32. magnum hoc Sacramentum eſt*, conjunctio ſcilicet Chriſti & Eccleſiæ,) ſed Eccleſiaſtica, quia tamen eſt antiquiſſima, non tanta levitate fuiſſet rejicienda. Jam quia Sacramenta pertinent ad organa ſalutis δοτικὰ, & in hoc à Sacrificiis differunt, quod in his aliquid demus DEO, in Sacramentis DEUS aliquid det nobis, conſequenter in libris noſtris methodicis per actiones DEI definiuntur, cum ſcilicet DEUS per Miniſtrum ſuum diſpenſat rem certam peculiari verbo inſtitutam, cum baptizat, cum corpus ſuum ſub pane manducandum, ſanguinem ſuum ſub vino bibendum nobis porrigit, DEI potius, quam noſtris actionibus Sacramenta ſunt accenſenda. Falſa etiam eſt hypotheſis, quod Chriſtus fuerit novus Legislator, qui legibus Moſaicis novas ſuperadjecerit. Has ipſas hypotheſes in ſuperioribus deſtructas vide.

§. 4. Uſus aphoriſmi hujus in didacticis eſt, ut quid de fractione panis & manducatione h. l. ſit habendum, (quod illa ſcilicet diſtributioni ſerviat, per hanc λῆψις bonorum legatorum fiat,) teneamus.

§. 5. In Polemicis adverſus dictos Socinianos, & qui veſtigiis eorum inhærent, Remonſtrantes duriores, uſus aphoriſmi hujus eſſe poteſt.

493 APHORISMUS XIX.

Omne receptivum recipit, non per modum imprimentis, ſed ſuæ receptivitatis.

SCHOLIUM.

§. 1.

COrpus Chriſti vivificum ad judicium & damnationem ab indignis hoſpitibus ſumi, Galvinianis non fit veriſimile. Præterquam autem, quod vim vivificam carni Chriſti communicatam negent, πρὸς ἄνθρωπον diſputantes, convenientiam cauſæ cum effectu in hac controverſia urgent. Verum non ἀνένστατον eſſe dictum axioma, multis exemplis probari poteſt, v. g. quod ex eodem flore apes mel, araneæ venenum ſugant.

Limus ut hic dureſcit, & hæc ut cera liqueſcit,
Uno eodemque igni &c. canente Marone ecl. 8.

Sic verbum divinum quibusdam odor vitæ ad vitam, quibusdam odor mortis ad mortem dicitur *2. Cor. 2. v. 16.* Addo, quod Chriſtus ſuo quidem corpore & ſanguine ad ejusmodi hoſpites indignos adveniat, ſed illos gratioſe non inhabitet. Lateat etiam quod actus vivificandi ſit voluntarius, prout Salvator inquit, *Joh. 5. v. 21. Filius, quos vult, vivificat.* Ipſam vim ζωοποιητικὴν à λόγῳ communicatam eſſe carni, non tantum ex κοινωνίᾳ φύσεων, ſed etiam apertiſſimo Salvatoris dicto, *Joh. 6. v. 51. Ego ſum panis vivus, qui de cœlo deſcendit: Si quis ederit ex hoc pane, vivet in æternum, & panis, quem ego dabo, caro mea eſt, quam dabo pro mundi vita.* Et *v. 53. Amen, amen dico vobis, niſi ederitis carnem Filii hominis & biberitis ejus ſanguinem, non habetis vitam in vobis.* Crux verò fixa eſt Calvinianorum ſententiæ doctrinâ de manducatione indignorum. De incredulis ſiquidem vi ſuarum hypotheſeων, quod

corpus

corpus Christi accipiant, dicere non possunt, cum corpus Christi manducare ipsis idem sit, quod credere. De indignis autem hospitibus, quod corpus Christi accipiant ad judicium, 1. *Cor.* 11. *v.* 29. dicitur. Ad infirmos itaque in fide, ac si hospites essent indigni, confugiunt, cum pro ipsis potius cœna sit instituta, ut manducatione corporis istius, quod in mortem pro ipsis traditum fuit, & bibitione sanguinis istius, qui pro ipsis in remissionem peccatorum fuit effusus, fides eorum confirmetur & corroboretur. Habent etiam tales veram fidem, cum non aberrent ab objecto vero, Christi merito, licet firmam non habeant, quæ propterea mysterii hujus usurpatione fulcienda
494. est. *Linum certè fumigans* Salvator amantissimus *non extinguet: neq; arundinem quassatam confringet, Es.* 42. *v.* 3. *Matth.* 12. *v.* 18.

§. 2. Usus aphorismi hujus in didacticis est, ut indignorum manducatione fidem nostram stabiliamus, & ad ἀντιπίπτοντας contradicentium confutanda paratiores simus.

§. 3. In polemicis adversus Antagonistas nostros Calvinianos usus aphorismi hujus esse potest.

APHORISMUS XX.

Eucharistia est immortalitatis pharmacum.

SCHOLIUM.

§. 1.

ITa vocatur à Patribus, ut *Ignatio*, cui est ἀθανασίας φάρμακον, καὶ καθαρτήριον ἀλεξίκακον i. e. *medicina faciens ad immortalitatem, & adversus venena spiritualia purgativum & præsentaneum remedium*: Damasceno, cui est ἀρραβὼν τῆς μελλούσης ζωῆς i. e. *pignus futuræ vitæ.* Ut enim propter inhabitantem in nobis Spiritum S. ad vitam æternam aliquando resuscitabimur, quemadmodum Apostolus, *Rom.* 8. *v.* 11. inquit: *Si Spiritus ejus, qui Christum excitavit à mortuis, est in vobis, vivificabit & mortalia corpora vestra*: ita propter cibum hunc vivificum, corpus & sanguis Christi, quem ore nostro accepimus & fide apprehendimus, in morte non manebimus. Quod altius expendentes vetustioris Ecclesiæ Christiani moribundis etiam cœnam porrexerunt, & lecto sic affixi sacram hanc alimoniam desiderio desiderarunt. Quorsum respiciens Basilius Ecclesiæ Doctor antiquissimus, qui vixit in centuria quarta, cœnam ἐφόδιον ζωῆς αἰωνίου i. e. *æternæ vitæ viaticum* vocavit. Mos inde residuus adhuc in Ecclesiis nostris, ut morti proximi Dominici corporis ambrosia & vivifici sanguinis nectare ad vitam æternam instruantur & reficiantur.

§. 2. Usus aphorismi hujus in didacticis est, ut de corporis & sanguinis hujus vivifici efficacia certi, fame ac siti refectionis hujus inexplebili aduramur.

§. 3. In Polemicis adversus Calvinianos & corpus Christi vivificum, & substantialem ipsius præsentiam in cœna, & inhabitationem corporum nostrorum negantes, consequenter moribundis cœnam non administrantes, usus aphorismi hujus esse potest.

APHORISMUS XXI. 549

Margaritæ porcis non sunt objiciendæ.

SCHOLIUM.

§. 1.

PEr porcos non peccatores quosvis, (de occultis enim non judicat Ecclesia,) sed notorios & scandalosos intelligimus. Tales enim priusquam pœnitentiam agant, indignos futuros hospites, ad judicium sibi Dominicum corpus manducantes, præsumimus. Quare in Ecclesiis orthodoxis, ubi disciplina viget Ecclesiastica, tam scelerati ac scandalosi ad tempus ab his margaritis, tanquam porci, donec evidentia pœnitentiæ signa conspiciantur, arceri solent. De hac disciplina Salvator *Matth.* 18. *v.* 17. & Apostolus Paulus, 1. *Cor.* 5. *v.* 11. *seqq.* agit. Ille gradus admonitionum præmittendos excommunicationi præcipit, quando hæc in verba erumpit: *Si peccaverit in te frater tuus, vade & argue eum inter te & ipsum solum: Si te audierit, lucratus es fratrem tuum: Si verò te non audierit, adhibe tecum unum, aut duos, ut in ore duorum, aut trium testium consistat omne verbum. Quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ; quod si Ecclesiam non audierit, sit tibi velut Ethnicus & Publicanus.* Hic incestuosum, qui novercam duxerat uxorem, (erat enim flagitium atrox, quo semel admisso insigniter scandalizabatur Ecclesia, ut non opus habuerit præmitti admonitionum gradus,) Satanæ tradendum & à conversatione cum Christianis reliquis *v.* 11. ad tempus arcendum, post actam autem pœnitentiam, 2. *Cor.* 2. *v.* 6. 7. 8. recipiendum jubet. Licitè autem tales porci ab usu Sacramentorum, non tamen ab auditu verbi, fidem concipiendi medio, ut fit apud Anabaptistas, arcentur. Ideò peculiaris locus ad valvas templi talibus in constitutionibus Ecclesiasticis assignatur. Debet enim hæc disciplina esse medicinalis potius, quam exitialis, ut Apostolus inquit, 1. *Cor.* 5. *v.* 5. *Tradatur Satanæ talis ad interitum carnis, ut Spiritus salvus sit in die Domini Jesu.* Salutariter etiam prospectum est in Ecclesiis nostris, ne propter affectus, quibus interdum fræna laxantur, cuivis Ecclesiæ Ministro potestas à communione sacrorum arcendi quem velit, competat, sed ut negotium cum Ecclesia repræsentativa, vel consistoriis communicetur.

§. 2. Usus aphorismi hujus in didacticis est, ut providè Sacramentum hoc tractetur, nec iis, quos propter flagitia sua notoria futuros indignos cœnæ hospites constat, ad judicium hic cibus detur.

§. 3. In polemicis adversus eos, qui 496
disciplinæ Ecclesiasticæ negligentes vel etiam osores, quosvis indifferenter ad hoc Sacramentum admittendos censent, usus aphorismi hujus esse potest.

APHORISMUS XXII.

Crede & manducasti. Item: Inter alios cœnæ fines est etiam doctrinæ professio.

SCHOLIUM.

§. 1.

DIctum hoc *Augustini* loquitur de manducatione spirituali, vel metaphorica, quæ fertur in totum Christum cum omnibus suis beneficiis. Hæc spiritualis manducatio, licet ad salutarem cœnæ usum requiratur, & cum manducatione Sacramentali debeat esse conjuncta, in casu tamen necessitatis, ubi vel propter veritatis hostes, inter quos nobis versandum,

Digitized by Google

dum, aut alias propter defectum miniſtri, aut ſymbolorum, Sacramentali manducatione ſuperſedere cogimur, ſpirituali manducatione poſſumus eſſe contenti. Sunt quidem, etiam à Laicis & diverſæ religionis Miniſtris Sacramentum hoc accipi poſſe putantes, exemplis nixi tum duorum Chriſtianorum illorum, in præſentiſſimo naufragii periculo conſtitutorum, quorum unus alterum creavit Eccleſiæ miniſtrum, alter verò viaticum hoc ſacrum conſorti religionis diſpenſavit; tum quod in fundamento diverſæ Chriſtianorum religiones conveniant & à Prudentibus hoc ſæpius fiat: ſed cur calculum noſtrum his ipſis denegemus, rationibus movemur ſequentibus. Primum non eſt par gradus neceſſitatis inter Sacramentum initiationis & confirmationis. Illud quidem in caſu neceſſitatis à Laico adminiſtrari poteſt: hoc ſecus, quia, deficiente manducatione Sacramentali, ſpirituali, quæ fit fide, contenti eſſe poſſumus. Quod verò à diverſæ religionis Miniſtris, de quibus conſtat, aut in Eccleſia diverſam religionem profitente cœna S. ſumenda ſit, negamus ex eo, quod inter alios hujus Sacramenti fines etiam ſit doctrinæ profeſſio. *Quæ ſiquidem communio lucis cum tenebris? quomodo Chriſtus & Belial invicem conveniunt*, 2. *Cor.* 6. *verſ.* 14. 15. Quod ſi jam ἑτεροζυγεῖν i. e. jugum trahere cum diverſæ religionis hominibus prohibemur, cur in hac Synaxi & publico conventu id faceremus? Eſto: prudentes nullius religionis homines id faciant, non tamen exemplis, ſed legibus eſt judicandum. Ut iſte tepor in religione improbatur, *Apoc.* 3. *v.* 15. 16. Sic etiam falſum eſt, quod in fundamento diverſæ religiones Chriſtianas ſe venditantes v. g. Lutherana & Calviniana conveniant. Fundamentum enim, quod eſt Chriſtus, cui quidam ſuperſtruunt aurum, argentum, gemmas, quidam lignum, fœnum, ſtipulas Calviniani particulare & invalidum faciunt, cui ſalutem ſuam quis tutò committere nequeat, quando pro pauciſſimis duntaxat hominibus abſolutè prædeſtinatis Chriſtum paſſum ſtatuunt, ipſiusque meritum rigori divinæ juſtitiæ opponi poſſe, negant. Sed de his alibi. 497.

§. 2. Uſus aphoriſmi hujus in didacticis eſt, ut, quid nobis in caſu neceſſitatis circa Sacramentum hoc faciendum ſit, ſciamus, neque jugum cum diverſæ religionis hominibus trahamus.

§. 3. In polemicis adverſus Vertumnos in religione, tepidos Syncretiſtas, Crypto-Calvinianos, & ſimilis furfuris homines, vel in eundem cenſum religiones quasvis conjicientes, vel cum diverſæ religionis hominibus contra proprias hypotheſes ad S. S. Synaxin accedentes, uſus aphoriſmi hujus eſſe poteſt.

Locus

Locus XVIII.

De

ECCLESIA.

§. 1.

PRincipem inter articulos fidei locum de Ecclesia in Theologia Pontificia esse, benè Chemnitius monet, & res ipsa loquitur. Ut κακκυσμὸν suum olim ingeminabant Judæi, *templum Domini, templum Domini, templum Domini, Jer. c. 7. v. 4.* sic Pontificiis in ore natare solet cantilena vetus, at oppidò falsa, Ecclesia Catholica, Ecclesia Catholica, Ecclesia Catholica. Scripturis ipsis hanc præferunt, fidei suæ analysin ultimam in hanc terminant, ut, quicquid Ecclesia Catholica statuat, fide sit amplectendum. Quod si tamen penitius in hoc principium inquiratur, Ecclesiæ Catholicæ voce Pontificiis vel Papam cum suis Prælatis (Ecclesiam sc. repræsentativam,) vel solum Papam & hodie quidem frequentius venire, deprehendetur.

§. 2. Vox Ecclesiæ natales suos debet Græciæ, quippe desumta ex foro Atheniensium, apud quos concio voce præconis convocata Ecclesiæ nomine veniebat.
498 Descendit enim à verbo ἐκκαλεῖν id est, evocare, propterea quod ex pluribus cœtus aliquis certus convocetur, ut apud Athenienses voce præconis, sic in populo Dei per verbi & Sacramentorum ministerium. Generalis hic significatus pro quavis cujusvis populi congregatione in Scripturis etiam occurrit, v. g. bis *Act. 19.* ubi de confluxu populi Ephesini super tribunitiis Demetrii fabri argentarii clamoribus usurpatur. Versiculo enim 32. *istius cap.* dicitur: *Alii quidem aliud clamabant: Ecclesia siquidem erat confusa, & plerique nescirent, qua ex causa convenissent. Et v. 39. Si quid de rebus aliis quæritis, in Ecclesia* (concione, congregatione,) *legitima dirimetur.* Quando verò de cœtu vocatorum ad regnum Dei vox usurpatur, vel additur, quod sit Ecclesia DEI, Christi &c. vel ex contextu significatus venit eruendus. Epitheton, quod addi solet, Catholici, vel de universali Ecclesia per totum terrarum orbem diffusa (qui proprius est vocis Catholici significatus,) vel de orthodoxa (ubi propter convenientiam partis cum toto homogeneo particularibus etiam Ecclesiis tribuitur,) præscriptam normam sequente sumitur. Specialis hic significatus Arianismi tempore, seculo currente quarto, cum Orthodoxi ab Arianis epitheto Catholicorum distinguebantur, frequentari cœpit. Quocunque sumatur, Ecclesia Romano-Catholica, inprimis Neo-Romano-Catholica, voce Catholicæ venire nequit. Nec enim est universalis per totum terrarum orbem disseminata, cum præter eandem plures, ut

orien-

orientales, meridionales, ſeptentrionales primatum Pontificis Romani non agnoſcentes extiterint & adhuc extent, nec orthodoxa, cum traditiones humanas & catachreſticas Patrum locutiones ſequen', à norma ſacrarum literarum multoties deflectat: niſi Catholici forſan propter crudeliſſimas orthodoxorum perſecutiones, aut Eccleſiæ devaſtationes, καθ' ὃ λύκοι, i.e. ſecundum quod lupi, aut κακολύκοι i.e. peſſimi lupi ſic nominari velint. Vox Eccleſiæ vel eſſentiæ, vel qualitatis ratione ſumitur. Eſſentiæ, quatenus denotat cœtum, qui tabulas matrimoniales & fidei traducem i.e. verbum & Sacramenta, ſive pura, ſive corruptelis depravata ſint, habet, & Paganiſmo tunc opponitur: Qualitatis, prout cœtum denotat, qui verbum purum & Sacramenta ſecundum inſtitutionem Salvatoris habet. In priore ſignificatu Eccleſia Pontificia, Calviniana &c. Orientales, Meridionales &c. Eccleſiæ nomine venire poſſunt: non poſteriore, quia cœtus ſunt impuriores, ubi fundamento fœnum & ſtipulæ ſuperſtruuntur.

§. 3. Ex hac diſtinctione terminus am-
499 biguus veri, cum quæritur, an apud Pontificios & Calvinianos vera ſit Eccleſia, lucem accipit. Si enim vera Eccleſia ſumitur pro cœtu, penes quem verbum & Sacramenta reperiuntur, & qui Paganorum cœtibus opponitur, hoc nomine venire poſſe, non refragarer: nullatenus autem quatenus vera Eccleſia pro pura ſupponit. Fuerunt Pontificii (ut Judæi Chriſtianorum,) ſcriniarii & Bibliothecarii noſtri, à quibus verbum & Sacramenta accepimus. Inde Lutherus in aureo ſuo commentario in epiſtolam ad *Gal. c.* 1. inquit, omnia bona, verbum & Sacramenta fuiſſe in Eccleſia Romana, ſed addit, præterquam, quod Papa ſtercus ſuum iisdem illeverit.

§. 4. Vocabulum Synonymum eſt συναγωγῆς, quod vel de loco, ubi die Sabbatni Judæi convenerunt ad audiendum Moſen & Prophetas, vel de Eccleſia Judaica in N. Teſt. potiſſimum ſumitur. Vult quidem Bellarminus ita ſemper accipi, ſed obſtant loca Scripturæ, *Hebr.* 10. *v.* 25. *Non deſerentes* συναγωγὴν ἑαυτῶν i.e. *congregationem mutuam, ſicuti mos eſt quorundam.* Et Jacobi *c.* 2. *v.* 2. *Si quis* χρυσοδακτύλιος i.e. *aureum geſtans annulum ingrediatur* εἰς συναγωγὴν ὑμῶν i.e. *congregationem veſtram, non debetis habere perſonarum reſpectum.* Alias ſynonyma plura, ſed maximam partem metaphorica, v. g. quando *domus Dei* 1. *Petri* 4. 1. *Tim.* 3. *civitas Dei Pſalmo* 87. *Sanctuarium Dei Pſ.* 96. *Populum Dei Malach.* 3. *populus & hæreditas Dei* 1. *Reg.* 8. *Civitas juſtitiæ Dei Eſ.* 1. *Mons Zion Pſ.* 2. *Mons Domini, mons excelſus Pſal.* 15. 24. *grex Dei Ezech.* 34. *ſponſa Chriſti Eſai.* 2. *civitas ſuper montem poſita Matth.* 5. *corpus CHRISTI Coloſſ.* 1. *Sponſa Chriſti* paſſim in Cantico vocatur, & ſi quæ ſunt alia, in ſacris literis occurrunt.

§. 5. Definitur Eccleſia quod ſit cœtus hominum miniſterio verbi & Sacramentorum ad regnum Dei vocatorum, in quo cœtu ſemper ſunt aliqui verè pii perſeverantes in vera fide usque ad finem vitæ, quibus mixti ſunt multi non ſancti, profeſſione tamen doctrinæ conſentientes.

§. 6. Genus in hac definitione cœtus eſt, ſive magnus ſit, ſive parvus. Quantumvis autem Deus omnes homines in

Adamo, & post cataclysmum universalem in Noacho generis humani altero Parente ad regnum suum vocaverat, ipsosque, ut & successores, tanta longævitate donaverat, quo commodius περιηγησιν ad posteros transmittere possent, viventibus tamen & videntibus adhuc Patribus (prout Noachus ætatem Abrahami, Semus Jacobi attigit;) in avia secesserunt, progressuque temporis idololatricis cultibus magis magisque se contaminarunt, unde Majestas divina λαὸν περιούσιον, Abrahæ scil. posteritatem sibi legit, suoque verbo & Sacramentis vocavit, nec non à
500 populis reliquis velut pariete intergerino distinxit. Summis in cœlum laudibus hoc effert Psaltes, *Ps.* 147. *v.* 20. *Non fecit taliter omni nationi &c.* Non tamen propterea gentes reliquæ simpliciter ab Ecclesia fuerunt exclusæ, sed per Prophetas & Psaltem regium ad eandem convocatæ, prout *Esaiæ c.* 45. *v.* 22. jussu Dei clamat: *Convertimini ad me, & salvi eritis omnes fines terræ.* Et *Psaltes Ps.* 100. *v.* 3. *Accedite ad eum, introite per portas ejus in atria ejus cum confessione.* Unde duplicis generis proselyti, justitiæ & portæ, dabantur. Illi circumcidebantur, in populo Dei habitabant, matrimonia cum Judæis contrahebant, legibus ceremonialibus & forensibus utebantur, de quibus bene tractandis divina Majestas certis legibus caverat. Hi verò locorum intervallis remoti verum Deum Israelis colebant, Hierosolymam adoraturi, festis præsertim solennioribus, accedebant & speciali nomine, *Viri devotæ* i. e. *religiosi Act. 2. vers.* 5. dicebantur. Ejusmodi proselytus erat Eunuchus, vel Thesaurarius Reginæ Candaces in Æthiopia, de quo *Act. 8.* versiculis pluribus.

§. 7. Peracto redemtionis negotio, Christus per Apostolos suos omnes gentes Evangelii voce ad regnum suum vocare jussit, *Matth.* 28. *v.* 19. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, Filii & Sp. S. Marci* 16. *v.* 15. *Ite in mundum universum, & prædicate Evangelium omni creaturæ.* Quem etiam in finem Apostolos & eorum in Evangelio συνεργοὺς tot linguarum cognitione instruxerat, ne aliquod obstaculum inter tot gentes toto cœlo distantes, ipsorum conatus remoraretur. Sic in hunc usque diem, qui recidivam ex conversis gentilibus passi fuerant, per verbum & Sacramenta vocantur. Ubi tamen vocationem propriè dictam ab invitatione, quæ non fit per verbum & Sacramenta, sed v. g. per θεογνωσίαν ex lumine naturali, aut bonitatis divinæ ex providentia, vel gubernatione hujus universi, cognitionem, distinguimus. Per prædicationem verbi & Sacramentorum ad fidem vocamur, per θεογνωσίαν naturalem, aut intuitum divinæ providentiæ ad ulteriorem Dei cognitionem, quam in Ecclesia reperire possumus, invitamur.

§. 8. Cum itaque Moses Amyraldus, Theologus Gallus in tractatu brevi de prædestinatione, duplicem vocationem, unam per verbum & Sacramenta, sed alteram per intuitum divinæ bonitatis & misericordiæ in gubernatione hujus universi lucentis facit, altera & quidem posterior non propriè dicta vocatio, sed invitatio potius ad ulteriorem inquisitionem

nem Dei nominanda venit. Cœtus hic ab omni macula non est immunis in hac vita, prout olim Donatistæ, Pattum & nostris
501 temporibus Anabaptistæ voluerunt, sed ex bonis & malis (qui tamen professione consentiunt,) mixtus. Qua de re sonat *articulus Augustana Confessionis octavus: Quanquam Ecclesia propriè sit congregatio sanctorum & verè credentium, tamen cum in hac vita multi hypocrita & mali admixti sint, licet uti Sacramentis, qua per malos administrantur, juxta vocem Christi: Sedent Scribæ & Pharisæi in Cathedra Mosis &c. Et Sacramenta & verbum propter ordinationem & mandatum Christi sunt efficacia, etiamsi per malos exhibeantur.* Hinc etiam in Scripturis cum area, in qua sunt paleæ simul & triticum-*Matth.* 3. *v.*18. cum agro, in quo zizania & triticum, *Matth.*13. *v.*25. cum sagena, in qua sunt pisces boni ac putridi, *cap.*13. *v.*48. cum grege, in quo sunt oves & hirci *c.*25. *v.* 32. cum domo, in qua vasa sunt aurea & argentea, lignea & fictilia, in honorem & ignominiam, 2. *Tim.*2. *v.*20. comparatur. Inter malos illos etiam referendi sunt hæretici, super quibus, an in Ecclesia sint, seculo superioti acriter inter D. Jacobum Andreæ & Apostatam Pistorium, & quidem in colloquio Badensi fuit disputatum. Pro affirmativa militat locus Apostoli, quem habet 1. *Cor.* 11. *v.* 19. *Oportet hæreses esse inter vos, ut probentur, qui sunt recti:* & 2. *Thess.* 2. *v.*4. ubi *Antichristus magnus,* ἄνομος καὶ ἀντικείμενος *in templo Dei sessurus dicitur.* Quantumvis autem impii & hæretici sint in Ecclesia, non tamen sunt de Ecclesia, sed ut feces & σκύβαλα in corpore, sic in Ecclesia tales continentur. Distinctio desumta videtur ex dicto Salvatoris, *Joh.* 17. *v.*11. & 16. collato, quando Salvator de suis Apostolis & electis dicit: *In mundo sunt, & ego ad te venio: de mundo non sunt sicut & ego non sum de mundo.* Sed ex sequentibus definitioni plus lucis accedet.

§. 9. Dividitur Ecclesia primò in militantem in terris, & triumphantem in cœlis. Militans in terris cum variis hostibus, Diabolo, mundo, carne, colluctari necessum habet: triumphans de superatis iis ἐπινίκιον canit ex 1. *Cor.* 15. *v.*34. & *seqq. Absorpta est mors in victoriam. Ubi tuus, mors, est aculeus? ubi tua, inferne, victoria? Aculeus autem mortis peccatum: potentia verò peccati lex. Sed Deo gratia, qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Jesum Christum.* Inter has duas intermedium, quæ constituta sit in purgatorio, cum Pontificiis non agnoscimus. Militans in terris in Ecclesiam visibilem & invisibilem, vel in cœtum vocatorum ex bonis & malis constantem, & cœtum prædestinatorum dividitur. Vocatur hic invisibilis, quia *Deus novit, quinam sint sui* 2. *Tim.* 2. *v.*19. & *sua septem millia, quæ non flexerunt genua coram Baal,* 1. *Reg. c.*19. *v.* 18. Ubi tamen notetur, vocabulum invisibilis vel negative, vel comparativè sumi. Negativè in allata divisione, comparativè pro Ecclesia minus conspicua (quando persecutionibus & hæresibus obtuscatur, & Eclipsin quasi patitur,) in controversia cum Pontificiis accipitur. Visibilis in universalem per orbem terrarum diffusam & certo loco non alligatam; & particularem, quæ certi loci est, (v.g. Saxonicam, Suevicam, Lipsicam, Wittebergicam &c.) divi-
502

ditur. Ubi etiam datur Ecclesia votiva, in qua quis voto est ac desiderio. V. g. Si quis à Turcis, aut Barbaris captivus abductus, nihilominus fidei suæ tenax permanet, & cum Ecclesia visibili, cujus pars fuit, reduniri cupit. Ejusmodi homo, licet non habeat κοινωνίαν externam cum Ecclesia, in qua verbum docetur & Sacramenta dispensantur, interna tamen, quod habeat unum Deum, unum Spiritum, unam fidem &c. ipsi denegari nequit.

§. 9. Notæ, quibus hic cœtus ab aliis discernitur, non debent esse tantum probabiles, signa λύσιμα solutu facilia, sed ἄλυτα nexum necessarium cum signato habentia, cujusmodi speciali nomine τεκμήρια (quod qui tale signum protulisset, τέκμας i. e. finem controversiæ quondam imposuisset,) vocantur, & omni, soli ac semper conveniunt. Ejusmodi notæ sunt pura verbi prædicatio & Sacramentorum secundum institutionem administratio. *Si permanseritis in sermone meo, verè discipuli mei eritis Joh. 8. v. 31. & cap. 10. v. 27. Oves meæ vocem meam audiunt*, Salvator inquit. Sic *Matth. 28. v. 19.* præcipit: *Euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Sp. S.* & Paulus *1. Cor. 11. v. 23. Ego accepi à Domino, quod & tradidi vobis, quod Dominus JESUS in ea nocte, qua traditus est, accepit panem, & postquam gratias egisset fregit ac dedit discipulis &c.* Quod si cœtus aliquis tabulas has matrimoniales, verbum & Sacramenta, sed traditionibus humanis, aut perverso sensu corruptas habet, Ecclesia quidem, sed impurior dici ac vocari potest.

§. 11. Pontificii notas alias, quidam plures, quidam pauciores afferunt, ut sunt v. g. nomen Ecclesiæ Catholicæ, duratio, antiquitas, successio, amplitudo, doctrinæ cum Ecclesia vetustiore consensus, unio membrorum inter se & cum capite, sanctitas doctrinæ, efficacia doctrinæ, gloria miraculorum, felicitas temporalis & si quæ sunt aliæ. Verum hæ notæ vel sunt communes etiam aliis cœtibus, vel temporariæ, vel Ecclesiæ Romanæ prorsus non conveniunt. Nomen Catholici sive sumatur pro universali, sive pro rectius sentiente, non competit Ecclesiæ R. Nec enim est universalis per totum terratum orbem diffusa, cum plures dentur Ecclesiæ, orientales, meridionales, septentrionales primatum Pontificis R. non agnoscentes. Nec orthodoxa (in hac enim significatione quoque particulares Ecclesiæ, tanquam partes totius homogenei, 503. Catholicarum nomine venire possunt,) quia cum sacris literis magnam partem non consentit. Duratio, licet sit aliquot seculorum, non tamen ab Apostolorum temporibus est deducta. Quæ siquidem tum temporis erat pura & illibata virgo, in meretricem magnam tandem degeneravit. Quid? quod etiam cum regnô Mahumetano ultra millenarii spatium extenso commune habeat. De antiquitate quidem Tertullianus dixit: Omne antiquissimum verissimum, adulterinum verò quodcunque posterius: sed hoc ipsum de antiquitate primæva, non à principio aliquo proximiore ducta; de aurea, non plumbea; de cana & sana, non vana & plana, i. e. erronea venit intelligendum. Nobis antiquitas est Christus, quem nolle audire, manifestus est interitus. Imò, si dicendum quod res est, doctrina Ecclesiæ R. ut in concilio Tridentino comprehensæ

henſa repetitur, non antiqua eſt, ſed nova: noſtra verò Chriſti & Apoſtolorum doctrina tantum renovata & ab erroribus Pontificiis repurgata. Succeſſio vel eſt perſonarum in eodem loco, vel doctrinæ. Hæc, non illa impræſentiarum venit attendenda. Lateat, quod filum ſucceſſionis fuerit interruptum, cum ſeculo currente 9. Agnes Moguntina, tot atteſtantibus Scriptoribus Pontificiis, ſedem Apoſtolicam conſcenderit, & hæc ipſa ſedes Avennionem in Galliam, ubi etiam per unius ferè ſeculi ſpatium hæſit, fuerit translata. Nec amplitudo regno Muhammetico & aliis Paganorum, aut barbatorum regnis communis, nota genuina Eccleſiæ eſſe poteſt, cum etiam poſſit eſſe grex puſillus. Quomodo cum doctrina Prophetarum & Apoſtolorum moderna Eccleſiæ Romanæ doctrina conſentiat, ex utriusque collatione pateſcere poteſt. Progreſſu nimirum temporis errorum zizania multa, quæ tamen creviſſe potius, quàm creſcere viſa fuerunt (cum non ſimul & ſemel, ſed ſucceſſivè irrepſerint,) in agro Eccleſiæ ſparſa pullularunt. Unionem membrorum inter ſe & cum capite (Pontifice R.) quod attinet, aliquoties eandem ſciſſam novimus. Annon enim biceps, aut triceps fuit Eccleſia R.? Nonne tres ſimul Antipapæ Johannes 23. Benedictus 13. & Gregorius 12. in concilio Conſtantienſi depoſiti, & alius in horum locum Martinus V. fuit electus? De Schiſmate inter Eugenium, à quo Ferrarienſe & Florentinum, & inter Amadeum Sabaudum, à quo Baſileenſe ſtetit concilium, non injiciam impræſentiarum. Quis Dominicanorum & Franciſcanorum ſuper immaculata conceptione B. Virginis; quis Jeſuitarum & Janſeniſtarum, ut etiam Dominicanorum ſuper auxiliis gratiæ & prædeterminatione; quis Jeſuitarum inter ſe ſuper abſoluta gratia Dei concertationes ignorat? Quæ ſanctitas traditionibus humanis; quænam efficacia doctrinæ ad deſperationem ducentis poteſt ineſſe? Sed traditionibus humanis Eccleſia R. ſuperſtructa eſt: Sed ad dubitationes de gratia Dei, de certitudine juſtificationis, tandemque deſperationem, præſertim propter dogma de purgatorio ab infernalibus pœnis duratione tantum differente, Pontificia doctrina ducit. Multis præterea parasangis θαυμάσια i. e. mirabilia, & θαύματα i. e. vera miracula diſtant. In his cuſtos naturæ intervertitur, illorum nomine præſtigiæ & opera per magiam naturalem præſtita quoque venire poſſunt. Vera miracula ſolus Deus præſtare poteſt, ſecundum iſtud Pſalmographi regii *Pſal. 136. v. 4. Qui facit mirabilia magna ſolus.* Mirabilia verò ab hominibus edi poſſunt, exemplo Simonis Magi, *Act. 8. v. 9.* Quæ patrata fuerunt ab Apoſtolis, Apoſtolicis Viris & eorum diſcipulis in Eccleſia vetuſtiore, iisdem non errores Pontificii, ſed orthodoxa doctrina confirmata fuit. Cum in novellis multoties res ludicræ ponantur, miraculorum tamen in Eccleſia Pontificia editorum nulla fit mentio. Quæ facta dicuntur in novis inſulis, toto cœlo à nobis diſtantibus, ficta potius quàm facta cenſemus. Hic Rhodus, hic ſaltus. Si tamen ita ſe res habet, Deus potius per id, quod ſuum eſt, (barbaris enim Jeſuitæ, quæ ſunt extra controverſiam poſita, v. g. de uno Deo in perſonis trino, de peccato, de judicio extremo, de Chriſto Mediatore dogmata

504

inculcare dicitur,) quam per heterodoxiam Pontificiam miracula ista edidit. De felicitate temporali non habent, cur tantopere glorientur Pontificii, cum etiam ipsorum Ecclesia sortis ἀλλοπροσάλλα vices fuerit experta. Tantum etiam de notis veris & falsis.

§. 12. Autoritatem Ecclesiæ quod attinet, non est illa Scripturarum autoritate superior. Licet enim Paganos & convertendos ad lectionem sacrarum literarum manuducat Ecclesia, tamen testis tantum & tabellionis vice fungitur. Ipsa verò Scriptura, tanquam effectus à sua causa, Deo nimirum autoritatem habet. Hinc per testimonium, non propter testimonium Ecclesiæ credere dicitur verbo divino. Locus Apostolicus, quem ex 1. *Tim.* 3. *v.* 15. pro se citant Pontificii, quod Ecclesia sit στύλος καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας id est, *columna & stabilimentum veritatis*, hanc sententiam nostram potius confirmat. Non enim ad usum architectonicum, qui est sustentare superstructum ædificium, sed politicum, qui est sustinere tabulas publicas, his vocibus habetur respectus. Ubi vocabulum ἑδραίωμα, quod sedile significat, est ἐξηγητικὸν prioris. Custodis insuper officio fungitur Ecclesia, quando veluti scriniaria καλὴν παραθήκην i. e. nobile depositum verbi divini asservat, & ad posteros transmittit. Sic Ecclesiæ Judaicæ oracula divina concredita dicuntur, *Rom.* 3. *v.* 2. Sic nos à Pontificiis verbum & Sacramenta, licet traditionibus humanis (quas Lutherus cum suis parastatis & successoribus absterserit,) colluvnlata fuerint, accepimus.

§. 13. Caput & fundamentum hujus Ecclesiæ non est aliud, quam Christus, cujus corpus mysticum est, & cui velut ædificium aliquod superstruitur. Sic enim Apostolus ad *Eph.* 5. *v.* 23. *Christus est caput Ecclesiæ, & idem est, qui salutem dat corpori.* Et 1. *Cor.* 3. *v.* 11. *Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter hoc, quod positum est, quod est Jesus Christus. Huic enim tanquam vivis lapides sumus superstructi, Matth.* 16. *v.* 18. 1. *Petri* 2. *v.* 4. 5. Aliud est fundamentum doctrinale, scripta sc. Prophetarum & Apostolorum, quibus Theologia nostra, tanquam principiatum aliquod, est superstructum. Utrumque, doctrinale ac reale, complectitur Apostolus, *Eph.* 2. *v.* 20. *Superstructi estis super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, lapide angulari existente Christo Jesu.* Per Synecdochen nimirum partis pro toto lapidem angularem, tanquam partem nobiliorem pro toto fundamento, ponit; vel ad locum *Ps.* 118. *v.* 22. *lapis, quem rejecerunt ædificantes, factus est in caput anguli,* vel ad ædificium spirituale, coagmentationem utriusque parietis ex Judæis & gentilibus constantis, respiciens.

§. 14. Quod autem Pontifex R. se pro capite venditet Ecclesiæ, consistere nullo modo potest, quia sic biceps (imò triceps, quadriceps, quando plures simul fuerunt Antipapæ,) evaderet Ecclesia, & quia vitam spiritualem communicare deberet corpori mystico. Quando verò Episcopus alias Ecclesiæ suæ caput dicitur, inter caput materialiter & formaliter acceptum venit distinguendum. Caput materialiter sumitur pro commembro nobiliore, ut Rector caput Scholæ, Imperator Christianitatis caput dicitur: sed formaliter acceptum, principium vitæ, unde Spiritus in reli-

in reliqua membra dividitur, denotat. *Unum corpus & unus Spiritus Eph. 4. v. 4.* Sed hoc solus est Christus. Videamus autem hic παυηγίαν Pontificiorum, quod seculi superioris anno 64. (cum sententiarum divortiis primum fuerint scissi,) cum Calvinianis in abneganda omnipræsentia Christi secundum carnem amicas manus jungere voluerint, ut vicariatum Pontificis Romani commodius adstruere possent. Nec quicquam huc facit axioma politicum, non omnibus probatum, Monarchiam esse optimam reiminis formam, quia quibusdam populis Aristocraticum, ut
506 etiam Ecclesiæ, magis competit, nisi respectu Christi capitis monarchicum Ecclesiæ regimen appellare velimus. Antichristi potius, τῷ ἀνθρωπείῳ, τῷ ἀνόμῳ sedentis in templo Dei nomine Papa Romanus in Scripturis venit, 2. *Thess. 2. v. 3. 4. & seqq.* Nam sive particulam ἀντὶ pro vice, sive opposito sumas, Pontifex R. est Anti-Christus; pro Christi siquidem vicario se gerens, ut ἀνθρωπείῳ eidem opponitur, quod inprimis ex collatione doctrinæ ipsius cum sacris literis patet. Est ἄνομος, quia vult esse ἀνοπίσθυνος i. e. irregularis, præter, supra & contra jus omne positus, cui nemo dicere debeat, Papa, quid facis? Sedet in templo DEI, phrasi ex V. T. desumta i. e. gubernat in Ecclesia, ut οἰκοδεσπότης, cum potius ὑπηρέτης esse debeat. Extollit se super omne, cui competit σέβασμα i. e. super ipsos summos Monarchas, qui Sebastæ dicuntur, imo non tantum eosdem de solio deturbare, sed & pedibus conculcare fuit ausus. Ostentat semetipsum, tanquam Deum, non ἀυτολεξεὶ dicendo, ego sum Deus, sed ἐντολὰς decreta & traditiones verbo scripto æquiparando. Est Apostata, quia progressu temporis à puriore doctrina defecit. Mysterium iniquitatis egit, quia non simul & semel, sed successivè, lentoque pede βδελύγματα sua, ne techna statim pelluceret, in Ecclesiam introduxit. Prodigiis mendacibus doctrinam suam asseruit & asserit, quia provocat ad miracula, tanquam Ecclesiæ notam, & alios cœtus puriores alto supercilio propter miraculorum defectum contemnit. Revelandus erat suo tempore, quod per Theandrũ Lutherum & fidos ejus Parastatas seculo superiore factum. Cum hoc *capite 2. Epistolæ posterioris ad Thessalonicenses*, tanquam propria sede, conjuginus & *cap. 4. epistolæ prioris ad Timoth. v. 1. 2. 3.* ubi dicitur, quod *posterioribus temporibus quidam à fide sint defecturi, attendentes Spiritibus impostoribus & doctrinis dæmoniorum, in hypocrisi falsiloquorum, conscientiam cauterio notatam habentium, prohibentium contrahere matrimonium, jubentium abstinere à cibis, quos Deus creavit ad sumendum cum gratiarum actione.* Nec non *caput 17. & 18. Apoc.* ubi sedes meretricis magnæ, nimirum urbs magna, septicollis, inter duo maria sita, & persecutio Sanctorum, quod rubeat sanguine innocentum, ostenditur, huc accedere possumus.

APHORISMUS I.

Οὐ Θεὸς ἐστι Πατὴρ, ᾧ μὴ Ἐκκλησία μήτηρ.

Non Deus hinc Pater est, cui non Ecclesia mater.

SCHOLIUM. 507

§. 1.

SEnsus est, non futurum Ecclesiæ in cœlo triumphantis membrum, qui membrum in his terris militantis Ecclesiæ

non

non fuerit. Est enim Ecclesia militans seminarium, unde triumphantis in cœlo membra sunt desumenda. Nec, nisi qui prius pugnat, coronatur. Id quod Paganis extra Ecclesiam non competit. Quãtumvis enim aliquam θεογνωσίαν ex libro naturæ habeant, tam ἔμφυτον ex lege cordibus inscripta, *Rom.* 2. *v.* 15. quam ἐπίκτητον i. e. per discursum acquisitam, ex intuitu creaturarum, præsertim cœli & terræ, ad causam progredientem, *Rom.* 1. *v.* 19. *& seqq.* illa tamen ad salutem non est sufficiens. Quam ob causam Apostolus ad *Eph.* 2. *v.* 12. dicit, quod gentiles ἄθεοι i. e. sine Deo vixerint in mundo. Et hinc etiam ad Ecclesiam invitantur, *Ps.* 100. *v.* 3. *Introite per portas ejus in atria ejus. Esa.* 45. *v.* 22. *Convertimini ad me, & salvi eritis omnes fines terræ.* Nihilominus eos, qui non corpore, sed corde, (v. g. proselytos secundi generis in V. T. qui non habitabant inter Judæos, verum tamen DEUM Israelis colebant, in Novo Test. Nicodemitas, aut pervim ab externa communione civium Ecclesiæ avulsos:) jungunter populo DEI, excipimus.

§. 2. Usus aphorismi hujus in didacticis est, ut de salutis mediis, ad cœlum ascendendi scala, ubi quærenda sit, cogitemus.

§. 3. In Polemicis adversus Puccium, qui quemvis in sua religione salvari posse contendit, honestati si studeat; & omnes eos (ut Erasmum, Cinglium &c.) qui gentilibus etiam virtutum nomine commendatis salutem transcripserunt; hodiè τοῖς ἀλλεπροσάλλοις & Vertumnis istis, quos Prudentes vocant, quod pro re nata congruum & commodum videtur credentibus, & ita nullam & omnem religionem profitentibus, usus aphorismi hujus esse potest.

APHORISMUS II.

Extra Ecclesiam non est salus.

SCHOLIUM.

§. 1.

UT enim, quos universalis diluvii tempore capiebat arca Nohæ, servabantur, extra hoc receptaculum constituti, aquis submergebantur: ita membra Ecclesiæ salvantur, qui verò sunt extra eam, pereunt. Unde versiculo Græco dicitur:

Ζητῶ Νῶε κιβωτὸν, ὅπως μόρον αἶνὸν ἀλύξω. 503

i. e. Quæro Noæ arcam, ut fatum noxium evitem.

Ratio est eadem, quæ fuit in aphorismi præcedentis evolutione tacta, quod in Ecclesia Deus ignem & focum suum habeat, quod ibi salutis media tam acquisitionis, quam applicationis reperiantur, quod in ovile Christi ἀρχιποιμένος i. e. summi Pastoris adducendi sint, ut vocem ipsius audiant, qui sunt extravagantes, *Joh.* 10. *v.* 16. Ubi tamen rursus Ecclesiam votivam, in qua voto & desiderio (v. g. per vim avulsus) quis continetur, excipimus. Talis enim communione Sanctorum, quod habeat unum Dominum, unam fidem, unum baptisma, unum Deum & Patrem, unum Spiritum &c. ut *Eph.* 4. *v.* 4. *& seqq.* κοινωνία sanctorum describitur, gaudet, licet externa κοινωνία cessat. Nec tamen hoc ita venit intelligendum, ac si omnes, qui sunt in Ecclesia professione doctrinæ & sacrorum usu consentientes,

entes,

entes, etiam ſalventur, quia non omnes convivæ nuptiarum ſpiritualium habent veſtem nuptialem, nec intra ſagenam concluſi piſces ſunt boni, ſed quidam tejiculi, nec omnia, quæ continentur in corpore humano, ad ipſius ſubſtantiam pertinent, ſed etiam σκύβαλα, feces & rejectamenta in iſto reperiuntur. Ita etiam Eccleſiæ nomine veram intelligimus, in qua non tantum tabulæ matrimoniales inveniuntur, ſed etiam ſinceræ, minusque corruptæ. Quod ſi ſalutis media, verbum & Sacramenta contaminata ſunt erroribus, tantum abeſt, ut extra talem cœtum non ſit ſalus, ut etiam exire jubeamur, *Apoc. 18. v. 4. Exite Babylone, populi mi, ne participetis de plagis ipſius.*

§. 2. Uſus aphoriſmi hujus in didacticis eſt, ut conſtet, ubi quærenda ſit ſalus.

§. 3. In Polemicis partim adverſus dictos Vertumnos, partim adverſus Pontificios, extra ſuam Synagogam conſtitutis ſalutem denegantes, uſus aphoriſmi hujus eſſe poteſt.

APHORISMUS III.

Cœtus electorum non eſt quærendus extra cœtum vocatorum.

SCHOLIUM.

§. 1.

ECcleſiam in viſibilem & inviſibilem, vocatorum & electorum ſupra diviſimus. Ne verò quis Eccleſias haſce peculiares cœtus conſtituere putet, aphoriſ-
509 mum hunc ſubnectere placuit. Probatur autem ex 8. *ad Rom. capite v. 30. Quos prædeſtinavit, hos etiam vocavit*, per ordinaria ſcilicet ſalutis media, verbum & Sacramenta. Sic Deus in cœtu viſibili vocatorum ſua 7000. ſibi ſervaverat, quæ non flexerant genu coram Baal, licet externum miniſterium tunc eſſet corruptiſſimum, 1. *Reg. c. 19. v. 18.* Sic in medio Papatu, priusquam adhuc Lutherus reformationis opus ſuſciperet, Deus ſuos habuit electos, infantes nimirum baptizatos, qui brevi poſt ſuſceptum hoc regenerationis lavacrum diem ſuum obierunt, cum per Dei gratiam hæc ad Eccleſiam porta ſarta tecta fuerit conſervata, Chriſtianos illos, qui miſſa operum fiducia tantum in Chriſti merito acquieverunt, & conſtantes veritatis confeſſores. Licet enim ſalutis media fermento traditionum humanarum fuerint corrupta, Deus tamen per id, quod ſuum eſt, in cordibus multorum operatus fuit. Evenit inde, ut, quando conciones haberentur, plerique tantum prælectioni textus intereſſent, quæ ſequebantur poſt illa non attenderent, ſed è templis catervatim effunderentur. Experientia ſiquidem erant edocti, non niſi fabulis, legendis & ſomniis humanis ſe ſaginandos eſſe.

§. 2. Uſus aphoriſmi hujus in didacticis eſt, ut, ubi quærenda ſit Eccleſia tam viſibilis, quam inviſibilis, conſtet.

§. 3. In Polemicis adverſus Pontificios qui quærunt, ubi Eccleſia fuerit ante Lutherum, uſus aphoriſmi hujus eſſe poteſt.

APHORISMUS IV.

Ubi tres ſunt, ibi Eccleſia eſt, licet Laici.

SCHOLIUM.

§. 1.

QUod Eccleſia non ſit æſtimanda ex amplitudine, dictis & exemplis Scripturæ probari poteſt. Vocatur enim

porta & via ſtricta, quæ ducit ad vitam: lata verò, quæ ducit ad interitum, Matth. 7. v. 13. & 14. Nec ſemper eſt civitas in monte poſita, ſed interdum fugit in deſertum, *Apoc. 12. v. 14.* Sic circa tempus adventus Meſſiæ vera Eccleſia limitibus anguſtis includebatur, & ex pauculis perſonis Zacharia, Eliſabetha, Joſepho, Maria, Simeone, Hanna & qui redemptionem Iſraelis expectabant, aliis conſtabat. Ternarium numerum quod attinet, præterquam, quod tres faciant Collegium, Salvator ipſe *Matth. 18. v. 20.* inquit: *Ubi duo, vel tres congregati ſunt in nomine meo, ibi ſum in medio eorum.* Quod even- §10
tu complevit, cum die reſurrectionis ſuæ duobus viatoribus Emaunticis medium ſe junxit, & vaticinia Prophetica de Meſſia iisdem expoſuit *Luca 24. verſ. pluribus.* Sic duo navigantes Chriſtiani, quorum unus metu naufragii alterum Sacerdotem creabat, hic verò Sacerdos factus Euchariſtiam alteri porrigebat, Eccleſiolam conſtituebant. Imò Elias 1. *Reg. 19. v. 14.* ſe ſolum Eccleſiam conſtituere putabat. Quod in Eccleſiis κατ' οἶκον, ſive domeſticis *Rom. 16. v. 5.* præprimis conſpicere licet.

§. 2. Uſus aphoriſmi hujus in didacticis eſt, ut ſciamus, Eccleſiam ex amplitudine non eſſe æſtimandam.

§. 3. In polemicis adverſus Pontificios, qui notam Eccleſiæ faciunt amplitudinem illaque nimium quantum ſuperbiunt, (cum tamen plures dentur Eccleſiæ orientales, meridionales, ſeptentrionales per ingentia terrarum latifundia diffuſæ, quæ primatum Pontificis Romani non agnoſcant,) uſus aphoriſmi hujus eſſe poteſt,

APHORISMUS V.

Eccleſia per orbem terrarum eſt ambulatoria.

SCHOLIUM.

§. 1.

UT enim navis (cum qua comparatur Eccleſia,) de loco in locum fertur: ſic Eccleſia neque ad certum populum, nec ad certum locum eſt alligata, ſed hinc inde migrat. Quando enim populus non fert fructus Evangelio dignos, aut aſſertores veritatis ſalvificæ perſequitur, aut ad manna cœleſte nauſeat, Deus propter ingratitudinem iſtam convaſat, & aliorſum ſe confert. Sic Apoſtoli pulverem pedum excutientes à Judæis ad gentiles convertuntur, hisque verbis valedicunt: *Vobis primum oportebat annunciari ſermonem Dei, ſed quoniam repellitis illum, & indignos vos ipſos judicatis vita æterna, ecce convertimur ad gentes. Sic enim nobis præcepit DOMINUS, Act. 13. v. 46. 47. 51.* Sic ex oriente in occidentem; ex occidente in ſeptentrionem Eccleſia migravit. Sic candelabra, de quibus *Apocal. c. 2. 3.* aurea loco ſuo ſecundum comminationem *c. 2. Apoc. v. 5.* factam fuere mota. Ubi enim erant Eccleſiæ florentiſſimæ, jam περιπλοκίαις Muhammeticæ reboant.

§. 2. Uſus aphoriſmi hujus in didacticis eſt, ut teneamus, Eccleſiam ad certum locum & populum non eſſe alligatam, & criſtas propterea ponamus.

§. 3. In polemicis adverſus Judæos ve- §11
teres, qui λαὸν & ναὸν indiviſibili nexu copulatos putabant, & cantilenam iſtam, *Jer. 7. v. 4. templum Domini, templum Domini, templum Domini*, ſemper in-

ore

ore habebant, nec non Pontificios modernos ſucceſſionem localem plenis buccis & buccinis decantantes, ac ſi Spiritui S. præciſæ ſint alæ, uſus aphoriſmi hujus eſſe poteſt.

APHORISMUS VI.

Τὸ ὁμόδοξον ὁμόθρονον, τὸ δὲ ἀνόμοδοξον ἀνόμοθρονον. Non ſanctorum filii ſunt, qui tenent loca ſanctorum, ſed qui exercent opera eorum. It. Non cathedra Sacerdotem, ſed Sacerdos facit cathedram.

SCHOLIUM.

§. 1.

QUomodo Pontificii glorientur de ſucceſſione locali, per tot ſc. ſeculorum intervalla non defuiſſe, qui Romæ ſederint, Epiſcopos, & quomodo ſucceſſionem iſtam notam Eccleſiæ faciant, in ſuperioribus audivimus. Verum enimvetò, præterquam quod ſucceſſionis iſtius filum non ratò fuerit ruptum, non perſonarum in eodem loco, ſed doctrinæ ſucceſſio hic attendenda venit. Epiſcopis Romanis orthodoxis, qui vixerunt in Eccleſia Martyrum, non Pontifices citeriores, Antichriſti facti, ſed puriores Eccleſiæ Doctores, ubicunque tandem locorum vixerint & adhuc vivant, ſucceſſerunt. Sic qui ſedebant in cathedra ſanctorum Eccleſiæ Doctorum, non erant ſancti: jubentur autem audiri, quatenus ſedent in cathedra, non locali, (quia Moſes Jordanem non transgreſſus Hieroſolymam nunquam venit,) ſed vocali, id eſt, quatenus ſonant doctrinam Moſis, fermentum autem eorum vitari, *Matth.* 23. *v.* 3. Sic Pontifex Romanus audiri poteſt, quatenus ſedet in cathedra Petri, non locali, (an enim Petrus unquam Romam venerit, *incertum* eſt,) ſed vocali, i. e. quatenus ſonat doctrinam Petri, ſic tamen ut fermentum ipſius cane pejus & angue vitetur. Cathedram etiam quivis Spermologus conſcendere, deque illa verba facere poteſt, qui tamen propterea non ſtatim eſt Sacerdos: ſed, ubi ubi tandem Sacerdos doceat, ſuam ſecum habet cathedram.

§. 2. Uſus aphoriſmi hujus in didacticis eſt, ut inter ſucceſſionem perſonarum in eodem loco, & inter ſucceſſionem doctrinæ diſtinguamus.

§. 3. In Polemicis adverſus Pontificios de ſucceſſione perſonali & locali tantopere gloriantes, uſus aphoriſmi hujus eſſe poteſt. 512

APHORISMUS VII.

Sæpius puriores ſunt aures audientium, quàm labia docentium.

SCHOLIUM.

§. 1.

INter Eccleſias integras & Dogmatiſtas hic aphoriſmus diſtinguit. Fieri ſiquidem poteſt, ut Dogmatiſtæ quidam ſpargant errores noxios, quorum tamen integræ Eccleſiæ poſtulari nequeant. Sic ipſe Salvator inter heterodoxos & heterodidaſcalos diſcrimen facit, quando *Mat. 5. v.* 19. ait: *Quisquis ſolverit unum ex mandatis hiſce minimis, & docuerit ſic homines, minimus vocabitur in regno cœlorum.* Sic Formula Concordiæ in præfatione generali: *Conſilium & inſtitutum noſtrum nequaquam fuit, eos homines, qui ex quadam animi ſimplicitate errant, nec tamen blaſphemi ſunt in veritatem doctrinæ cœleſtis, multo vero minus totas Eccleſias, quæ vel ſub Romano Imperio nationis*

Germanicæ, vel alibi sunt, damnare. Quin potius mens atq; animus noster fuit, hac ratione fanaticas opiniones & earundem pervicaces Doctores & blasphemos duntaxat (quos in ditionibus, Ecclesiis & Scholis nostris nequaquam tolerandos judicamus,) palam reprehendere & damnare: quod illi errores expresso verbo Dei repugnent, & quidem ita, ut cum eo conciliari nequeant. Post paucula: *Nequaquam dubitamus, multos pios & minimè malos homines in iis etiam Ecclesiis, quæ hactenus non per omnia nobiscum senserunt, reperiri, qui simplicitatem quandam suam sequantur, & negotium quidem ipsum non probè intelligant, sed blasphemias, quæ contra sacram cœnam (quemadmodum ea in Ecclesiis nostris secundum institutionem Christi dispensatur, & juxta verba Testamenti ipsius magna bonorum omnium consensione docetur:) evomuntur, nullo modo probant.* Fieri sc. potest, ut aures audientium ex iis, quæ sibi proponuntur, meliora & veritati magis consona capiant, quam à docentibus intendantur. E. G. Quando in Papatu inter quisquilias traditionum humanarum nihilominus Christus à simplicioribus apprehensus & retentus fuit: à Neophytis ex Papatu egressis profunditates Satanæ non intelligentibus, inter spinosas de absoluto decreto dissertationes, doctrina de justificatione peccatoris per fidem in Christi meritum, penitius animis auditorum infixa fuit. §13. Quam ob causam Christianos eos, qui seculo præcipitante superiore religionis causa jussu Ducis Albani supplicio capitis in Belgio fuere sublati, nullatenus omnes & simpliciter damnamus, cum plerique τὸ βάθη τοῦ Σατανᾶ non intellexerint, sed missa bonorum operum fiducia, sola fide in Christum justificari & salvari voluerint.

§. 2. Usus aphorismi hujus in didacticis est, ut inter Dogmatistas & eorum auditores discernamus, nec errores istorum integris Ecclesiis imputemus.

§. 3. In polemicis adversus Rhadamantos istos, qui calculum damnatorium adversus cœtus integros & sæpius innocentes jaciunt, cum causa religionis persecutio suscipitur, usus aphorismi hujus esse potest.

APHORISMUS VII.

Errat Ecclesia, quæ negat Ecclesiam errare posse.

SCHOLIUM.

§. 1.

QUantum in hoc ipso præsidii colloccent Pontificii, quod Ecclesia non possit errare, analysin fidei ultimam constituentes, Ecclesia dixit, satis probant. Verum si conferimus Ecclesiam, qualis in populo Dei tempore Salvatoris in terris versantis fuit, aut etiam qualis *Esaiæ* Prophetæ temporibus extitit, eandem à pristina multum deflexisse, deprehendimus. Unde miratus Propheta *c.* 1. sui vaticinii *v.* 21. dicit: *Qui factum, quod proba ista civitas evaserit meretrix?* Sic autem propter fornicationem spiritualem, idololatriam & in fœderibus ac alienis auxiliis fiduciam eandem vocat. Quomodo Christus reprehendat sui temporis Ecclesiam propter traditiones (παραδόσεις,) à Patribus acceptas, verbum Dei floccifacientem *Matth.* 15. *v.* 3. & fermentum doctrinæ cœlesti admixtum vitare jubeat, ex *c.* 16. *Matth.* *v.* 6.

v.6. videre licet. Sic Ecclesia Romana multis parasangis ab ea, quæ fuit Apostolorum temporibus, degeneravit, ut παροιδεῖν propemodum liceat:

Nunc est insignis meretrix Ecclesia virgo:

Nunc facta est meretrix, quæ quondam Ecclesia virgo.

Instituatur saltem collatio (quod tantopere formidant,) doctrinæ Pontificiorum modernæ cum sacris literis, & res erit in aprico. Ne dicam, quod ex historia Ecclesiæ, quomodo ex parvis initiis errores in Ecclesia sua ceperint incrementa, vel ad oculum mo strari queat. Et quam præ
514 Judaica, de qua Psaltes inquit *Ps.*147. *v.* 20. *Non fecit taliter omni nationi*, ἐξοχὴν habet hæc Ecclesia particularis Romana? De illa certe Jeremias *c.6. v.*13. sui vaticinii dicit; *A Propheta usq; ad Sacerdotem omnes faciunt mendacium.* Et *c.*2. *Speculatores hujus populi cæci sunt, universi nihil intelligunt: Sacerdotes non dixerunt, ubinam est Jehovah? Legisperiti non noverunt me, Pastores prævaricati sunt in me.* De hujus apostasia passim in Scripturis, ut 2. *Thess.* 2. *v. pluribus.* 1. *Tim.* 4. *v.*1. 2. 3. & persecutione sanctorum in *Apocal.c.*17. *v.*6. prædictum.

§. 2. Usus aphorismi hujus in didacticis est, ut veternus nobis excutiatur, nec in externo duntaxat ministerio, quicquid tandem doceat, ac si erroris expers sit, confidamus.

§. 3. In Polemicis adversus Pontificios, Ecclesiam suam erroris expertem jactitantes, usus aphorismi hujus esse potest.

APHORISMUS IX.

Ecclesia non errat, quatenus sequitur vocem Sponsi sui.

SCHOLIUM.

§. 1.

Sic enim Salvator *Joh.* 8. *v.* 31. *Si permanseritis in sermone meo, verè discipuli mei eritis.* Et *Joh.* 10. *v.*28. *Oves meæ vocem meam audiunt, me norunt, me sequuntur. Matth.*28. *v.*19. & 20. *Euntes discipulos facite omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, Filii & Spiritus S. docentes eos servare omnia, quæ præcepi vobis.* Paulus in epistola *ad Gal.*6. *v.* 16. *Quotquot secundum canonem hunc* (doctrinam διδαχὴν à me traditam,) *incesserint, super eos pax & misericordia Dei.* Quod etiam tanta confidentia pronunciat, ut Angelis de cœlo aliter prædicantibus anathema dicat. *Petrus in 2.c.*1. *v.*19. *Habemus firmiorem sermonem Propheticum, cui dum attenditis, tanquam lucernæ in obscuro loco lucenti, rectè facitis, donec dies illucescat, & Lucifer oriatur in cordibus vestris.* Id quod omnibus temporibus, etiam Veteris Test. ut Ecclesia certa norma duceretur, verbo nimirum Dei, locum habuit. Sic enim *Esaias c.*8. *v.*20. *Ad legem & ad testimonium: quod si non dixerint secundum verbum hoc, non erit eis matutina lux.* Et *Malach. c.*2. *vers.*7. *Labia Sacerdotis custodiant doctrinam, ut lex requiratur ex ore ipsius.* Inde minatur Deus, legem perituram à Sacerdotibus, *Ezech.*7. *v.*26. quando corrumpendum externum Ecclesiæ suæ ministerium prævidit.

§. 2. Usus aphorismi hujus in didacti- 515
cis est, ut sciamus, Ecclesiam non esse

ἀνυπεύθυνον, aut erroris expertem, ſed ſi lapſus, aut aberrationis eſſe velit expers, verbo Dei regendam.

§. 3. In Polemicis etiam adverſus Pontificios, Eccleſiam ſuam, vel traditionum fatuos ignes ſequentem, vel Scripturis ipſis ſat perſpicuis, & ſic Soli lucem inferentem, ab erroribus immunem pronunciantes, uſus aphoriſmi hujus eſſe poteſt.

APHORISMUS X.

Concilia errare poſſunt.

SCHOLIUM.

§. 1.

IN Conciliis, tanquam Eccleſia repræſentativa, controverſiis emergentibus, magnam ſpem piis Doctoribus ſemper fuiſſe poſitam, ex hiſtoria Eccleſiæ ſatis liquet. Imò viam præiverunt Apoſtoli, quando controverſiam de obſervatione legis Moſaicæ, præptimis circumciſionis à converſis ad Chriſtianiſmum ſuſcipiendæ, in Concilio Hieroſolymitano deciderunt, *Act.15.v.* pluribus. Sic controverſia de Chriſti Deitate adverſus Arium in Concilio primo Nicæno, de Spiritus S. Deitate adverſus Macedonium & Πνευμαλομάχους, in Conſtantinopolitano primo fuit deciſa. Epheſinum de unione perſonali duarum naturarum in Chriſto, adverſus Neſtorium ἀφάσιον duntaxat earundem docentem; Chalcedonenſe adverſus Eutychen σύγχυσιν earundem propugnantem, celebratum fuit. Arauſicana, Carthaginenſia, Milevitana, in quibus adverſus Pelagianos decretum fuit, ut & alia ſequentibus temporibus adverſus Origenios, Monotheletas, Idololatras & Iconoclaſtas & ſimilis farinæ vel hæreticos, vel ſchiſmaticos habita, conſultò prætereo.

§. 2. Interim tamen Concilia errare poſſe, tot Antiſynodi Nicænæ oppoſitæ, præprimis Concilium Lateranenſe magnum, in quo transſubſtantiatio & ſpecialis omnium peccatorum auricularis confeſſio; Conſtantienſe, in quo πολυεκλησία; Baſileenſe, in quo conceptio Mariæ immaculata; Florentinum, in quo purgatorium; Tridentinum, in quo confluxus errorum Papalium ſtabilitus fuit, plus ſatis evincunt. De Synedrio ſummorum Pontificum, qui tempore Chriſti verſantis in terris cathedram Moſis tenebant, & de ſucceſſione locali gloriabantur, nihil addam impræſentiarum. Fons autem errorum hic eſt, quod non tam Scripturam, quam traditiones, aut ſui cordis figmenta decidendi normam faciant, prout de concilio Tridentino proverbialis hæc locutio tum temporis circumlata fuit, Spiritum S. mulis Roma Tridentum vehi, cujus ſenſus eſt, Legatos Pontificis inſtructionem ex ſcrinio cordis Papalis per literas Roma Tridentum miſſas expectare. Licet autem Theologis ſuis judicium interlocutorium, non tamen deciſivum, (quod ſolis Prælatis controverſiarum ut plurimum minus intelligentibus reſervatum fuit,) Legati Pontificis in Concilio Tridentino reliquerunt. 516

§. 3. Uſus aphoriſmi hujus in didacticis eſt, ut quid de Conciliis, Tridentino præprimis Lutheranis maximè oppoſito, ſit habendum, ſciamus.

§. 3. In polemicis adverſus Pontificios, Concilia, quæ probat Pontifex, (ut enim analyſin fidei ultimam, Papa dixit, Pontificii moderni faciunt, ſic approbationem Pontificis notam dignoſcendi verum

tum à falso, quando super conciliis, miraculis, reliquiis & similibus controvertitur, statuunt.) irrefragabilia dicentes, usus aphorismi hujus esse potest.

APHORISMUS XI.

Credendum est magis simplici Laico Scripturas proferenti, quam toti Concilio contra Scripturas aliquid asserenti.

SCHOLIUM.

§. 1.

AD exemplum istius, quod habetur in antiphona, credendum est magis soli Mariæ veraci, quam Judæorum turbæ fallaci, aphorismus hic à Theologis fuit extructus. Non enim multitudo errantium parit errori patrocinium. *Ne sequaris multitudinem* (à recto veritatis tramite aberrantem,) *in judicio*, divina Majestas præcepit, *Exod. 23. v. 2.* Nec etiam quilibet lapis albus (in magno dignitatum fastigio constitutus,) est adorandus. Principium, quo quis nititur in propugnanda certa sententia, potius, quàm persona, venit attendenda. Sic *ἰδία ἐπίλυσις* esset, si vel integrum concilium adversus mentem dicentis Scripturas interpretaretur. Vide *c. 1. posterioris Petri v. 20.* Privata, non privati sententia, vel explicatio Scripturarum rejicitur. Sic in Concilio Nicæno unius propemodum, Paphnutii Conjugium Ecclesiæ Ministrorum contra totum concilium propugnantis, sententia obtinuit.

§. 2. Usus aphorismi hujus in didacticis est, ut, suborta controversia (præsertim Theologica,) non quis, sed quid
317 statuat, &, quo principio, vel norma quis dirigatur, attendamus. Observant hoc ipsi Philosophi, qui nolunt intellectum alienæ libidinis fieri mancipium, sed veritatem in decidendis controversiis sequendam. Sic *Aristoteles 1. Ethic. ad Nicom. c. 6.* κυριχῶς inquit: *Ἄμφοιν ὄντοιν φίλοιν, ὅσιον προτιμᾶν τὴν ἀλήθειαν*, i. e. *Amicus Plato, amicus Socrates, sed magis amica veritas.* Quid Christianis faciendum, super fundamentum Apostolorum & Prophetarum superstructis? *Eph. 2. v. 20.*

§. 3. In Polemicis adversus Pontificios, multitudinem (prout etiam ipsius Ecclesiæ notam faciunt amplitudinem,) & autoritatem asserentium spectantes, usus aphorismi hujus esse potest.

APHORISMUS XII.

Ecclesia nova fidei dogmata condere nequit.

SCHOLIUM.

§. 1.

SOlius Dei est, fidei dogmata & cultus præscribere, quibus Ecclesia credere ac regi debet. Imò tantum abest, ut *ἀπόγραφον* sit recipiendum, ut ne quidem *ἄγραφον*, i. e. id quod præter Scripturam in dogmaticis affertur, sit admittendum. *Euntes, discipulos facite omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus S. docentes eos servare omnia, quæ præcepi vobis*, Salvator inquit *Matth. 28. v. 19. & cap. 15. v. 3. Quare vos transgredimini præceptum Dei propter traditionem vestram? vers. 9. Frustra me colunt docentes doctrinas, mandata hominum. vers. 13. Omnis planta, quam non plantavit Pater cœlestis, eradicabitur. Matth. 23. v. 8.* inquit: *Nolite vocari Rabbi: unus enim est Magister vester, nempe Christus: omnes autem vos fratres*

estis. Idem (tanquam Propheta magnus, de quo *Deut.18.*) cœlitus nobis audiendus præcipitur, *Matth.17. v.5. Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacitum est, hunc audite.* In epistola ad *Gal.* 1. *v.* 6.7.8. ἕτερον, ἄλλο, & παρ' ὃ i. e. *praterid, quod afflatu divino prædicatum erat, docere prohibet Apostolus.* Emphatica sunt verba: quæ *versiculo* 8. *&* 9. repetit: *Caterum, etiamsi nos, aut Angelus è cœlo prædicaverit, prater id, quod prædicavimus vobis, anathema sit. Quemadmodum ante diximus, & nunc iterum dico, si quis vobis prædicaverit Evangelium prater id, quod accepistis, ἀνάθεμα sit.* Idem Apostolus *Act.* 26. *v.*22. le οὐδὲν ἐκτὸς τῶν προφητῶν i. e. *nihil extra ea, quæ docuerant Prophetæ, dixisse,* fatetur. In 1. *Cor.* 4. *v.* 6. prohibet φρονεῖν ὑπὲρ ὃ γέγραπται i. e. *sapere super id, quod scriptum est.*

518 Ecclesia normati potius, quam normæ rationem habet, quippe cui certus canon sequendus præscribitur, *Gal.* 6. *vers.* 16. *Quotquot secundum canonem hunc incedunt, pax super eos & misericordia. Si permanseritis in sermone meo, verè discipuli mei eritis, Joh* 8. *v.*31. Salvator inquit. Nec novis fidei dogmatibus opus est, quia μία πίστις, i. e. unica est fides, scilicet objectiva, vel doctrina credenda, ad *Eph.* 4. *v.*4. Et fides semel data est sanctis, in epistola *Judæ v.*3.

§ 2. Usus aphorismi hujus in didacticis est, ut de norma credendi Deumque colendi certi simus.

§.3. In polemicis adversus Pontificios, qui suas traditiones (Pontificum placita, Conciliorum decreta, Patrum dicta, Scholasticorum theoremata, Monachorum somnia,) Scripturis multoties contrarias pro fidei dogmatibus obtrudunt, & Ecclesiam diversis temporibus alia fidei dogmata suscipere statuunt, usus aphorismi hujus esse potest.

APHORISMUS XIII.

Ecclesia non judicis, sed indicis officio fungitur.

SCHOLIUM.

§. 1.

JUdex controversiarum & fidei dogmatum in Ecclesia vel est supremus, vel subordinatus. Supremus ex nostra sententia est Spiritus S. autor scripturarum: subordinatus quilibet Ecclesiæ Minister, vel etiam Christianus, media scripturas interpetrandi legitima sequens, esse potest. Non de subordinato, sed summo, qui Scripturis major, autoritatem iisdem concilier, & in quem analysis fidei ultima terminetur, hic sermo est. Sed ab Ecclesia Scripturas autoritatem accipere, nec non in Ecclesiæ (pro qua plures ex Romano-Catholicis hodiè Papam ipsis etiam conciliis superiorem accipiunt,) decisionem ultimam fidei analysin terminari, Pontificii tradunt. Verum sive de Scripturarum autoritate absolutè, sive relatè πρὸς ἡμᾶς sumta, ut nobis innotescit, quæratur, neutro modo Ecclesia Scripturis auroritatem conciliat. Ut enim quilibet effectus autoritatem suam habet à causa efficiente principali: Sic Scriptura θεόπνευστος à solo Deo, cujus verbum est, autoritatem suam habet. Nec relativè considerata suam autoritatem habet ab Ecclesia, quia non propter, sed per testimonium Ecclesiæ credimus, Scripturas has à Deo esse profectas: indicis, aut testis, non judicis, qui sit ἀνυπεύθυνος, officio fungitur hic Ecclesia. Quemadmodum autem tabellio diplo-

diplomati Principis testimonium perhibens autoritatem ipsi non conciliat : Sic nec Ecclesia, Scripturas sacras à DEO profectas testificans, autoritatem ipsis impertitur.

519 §. 2. Nec testimonium Ecclesiæ solitarium est & primarium, sed ordine duntaxat, primum, quia præter hoc ipsum dantur γνωρίσματα interna & Spiritus Sancti testimonium in cordibus nostris. Imò ex Scripturis cognoscimus Ecclesiam, cœtum nimirum, qui codicem Biblicum legendum obtulit, esse veram Ecclesiam, in qua verbum Dei purè doceatur & Sacramenta secundum institutionem Salvatoris administrentur. Quod si quis ex notis insitis Scripturæ θεοπνευστίαν cognovit, testimonium Ecclesiæ non magnopere curabit, prout cives Samaritani primum fidem habebant mulierculæ, postmodum, cum αὐτόπται καὶ ἀὐήκοοι evasissent, ad illam dicunt *Joh. 4. v. 42. Jam non propter tuam orationem credimus: Ipsi enim audivimus & scimus, quod hic est verè Salvator mundi Christus.* Dictum Augustini quod concernit : Evangelio non crederem, nisi me moveret (quædam exemplaria, moneret, habent,) autoritas Ecclesiæ, induit ille rationem convertendi, (cum Christiano principium hoc esse deberet ἀναπόδεικτον,) aut dubitantis de veritate scripti hujus, qui non secus ac Paganus, aut convertendus esset tractandus. Huic Ecclesiæ testimonium, tanquam argumentum ordine primum, esset objiciendum, & postmodum κριτήρια divinitatis insita monstranda, quibus Spiritus S. testimonium in corde non deerit.

§. 2. Usus aphorismi hujus in didacticis est, ut quanta sit autoritas Ecclesiæ, quanta sacrarum literarum, & quo loco testimonium de divinitate Scripturarum sit habendum, discamus.

§. 3. In Polemicis adversus Pontificios Ecclesiam supra Scripturam, quam vilipendunt & sarcasmis variis proscindunt, extollentes, usus aphorismi hujus esse potest.

APHORISMUS XIV.

Ecclesia coruscat radiis sui Sponsi.

SCHOLIUM.

§. 1.

QUod uxor coruscet radiis mariti, & obfuscetur ejusdem nebulis, ab iis, qui de causis matrimonialibus scripserunt, dicitur. Idem de Ecclesia, quod justitia & sanctitate sui Sponsi fulgeat, non immeritò dici potest. De hoc splendore Apostolus *Eph. 5. v. 25. & seqq.* hæc in verba erumpit : *Christus dilexit Ecclesiam, & semetipsum exposuit pro ea, ut illam sanctificaret mundatam lavacro aquæ per verbum, ut adhiberet eam sibimetipsi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut quicquam ejusmodi, sed ut esset sancta & irreprehensibilis.* 520 Idem ferè in *Cantico Canticorum c. 4. v. 8.* habetur: *Tota pulchra es, amica mea, & macula non est in te.* Verum enimverò non tam propter sanctitatem inhærentem, quæ in hac vita saltem inchoatur, peccato nobis tenaciter usque ad mortem adhærente, sed imputatam, numeris omnibus absolutam, vel justitiam Sponsi agendo & patiendo acquisitam, in quo coram tribunali divino censetur, Ecclesia sine macula & ruga esse dicitur. Unde *c. 6. Cantici dicti v. 9.* cum Luna, quæ lumine ful-

get mutuatitio & precario, à Sole, fonte omnis lucis, accepto, comparatur. Differunt etiam ἄμεμπτος & ἀναμάρτητος. Ἄμεμπτος est irreprehensibilis, vitam coram hominibus inculpatam gerens, licet suis coram Deo nævis non careat: sed ἀναμάρτητος est, qui peccato penitus destituitur. In textu Apostolico Ecclesia non ἀναμάρτητος, sed ἄμεμπτος vocatur. Hæc vox etiam de Zacharia & Elisabetha, quod in omnibus præceptis divinis ambulaverint ἄμεμπτοι *Luc.* 1. *v.* 6. effertur, cum tamen ipse Zacharias incredulitate peccaverit, *v.* 20. & in remissione peccatorum per viscera misericordiæ DEI nostri scientiam salutis collocaverit. *vers.* 77.

§. 2. Usus aphorismi hujus in didacticis est, ut inter sanctitatem imputatam & inhærentem; inter perfectissimam & inchoatam discernamus, & quid de sanctitate Ecclesiæ sit habendum, teneamus.

§. 3. In polemicis adversus Pontificios, de sanctitate ac justitia Ecclesiæ perfecta & inhærente gloriantes, usus aphorismi hujus esse potest.

APHORISMUS XV.

Ecclesia Catholica non deficit. Ecclesiæ particulares non errare duntaxat, sed etiam deficere possunt.

SCHOLIUM.

§. 1.

CAput enim sine corpore monstrum; fundamentum sine superstructis nullum & supervacaneum est. Sed Christus Ecclesiæ caput & fundamentum est. E. Sua non caret corpore, imoque ædificio spirituali. Promittit idem *Matth.* 16. *v.* 18. quod *portæ inferorum* (i. e. consilia, machinationes, fraudes & technæ Satanæ & ipsius squamarum, ut portæ erant Hebræorum Curiæ, in quibus de rebus maximis minimis deliberationes instituebantur,) *prævalere non possint adversus Ecclesiam.* Sic Deus ab orbe condito suam sibi semper ex genere humano collegit Ecclesiam, quantumvis non eodem splendoris gradu semper conspicuam. Ecclesias verò particulares quod attinet, non errare tantum, sed & penitus deficere possunt, ut exemplis Ecclesiarum Asiaticarum florentissimarum, præsertim illarum, in quibus Filius DEI tanquam inter septem candelabra aurea Johanni ambulare visus fuit, constat. Ecclesia Catholica licet & ipsa quadantenus errare possit (stipulares errores committendo,) fundamentum tamen amittere nequit. Hoc enim amisso, Ecclesia non amplius esset Ecclesia. 521

§. 2. Usus aphorismi hujus in didacticis est, ut inter Catholicam & particulares Ecclesias, quando de duratione sermo est, distinguamus, nec candelabrum nostrum ἀκίνητον suo loco fixum esse, falso nobis persuadeamus.

§. 3. In polemicis adversus Pontificios particularem suam Romanam ἀνίκητον & ἀκίνητον jactitantes, usus aphorismi hujus esse potest.

APHORISMUS XVI.

Ecclesia servat politiam: politia servit Ecclesiæ.

SCHOLIUM.

§. 1.

DEUM ex humano genere sibi semper Ecclesiam

Ecclesiam collegisse, in scholio præcedentis aphorismi diximus. Ut igitur Ecclesia, quæ est in politia, suos habeat nidulos, DEUS servat Respublicas, & Imperia, quæ tamen propter peccata sæpius de gente in gentem transfert. Ut enim, dicente alicubi Luthero, in chartulis lusoriis Rex unus evertit alterum, ab alio rursus evertendus: Sic, DEO sceptra transponente, Monarchæ Monarchis cedunt & succedunt. Cum Dei populus à Babyloniis premitur, à Persis, unde populo isti liberatio extitit, opprimuntur. Debent autem Reges terræ servire Christi Regno, debent osculari Filium *Psal.* 2. *v.* 11. 12. debent portas attollere, ut intret Rex gloriæ, *Psal.* 24. *v.* 7. debent servire populo Dei, sub interitus comminatione, *Esa.* 60. *v.* 12. debent ipsi mammas suas lactandas præbere, *v. capitis ejusdem* 16. Hinc Paulus 1. *Tim.* 2. *v.* 1. 2 3. 4. pro Regibus & omnibus in eminentia constitutis deprecationes, obsecrationes, interpellationes, gratiarum actiones fieri jubet, ut placidam ac quietam vitam degamus cum omni pietate ac honestate.

§. 2. Usus aphorismi hujus in didacticis est, ut quid status unus debeat alteri, Ecclesia Rebuspublicis & Imperiis preces pro conservatione, Respublicæ & Imperia mundana servitium Ecclesiæ, & quod Ecclesia, licet prematur, non tamen opprimatur, sciamus.

§22 §. 3. In polemicis adversus Καισαροπαπίαν, das weltliche Pabstthumb / cum status Politicus dominari vult Ecclesiæ, usus aphorismi hujus esse potest.

APHORISMUS XVII.

Solus Christus caput est Ecclesiæ suæ. Item: Fundamentum aliud, præter id, quod positum est, poni nequit.

SCHOLIUM.

§. 1.

VOcem capitis vel materialiter, pro commembro nobiliore, vel formaliter pro vitæ principio sumi, diximus in superioribus. Non de priore significatione, sed posteriore aphorismus loquitur. Tale autem caput non esse, nisi Christum, vel ex eo, quod ipse solus corpus suum mysticum vivificare, i. e. ipsi Spiritum suum communicare, illudque per orbem terrarum dispersum præsens gubernare, possit, in propatulo est. Licet autem in V. T. Filius Dei nondum fuerit incarnatus, fuit tamen ἔγγυος i. e. *sponsor* pro genere humano, & ad opus redemtionis destinatus. Sic etiam Ecclesiæ suæ curam gessit, eandem per desertum ducendo (ut ex Angeli voce, qua Jehova, DEUS altissimus, fuit insignitus, patescit,) & ab omnibus malis liberando. Quid? quod fructus activæ & passivæ obedientiæ Redemtoris hujus, unde vita spiritualis in membra subjecta defluit, antrorsum & retrorsum valuerit. Quomodo Filius Jehovah, verus Deus, apud Patrem pro populo Israelitico refractario intercedat, ex *c.* 3. *v.* 19. *& c.* 4. *v.* 6, 7. *Exodi & Numer.* 14. *v.* 17. 18. collatis invicem videre licet. Caput autem visibile, quod in locum veri capitis Pontificii substituunt, nec corpus mysticum vivificare, nec præsens gubernare potest. Sic etiam fundamentum secundarium primario superstru-

Digitized by Google

ctum, non est propriè dictum fundamentum.

§. 2. Usus aphorismi hujus in didacticis est, ut de vero Ecclesiæ capite & fundamento nobis constet.

§. 3. In polemicis adversus Pontificios, Papam R. Ecclesiæ caput visibile, nec non fundamentum secundarium statuentes, quin & Christi secundum carnem omnipræsentiam, ut commodius Vicariatum Pontificis sui stabilire queant, negantes & impugnantes, usus aphorismi hujus esse potest.

APHORISMUS XVIII.

523 **Regimen Ecclesiæ visibile non Monarchicum est, sed Aristocraticum.**

SCHOLIUM.

§. 1.

RE spectu Christi capitis Ecclesiæ regimen Monarchicum dici posse, non imus inficias, sed de visibili regimine sonat aphorismus. Hoc aristocraticum potius esse, probatur dicto Salvatoris ad discipulos, quando super primatu contendebant invicem, *Luc. 22. vers. 25. 26. Reges gentium dominantur eis, & qui potestatem habent super eas, benefici vocantur. Vos autem non sic: sed qui major est inter vos, fiat minor: & qui Princeps est, sicut qui ministrat.* Eundem in modum *Petrus*, secundum Pontificios primus Episcopus Romanus & Ecclesiæ visibile caput 1. *Epistola c. 5. v. 1. & seqq. Presbyteros, qui sunt inter vos, obsecro, qui sum & ipse Presbyter ac testis afflictionum Christi & consors gloriæ, quæ revelabitur: Pascite, quantum in vobis est, gregem Christi, ἐπισκοποῦντες, superintendentes non coacte, sed volentes: non turpis lucri cupidi, sed animo propenso: non, ceu dominium exercentes adversus Clerum, sed sic, ut sitis exemplaria gregis.* Hic Petrus non tantum dominium in Ecclesia prohibet, sed & ipse (qui propter prætogativas personales inter Apostolos reliquos eminebat & videbatur columna *Gal. 2. v. 9.*) Sympresbyterum se vocans, reliquis Apostolis nullo modo se præfert. Quando verò Pontificii regimen Monarchicum, quod sit optimum, Ecclesiæ accommodandum dicunt, non tantum *μετάβασιν εἰς ἄλλο γένος*, i. e. saltum ex una disciplina in aliam committunt, medio ex disciplina politica desumto conclusionem Theologicam probantes, sed etiam, quod inter ipsos Politicos adhuc controversum est, pro principio assumunt, & sic *κρινόμενον ὡς διδόμενον* obtrudunt. Quibusdam enim populis, libertate præsertim gaudentibus, Aristocratia potius, quam Monarchia convenit.

§. 2. Usus aphorismi hujus in didacticis est, ut de regimine cœtus hujus, per verbum & Sacramenta vocati, certiores facti τὸ φιλοπρωτεύειν cane pejus & angue vitemus.

§. 3. In polemicis adversus Pontificios, pro regimine Monarchico, ut suam Hierarchiam commodius tueri queant, pugnantes, nec Antichristi notas, quod se adversus *πάντα λεγόμενον Θεὸν* sit elaturus, & in templo DEI sedens semetipsum Deum sit ostentaturus, 2. *Thess. 2. vers. 4.* non attendentes, usus aphorismi hujus esse potest.

APHO-

524 APHORISMUS XIX.

In particularibus Ecclesiis datur primatus ordinis, non potestatis.

SCHOLIUM.

§. 1.

UTi πᾶν ἄτακτον ἀναρχον, i. e. quod ordine caret, consistere nequit: Ita non immeritò τάξις aliqua inter Ecclesiæ ministros ratione laborum, donorum, inspectionis datur. Quantumvis autem Episcopi & Presbyteri stylo Biblico permutatim sumantur, in schismatis tamen remedium unus, qui reliquis præsit, fuit electus. Quod stylo Biblico permutentur, & in eo tantum, quod Episcopus sit nomen laboris, Presbyter ætatis nomen sit, differant, apparet ex c. 20. *Act.* v. 17. 28. collatis, ubi de Presbyteris Ephesinis, quos alloquitur Paulus, quod à Spiritu S. constituti sint Episcopi, ad pascendum gregem proprio Dei sanguine acquisitum, dicitur. Gemella passim leguntur, ut in epistola ad *Titum* c. 1. v. 5. & 7. ubi Apostolus hanc rationem reddit, cur Presbyteri debeant esse inculpati, unius uxoris mariti &c. quod Episcopum talem esse oporteat. Sic *Petrus* 1. *epistolæ* c. 5. v. 1. 2. Presbyteros jubet ἐπισκοπεῖν super gregem Dei. Quod autem ordinis ratione, viventibus adhuc quibusdam ex Apostolis, Episcopus fuerit prælatus, *cap.* 1. 2. 3. *Apocal.* ubi de Angelis Ecclesiarum sermo est, fidem facere videtur.

§. 3. Usus aphorismi hujus in didacticis est, ut τάξιν, ipsiusque fundamentum inter Ecclesiæ Ministros cognoscamus.

§. 4. In polemicis adversus Pontificios, non ordinis duntaxat, sed & potestatis discrimen inter Prælatos, (quorum in numero continentur Episcopi, Abbates &c.) & ministros Ecclesiæ reliquos ordinum inferiorum constituentes, usus aphorismi hujus esse potest.

APHORISMUS XX.

Ecclesia non super Petrum, sed super petram est ædificata. It. Petrus non fuit primus Episcopus Romanus.

SCHOLIUM.

§. 1.

QUantopere Pontificii glorientur in loco *Matthæi* c. 16. *vers.* 18. *& seqq. Tues Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & porta inferorum* 525
non prævalebunt adversus eam &c. notius est, quam ut prolixiore filo diducendum sit impræsentiarum. Ecclesiam enim super Episcopum Romanum, cujus antecessor fuerit Petrus Apostolus, superstructam esse, inde colligunt. Verum enimverò differunt πέτρος & πέτρα, tanquam pars & totum. Πέτρος significat parvum lapidem (cujusmodi sunt pugillares, quibus aliquis percuti potest,) petra rupem ingentem, ex qua σίλοι possunt exscindi. Non super Petrum Apostolum, sed super Christum petram, vel confessionem Petri de Christo Ecclesia est extructa. Si super Petrum esset exædificata, tempore abnegationis defecisset. Quinpotius Petrus ipse, tanquam vivus lapis, super Christum petram, ut fundamentum Ecclesiæ, πεπερωμένος, i. e. superextructus fuit. Quantumvis autem in

Syriaca versione unicum vocabulum ܟܹܐܦܵܐ Cipha ponatur, illud ipsum tamen pro diverso genere Grammatico diversas significationes suscipit. Si enim generis est masculini Petrum; si fœminini, petram denotat. Quid? quod versio ista non infallibilis, sed probabilis duntaxat sit.

§. 2. Quod autem Petrus non fuerit Episcopus R. ex variis Scripturæ locis probari potest. In epistola ad *Gal. 2. v. 9.* dicitur, quod Petrus & Paulus ita pepigerint invicem, Petrum inter circumcisos, Paulum inter gentiles Evangelium docere debere. De jure siquidem vi jussus divini (*exite in orbem universum & prædicate Evangelium omni creaturæ, Marci 16. v. 15.*) in toto terrarum orbe, sine restrictione ad certum locum, Evangelium quilibet ipsorum docere potuisset. Præterea, si προξαπόστολον consulimus, Petrum vel in Judæa, vel tamen Syria tantum deprehensum fuisse, legimus. In persecutione prima, quæ Stephanum sustulerat, Petrus & Johannes ad Samaritanos Evangelium amplectentes mittuntur, *Act. 8. v. 14.* Halcyoniis quadantenus restitutis Ecclesias per Judæam, Samariam & Galilæam Petrus visitat, *Act. 9. v. 31. 32.* jussu divino Cornelium Centurionem convertit, *Act. 10. v. pluribus.* Inde revertitur Hierosolymam & rationem facti, cur Viros præputiatos accesserit, exponit, *Act. 11. vers. pluribus*: In festo Paschatos ab Herode capitur, &, ut finitis festis, supplicio extremo afficiatur, in carcerem compingitur, *Act. 12. v. 4.* Post aliquod temporis intervallum in Concilio Hierosolymitano sententiam suam dicit, *Act. 15. vers. 7.* Post habitum hoc concilium Antiochiam descendit, ubi propter scandalum gentilibus ad Christianismum conversis datum à Paulo reprehenditur, *Gal. 2. v. 11.* Lateat, quod Paulus Romam & Româ scribens, ubi 516
prolixum salutandorum & salutantium texit catalogum, nullam Petri mentionem faciat: nusquam etiam, quod Petrum ibidem invenerit, dicat. Quin potius, quod in prima defensione derelictus fuerit ab omnibus, conqueritur, *2. Timoth. c. 4. v. 16.* Si verò Petrus tunc Romæ fuisset Episcopus, non Apostoli, sed Apostatæ partes egisset. Exceptio Bellarmini, Petrum iisse, rediisse, nullius est pili, vel hili. Quantum enim sit iter terra marique peragendum, Hierosolymis Romam instituendum, ipsius descriptio *c. 27. & 28. Act.* docere nos potest. Magis verò consentanea est eorum opinio, qui Petrum in Judæa, vel Syria morte peremtum volunt. Esto tamen fuisse Petrum aliquando Romæ, falsissimum tamen est, quod per annos 25. fuerit ibidem Episcopus.

§. 3. Usus aphorismi hujus in didacticis est, ut de vero Ecclesiæ fundamento simus certi.

§. 4. In polemicis adversus Pontificios, Petrum Ecclesiæ fundamentum, de quo *Matth. 16.* & primum Episcopum R. venditantes, usus aphotismi hujus esse potest.

APHORISMUS XXI.

Ecclesia fuit etiam ante Lutherum.

SCHOLIUM.

§. 1.

AD absurdum Lutheranos redigere conantur Pontificii, quando suam Eccle-

Ecclesiam veram, Pontificiam autem regnum Anti-Christianum vocant, colligentes exinde, quasi non fuerit ante Lutherum Ecclesia. Sed id, quod est in principio, petunt, quando suam Ecclesiam pro Catholica, & universali jactitant. Revera siquidem particularis & imputa fuit Ecclesia, præter quam aliæ plures primatum Pontificis Romani non agnoscentes, utpote Orientales, meridionales, septentrionales (Ruthenicæ,) extitetunt. Quid? quod in ipso Papatu, sicut olim in Ecclesia Israelitica, Deus sua 7000, præsertim infantes baptizatos, qui brevi post lavacrum hoc susceptum expirarunt, pios Confessores, veritatis testes & simplices Christianos, qui Satanæ profunditates non intellexerunt, sed in solo Christi merito fiduciam omnem quæsiverunt, habuerit. Unde libri nostri symbolici discrimen inter Ecclesiam & Curiam Romanam faciunt. Tabulas etiam matrimoniales, verbum & Sacramenta, licet traditionibus humanis corruptas, habuerunt. ubi Spiritus S. per id, quod suum fuit, 527
fidem in cordibus audientium & usurpantium accendere potuit. Ecclesiæ tandem Lutheranæ schisma non fecerunt, sed passæ fuerunt, à Leone X. per bullam cœnæ anno 1520. excommunicatæ.

§. 2. Usus aphorismi hujus in didacticis esse potest, ut de duratione, verisque membris Ecclesiæ certi simus.

§. 3. In polemicis adversus Pontificios à baculo ad angulum colligentes, cum Lutheranis absurdum impingere volunt, ac si doceant, aliquandiu non fuisse Ecclesiam, usus aphorismi hujus esse potest.

Locus XIX.

De

MINISTERIO ECCLESIASTICO.

§. 1.

VOcatio in Ministro convertente est necessaria ob mandatum divinum *Rom X*, 15. *Ebr. V*, 4. notitia tamen illius vocationis non est necessaria Convertendo, juxta praxin tempore Apostolorum, qui non tantum citra, sed & contra legitimæ missionis præsumtionem apud auditores inveniebant fidem, *Act. II*, 13 37. *XVII*. 18. 34. Conversus autem ipsum Ministerium Ecclesiasticum divinitus institutum, & in N. T. primum Apostolis commissum esse, credit (sic edoctus à Spiritu S. in sacris literis,) fide divina; Reliquorum, nec non hodiernorum Ministrorum legitimam vocationem sibi persuadet fide humana, siquidem de ea nullium

Digitized by Google

nullum extat teſtimonium divinum. Vide hæc pluribus deducta apud *B. Hülſem. Breviar. c. 19. th. 1.* Vocatus tamen ipſe, ſi ſub Majori propoſitione de legitima Vocatione in Verbo Dei revelata, ob exquiſitam omnium circumſtantiarum notitiam, de ſe poſſit certò ſublumere, illam fide divina credit. Etſi enim in hac, ſimilibusque argumentationibus Minor certa eſt certitudine humana tantum, Concluſio tamen infertur ſub certitudine divina; nimirum, quia Major propoſitio hoc modo atque gradu eſt certa. Vide *B. Hopfner. diſp. 6. de Juſtificatione.* Ex his conſtat, hunc articulum eſſe creditu neceſſarium non neceſſitate abſoluta, quoniam alias à Convertendo etiam requireretur; ſed hypothetica, ſi quis poſt Con-
528 verſionem ſuperſtes maneat & è ſacris literis de eo, non ad excitandam, ſed corroborandam fidem informetur.

§. 2. Eſt autem vox Miniſterii Biblica, variæ tamen ſignificationis. Vide *Ravanell. part. 2. pag. 248.* H. l. accipitur pro qualitate certæ perſonæ, ſecundum quam miniſtrare poteſt Chriſto & diſpenſare myſteria Dei: *Sic enim nos æſtimet homo, ut Miniſtros Chriſti & diſpenſatores myſteriorum Dei, 1. Cor. IV, 1.* Ad indicandam hanc poteſtatem dicitur, cum addito, Miniſterium *Eccleſiaſticum.* Ad Exercitium hujus qualitatis aut dignitatis pertinet miniſterium Spiritus & Juſtitiæ, (ἡ διακονία τοῦ πνεύματος, καὶ ἡ διακονία τῆς δικαιοσύνης,) uti dicitur adminiſtratio Evangelii 2. *Cor. III, 8. 9.* Miniſterium autem Mortis & Condemnationis (ἡ διακονία τοῦ θανάτου καὶ ἡ διακονία τῆς κατακρίσεως,) appellatur adminiſtratio Legis, *ibid. v. 7. 9.*

§. 3. Eccleſiaſtica hodie ſignificatione ſæpius Miniſterium Eccleſiaſticum idem eſt ac πρεσβυτέριον ſtylo Biblico, ſive Collegium Miniſtrorum Eccleſiæ, quale manus impoſuit Timotheo, 1. *Tim. IV, 14.* Aliud ab hoc eſt πρεσβυτερεῖον, Locus ubi πρεσβυτέριον convenit; quod adverſus *Biſſonum* oſtendit *B. Hülſem. in Apologia Miniſterii Evangel. §. 25.*

§. 4. In Biblica acceptione pro qualitate perſonæ Eccleſiaſticæ, dicitur *legatio pro Chriſto 2. Cor. V, 20.* Erad hoc Miniſterium reſpicientes Apoſtoli Servos ſe aut Miniſtros Chriſti aut Dei dixerunt, *Paulus ad Rom. ad Philipp. & Tit. cap. 1, 1. Jacobus 1, 1. Petrus 2. Ep. 1, 1. Judas 1.* Chriſtus alias *Apoſtolorum* nomen, ad deſignandam eximiam Miniſterii ſpeciem, iis impoſuit, *Luc. VI, 13.* quæ appellatio etiam inter Judæos uſitata & nota de certo genere Miniſtrorum Synagogæ, qui mittebantur à Patriarcha ad exigendum aurum atque argentum, ut exactam à ſingulis Synagogis ſummam ad eundem teportarent. שלוחים Hebræi vocant. Tale munus obiiſſe iſtos Apoſtolos Synagogarum ſub Patriarchis, indicat etiam *Epiphanius in hæreſi Ebionæorum*, qui ejusmodi quendam Apoſtolum nomine Joſephum miſſum memorat in Ciliciam à Patriarcha ad exigendas decimas & primitias. Nomine hoc generali, ſed uſitato in Judæa ad ſimilium Mittendariorum, ut infima Latinitas dixit, exemplum, Chriſtus diſcipulos, quos in omnes orbis plagas ad prædicandum verbum ſuum miſit, שלוחים appellavit, modeſta & humilitatem ſpirante appellatione; uti obſervat *Walo Meſſalinus*, h. e. *Claudius Salmaſius diſſert. de Epiſcopis & Presbyteris, contra Petavium Jeſuitam*

Jesuitam p. 381. Plura tam impropria, quam propria nomina Ministrorum Biblica vide ap. *B. Boisaccum, Moralium Gedanensium p.* 621.

529 §. 5. Apud Pontificios Ministerium communiter appellatur Ordo; quem etiam terminum retinet *Aug. Conf. artic.* 14. In hac significatione fingitur ab iis Sacramentum ordinis. Etsi alias apud eosdem totum etiam Clerum notat, sicuti apud Romanos ordo Publicanorum, Equitum, Patritiorum, Senatorum, integrum designabat cœtum. Atque hic significatus est genuinus & antiquitati notissimus, simul etiam communissimus. Nullum enim est Corpus vel Collegium, quin hac notione ordo dici queat, aut dictum fuerit. Sed interdum καθ' ἐξοχὴν, honestius Civitatis Collegium quod erat, Senatorum dicebatur ordo, & distinguebatur à cætera plebe. Sic in Ecclesia, Presbyterorum Senatus, sive Collegium, cui præsidebat Episcopus, Ordinis appellatione censebatur, ut apud *Tertullianum in libro de Exhortatione castitatis*, distinguitur inter Ordinem & Plebem. Alioquin omnes Episcopi unum ac suum Ordinem constituebant, postquam à Presbyteris sejuncti ac separati sunt, iisque prælati. Presbyteri quoque suum ac secundum. Diaconi pariter Ordinis sui erant: & sic omnes, usque ad Ostiarios. Plebs diversum ab his omnibus Ordinibus Ecclesiasticis ac distinctum quoque habet ordinem, i. e. τάγμα vel τάξιν, & ipsa est corpus unum. Unde in Conciliis Græcis sæpè mentio occurrit τῦ λαϊκῦ τάγματος. Prophetæ dum in Ecclesia primitiva fuerunt, Prophetarum Ordinem constituerunt, est hujus mentio apud Rufinum. Ex his omnibus cuivis manifestum est, quantum ratio fugerit eos, qui ex Ordinatione fecerunt Ordinum vel Ordinis Sacramentum. Inde illæ natæ stultæ & ineptæ locutiones, *Ordines accipere, suscipere*, quæ optimis Ecclesiæ seculis prorsus inauditæ; cum dicebatur, *in Ordinem adlegi, eligi, cooptari*, & similia, de his qui ordinabantur, i. e. qui in aliquo ordine locum accipiebant. Sic *Salmasius* iterum *d. l. p.* 391 *seq.* Unde constat non tantum de genuina ordinis acceptione pro cœtu integro, adversus alteram apud Pontificios significationem; sed & de hujus significatus amplitudine, qua ipsam Plebem nonnunquam complexus est; quod notari potest adversus *Chamierum corporis Theologici S. Locorum Commun. Theolog. L. 7. c. 9. p.* 395. ubi se nunquam Nomen Ordinis Plebi comtnunicatum observasse dicit.

§. 6. Nobis Ministerium est munus divinitus in salutem & ædificationem Ecclesiæ institutum, & ab ea legitima Vocatione viris idoneis collatum, ut doceant publicè Verbum, & administrent Sacramenta, suosque cœtus Ecclesiasticæ disciplinæ conforment.

§. 7. Per Munus intelligitur jus ac debitum sic agendi: vulgo: Functio; Græcè 530
ἐπιμέλεια, Curatio, quæ vox in Politica Aristotelica non ignota est, ubi Imperio contradistingui solet, *Politic. IV*, 15. apto ad rem præsentem sensu. Sicut enim in Republ. Legati &c. curationem habent absque Imperio, quod penes Magistratum est: Sic Legatis DEI hæc Functio competit, Imperio soli capiti, Jesu Christo, relicto.

§. 8. Munus hoc non quidem confertur cum impressione indelebilis characteris, ceu Pontificii volunt; Ordinariè

tamen perpetuum est, quia liberè ac licitè, extra casum necessitatis, nec à Vocato deponi, nec à Vocante per modum Contractus ad certos annos, aut cum reservatione facultatis dimittendi libere Vocatum, conferri potest. *Non prius*, (1.) propter genetalia de perseverando monita. Nam *unusquisq; in ea Vocatione, in qua vocatus fuit, maneat*, 1. *Corinth. VII.* 20. conf. *Luc. IX.* 62. (2.) ob specialia præcepta 1. *Tim. IV.* 15. *hæc exerce, in his esto.* conf. 2. *Tim. IV.* 5. (3.) ex ratione: quia ob inferius Bonum non est negligendum superius semel electum; quale in respectu ad bona hujus seculi est ministerium Ecclesiasticum. *Non posterius*; quia Vocanti facultas sic contrahendi nullibi commissa aut permissa est à Deo. Unde nec Vocans nec vocandus hujusmodi Vocationem ac Dimissionem pro divina habere potest.

§. 9. Divina verò semper esse debet; quoniam hoc Munus DEUM semper agnoscit Auctorem, in mediata etiam Vocatione, *Matth. IX.* 38. ad *Eph. c. IV.* 11. 1. *Corinth. XII.* 29. Etsi verò, tanquam opus ad extra, ad totam SS. Trinitatem referendum est, ordo tamen inter Personas, ceu in reliquis hujusmodi operibus fit, hic quoque est conspicuus. Sic Pater dicitur *Dominus vineæ, Dominus Messis, Paterfamilias &c.* Filius ipse *fuit missus*, ejusque in officio Prophetico Vicarii hodie sunt Ministri. Spiritus S. mittitur Ministris, *Magister omnis veritatis*, *Johan. XVI.* 13.

§. 10. Mali tamen Ministri à Deo non sunt ratione malitiæ autoritativè, sed tantum permissivè & directivè ad pœnam. Patet id generaliter ex *Esaiæ c. XLV.* 7. *Thren. c. III.* 37. 38. & specialiter ex 1. *Reg. XXII.* 19. 22. 2. *Thes. II.* 9. & 10.

§. 11. Etsi verò Ministri Boni hodiè Christi in Ecclesia militante sunt vicarii; Constitutio tamen eorundem pertinet ad officium ejus regium, ad *Ephes. c. IV.* ubi *datio Pastorum ac Doctorum v.* 11. subjicitur proximè, regali ejus Adscensui supra omnes cœlos *v.* 10. & *Matth. XXIIX.* ubi *missio ad docendum & baptizandum v.* 19. 20. connectitur cum *potestate omni, qua data ipsi est in cœlo & in terra v.* 18. Ut frustra quæstio magna contentione agitata sit in Anglia inter Hierarchicos & Puritanos, an ad Sacerdotale, Regium aut Propheticum officium pertineat?

§. 12. Post Deum pendet Ministerium 551
à tota Ecclesia, sic, ut eligendo Pastorem, non transferat potestatem hanc ex se in ipsum, quoniam eam nunquam habuit; sed personam electam potestati à Deo immediatè proficiscenti applicet. Vide *infra Aphorism. 2.*

§. 13. Per Ecclesiam autem intelliguntur Clerus & Laici conjunctim. De Clero consentiunt nobiscum Pontificii & Hierarchici Anglicani, etsi *illi* ex Papa, *hi* ex solis Episcopis potestatem Ecclesiasticam in reliqua Ecclesiæ membra derivent. Pro Laicis sic argumentamur: Quorum sententia requiritur ad constituendum Diaconum (qui primitivæ Ecclesiæ stylo contradistinguitur Pastori-Anumatum,) eorum sententia multò magis requiritur ad vocandum Pastorem. Atqui Laicorum sententia &c. 1. *Corinth. XVI.* 2. E. Vide *B. Hulsem. Brev. c.* 19. *th.* 5.

§. 14. Nullus etiam ex his statibus huic juri renunciare potest. Quicunque

enim non poſſunt in Paſtorem aut Prætorem reſignare diſcretionem doctrinæ in univerſum, illi multò minus in illos reſignare poſſunt judicium diſcretivum de futuro paſtore ſuo. Atqui Laici &c. *Matth. VII.* 15. 1. *Joh. IV.* 1. E.

§. 15. Hinc graviter Magnus *Chemnitius in Loco de Eccleſia c. 4. pag.* 134, Sicut Pontifex Romanus cum ſuis commiſit ſacrilegium in eo, quod Electionem & Vocationem Miniſtrorum eripuit Eccleſiæ, & ad ſe ſolum ſuosque transtulit: ita ejusdem criminis reus etiam eſt Magiſtratus, quando excluſis Miniſterio & reliqua Eccleſia ſibi ſoli poteſtatem conſtituendi miniſteria in Eccleſia vendicat. Pius enim Magiſtratus non eſt tota Eccleſia, ſed tantum membrum ejus, *Pſal. XLIX.* 10. *Pſal. CII.* 13. nec eſt Dominus Eccleſiæ, ſed Nutricius, *Eſai. XLIX.* 23. imò Miniſter, *Eſa. LX.* 10.

§. 16. Diſtinguendum tamen eſt inter Ceſſionem Juris & ſolius Exercitii. *Illa* negatur, *hæc* toleratur, ſi fiat prudenter. Ubi igitur talis ceſſio alicui ſtatui, ceu apud nos communiter Politico, fit, reſervanda eſt toti corpori Eccleſiaſtico analyſis hujus negotii ultima, ita, ut Status Politicus, ſi illi ceſſio facta ſit, teneatur reddere toti Eccleſiæ rationes, earumque examen ſuſtinere, ſi unus ex reliquis Statibus apertè diſſenſum ſuum teſtetur. Absque hoc ſufficit tacitus & interpretativus conſenſus, ſi nullus Status contradicat; ſicut in non-diſſimilibus actibus generatim tantum requiritur τὸ σύμφωνον 1. *Cor. VII.* 5.

§. 17. Tanta verò inter Eccleſiam & Miniſterium eſt Connexio, ut quemadmodum hoc, mediata vocatione, hodiè per interventum Eccleſiæ confertur: ita olim Apoſtolis immediata vocatione à Chriſto per intuitum Eccleſiæ, aut per reſpectum ad eam fuerit commiſſum. Sic enim contulit id ipſis, ut ab Apoſtolis ædificaretur Eccleſia adeoque eſſet ſcopus Apoſtolici miniſterii, ut ædificata haberet jus vocandi Miniſtros, ſicque deſtinaretur ejus cauſſa Efficiens Mediata. Hinc Apoſtoli, Prophetæ & Evangeliſtæ dicuntur *Eccleſiæ dati Eph. IV.* 11. adeò ut Paulus, Apollos, Cephas, *ſint Eccleſiæ, nec aliquis* (contra Eccleſiam,) *gloriari poſſit*, 1. *Cor. III.* 21. 22. 532

§. 18. Reſtricta tamen eſt hæc poteſtas Eccleſiæ quoad objectum perſonale, quod ordinariè non ſunt fœminæ, ſed Viri, 1. *Cor. XIV.* 34. 1. *Tim. II.* 12. Exempla in contrarium tum gentilium, tum hæreticorum vide apud *B. Balduin. Caſ. conſc. l. 4. c. 5. Caſu XI. p.* 1027. *ſeqq.* quibus Neo-Anabaptiſtæ & Quackeri hodie annumerandi ſunt.

§. 19. In *Viris* autem requiritur ἱκανότης, diſcendo debitè acquiſita. Talis jam Apollos in primitiva Eccleſia, qui per ordinariam Inſtitutionem & Meditationem ad ſuam ἱκανότητα pervenerat, *Actor. XIIX.* 25. Dignus & indignus hic perinde non habendi aut admittendi; ſicuti talem licentiam tanquam licitam imò & εὐπρεπῆ ac neceſſariam hodiè propugnant Neo-Anabaptiſtæ in Anglia, quorum Confeſſionem Anno 1644. iſtic editam Art. 4. 41. 45. examinat Anglus *Dan. Featly lib.* καταβαπτιστὴς καταπυγων. Confer *Spanhemium fil. libro* 1. *Vindiciarum Biblic. pag.* 383. *ſeqq.* Calviniani in *ſtatutis Synodi Dordracenæ Articul.* 8. Mechanicos aliosque, qui non ſtuduerunt, ad Miniſterium non admittunt, niſi certò conſtet de eorum ſingularibus Dons

Pietatis, Humilitatis, Modeſtiæ, boni Ingenii, Eloquentiæ. Rectius his limitationibus adjicitur caſus Neceſſitatis eo tempore, quo inſtructi aptitudine ordinaria vix habentur.

§. 20. Talis ἱκανότης tam in Vocatis debet ad hunc ſcopum ordinatè dirigi, quam in Ordinantibus accuratè attendi. *Illud:* quia ſic naſcitur Concurſus Divini gratioſi certitudo: 2. *ad Tim. II, 2. quæ audiſti à me per multos teſtes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui erunt idonei, ut alios quoq; doceant. Hoc:* quia feſtinata manuum impoſitio prohibetur, 1. *Tim. V*, 22. Hinc is, qui in examine malè ſteterit, ex judicio graviſſimorum Theologorum non admittendus eſt, etiamſi diligentiam majorem in iterato examine approbare promittat, niſi alia ſubſit cauſa graviſſima, quæ coram tribunali Dei ſtare poſſit, vigore requiſitorum in Vocandis & Ordinandis 1. *Tim. III*, 2. *ad Tit. I*, 9. *B. Tarnov. de SS. Miniſter. L. 1. p. 376.*

§. 21. Præparato ſic, ad Intra, Vocando, accedit ab Extra legitima Vocatio, à 333
qua eſt jus, (ἐξουσία, poteſtas,) ſicut ἱκανότης ipſa eſt vis (δύναμις, Potentia,) docendi. Hinc illa abſolute eſt neceſſaria, æquè ac ad Legatum in Republ. conſtituendum. Miniſtri enim omnes nomine Chriſti Legatione funguntur, tanquam Deo nos obſecrante per illos; rogant pro Chriſto, 2. *Cor. V*, 20. conf. *v.* 18, 19. Ergò vel Immediatè vel Mediatè à Deo ſunt conſtituendi.

§. 22. Probatur hoc *abſolutè*, ex *Jer. XXIII*, 21. & 31. 32. ubi defectus Vocationis ab ipſo Deo Pſeudo-Prophetis objicitur; & *comparativè* tum ad *Rom. X*, 14. 15. Quomodo ſe habet Auditus ad Fidem, & prædicatio Verbi ad Auditum, ita ſe habet Miſſio ad Prædicationem. Atqui Auditus ad Fidem & Prædicatio verbi ad Auditum ſe habet per modum præſuppoſiti neceſſarii. E. Tum ad *Hebr. V*, 4. Si neceſſaria eſt Vocatio ad ea, quæ vice hominum apud Deum agenda ſunt, (v. 1.) multò magis illa erit neceſſaria ad honorem vice Dei agendi apud homines.

§. 23. Prophetas olim in V. T. & Evangeliſtas ac Apoſtolos ad conſtituendam N. T. Eccleſiam ſolus in ſuggeſtu ſtitit Deus: Conſtituta illa, Paſtores & Doctores, certis perſonis mediantibus, vocavit & adhuc vocat. Hinc diviſio Vocationis in Immediatam & Mediatam, ad *Gal. I*, 12. ad *Hebr. V*, 4.

§. 24. Diviſio hæc eſt adæquata, ſive ad diſtincta tempora, ſive ad diverſos Vocandi modos reſpicias. *Prius* oſtendit §. antecedens. *Poſterius* è contradictoria membrorum dividentium oppoſitione, quæ nihil intermedium admittit, apertè conſtat. Nimirum, in genere, omnis legitima Vocatio eſt divina. Hæc aut à ſolo aut non à ſolo Deo fit. *Si à ſolo*; eſt Immediata: *ſi à non ſolo*; eſt Mediata: Variatio verò modi in utraque, non variat ſpeciem. Sic manet Mediata, ſi Deus vocatum ab Eccleſia Miniſtrum ſingularibus chariſmatibus donisque heroicis exornet; ſicut viciſſim Immediata eſt, ſi deſignata per expreſſam revelationem perſona ab hominibus ad exercitium officii introducatur. Nihil etiam mediatæ vocationi decedit, ſi uno ſtatu, e. g. Eccleſiaſtico corrupto, Eccleſia jure ſuo utatur, & Miniſterium reſtaurer. Per reliquos enim ſtatus, qui juxta Præſcriptum divinum in Vocando ſe gerunt, mediatè vocat Deus.

§. 25. Hodie verò, ſola obtinet Mediata

diata Vocatio. Ex hac causſa Apoſtoli rum ipſi conſtituerunt Miniſtros Eccleſiæ, *Actor. c. XIV*, 23. 1. *Tim. IV*, 14. 2. *Tim. II.* 2. *Tim. I*, 5. tum certam formam ſimilis conſtitutionis Eccleſiæ præſcripſerunt, 1. *Timoth. III.* 2. *ſeqq.* & ad *Tit. I.* 5. *ſeqq.*

534 Si Immediatam Vocationem aliquando inſtare noviſſent, de hac voluntate DEI, ſcitu neceſſaria, Eccleſiam feciſſent certiorem, prout illam ex toto (πᾶσαν τὴν βυλὴν,) annunciavit *Paulus*, *Actor. XX.* 27.

§. 26. Si Status Vocantes aut Miniſter Vocandus minus rectè in omnibus ſe gerant, caſusque obliquos adhibeant, aut Vocans non ſit generis Omnis, i. e. ad Vocandum non omnis admittatur Status, Vocatio fit illegitima, non autem ineffi-cax. Cujus olim exempla erant Scribæ & Phariſæi in cathedra Moſis, *Math. XXIII.* 2. hodiè ſunt Clerici Pontificii, à ſolo Cleto conſtituti.

§. 27. De invito ad Miniſterium vocando notandæ ſunt diſtinctiones, (1.) ratione ipſius, inter perſonam liberam & obligatam; (2.) ratione excuſationis, inter impedimenta Subſtantialia & Accidentalia; & (3.) ratione Eccleſiæ Vocantis, inter caſum neceſſitatis & ſtatum liberum. Si Perſona ſtipendio ſit obligata, nullo caſu alia, præter Subſtantialia, impedimenta validè opponuntur. Illa vetò ſi ſit Libera, extra caſum neceſſitatis, Accidentalia quoque prudenter ac modeſtè urgeri poſſunt. Dico, (1.) prudenter: ut innuam, tunc Vocandum probè conſcientiam propriam excutere, neque inter impedimenta bonum aut malum apparens pro vero arripere debere. Dico (2.) modeſtè: ut ſignificem, judicium privatum Vocati ſubmittendum eſſe judicio publico Vocantis Eccleſiæ, ſi ille ab hac meliora edoceatur. Sic defectus internæ Vocationis, commune alias hujusmodi fugitivorum aſylum, ſæpè deprehenditur, poſitivè, eſſe ab amore mundi, non privativè, à Deo.

§. 28. In Vocantibus aliud eſt jus Vocandi, de quo hactenus; aliud in Presbyterio jus Ordinandi, & in Collatoribus jus Patronatus.

§. 29. Ordinatio non eſt abſolutè neceſſaria; ad naturam tamen rerum neceſſariarum proximè accedit. Exempla enim, etſi non expreſſum præceptum, in ſacris habet, quæ à nobis imitanda ſunt, *Act. VI.* 6.

§. 30. In Eccleſiis noſtris ritu Apoſtolico fit per preces & χειροθεσίαν ſive manuum impoſitionem; à quâ, ſtylo biblico, differt χειροτονία Collatio ſuffragiorum, quæ fiebat olim elevata manu vel digito; Unde illi hoc nomen.

§. 31. Dico: ſtylo biblico, quo Eccleſiis expreſſe χειροτονία tribuitur 2. *Corinth. VIII.* 18. adeo, ut quando Paulus & Barnabas dicuntur χειροτονήσαντες πρεσβυτέρους κατ' ἐκκλησίαν, *Actor. XIV.* 23. intelligendi ſint id feciſſe ſuffragiis Eccleſiarum collectis; quod fatetur *Salmeron in c.* 14. *Actor. p.* 270.

§ 32. Stylo vetò Eccleſiaſtico χειροτονία ſæpius de Ordinatione accipitur. 535
Imò illam huic *Salmaſius d. l.* fermè æquipollentem facit. Ordinatio quidem, *inquit pag.* 298. etiam fit per χειροθεσίαν, ſed χειροθεσία, quæ manuum eſt impoſitio, non in ſola ordinatione locum habuit, utpote quæ in benedictione omni etiam uſurpatur, quæ εὐλογία dicitur. Sic ergò differt χειροτονία & χειροθεσία ut ſpecies & genus.

§. 33. Ritus hic Specialis ortum traxit ex generali, & à Judæis migravit ad Christianos. Omnes enim ordinationes, Civiles & Ecclesiasticæ, item Judæorum & Gentilium, certo ritu & ceremonia peragi solebant. Ecclesiastica & Christiana in Presbyteris sive Episcopis ordinandis derivata est à Judæis. Nam illi Presbyteros Synagogæ & Magistros sive Doctores Legis per manuum impositionem creabant, quæ סמיכה i. e. χειροθεσία. Hæc in V. T. ut & in Novo, tiebat ad Spiritum S. dandum. Et alia etiam erat, qua provehebantur Doctores ad dignitatem Rabbinatus. Item ad conferendam potestatem judicandi de Causis Multatitiis. Inde à veteri Hebræorum jure ac more deductum est, ut, qui designabantur ad aliquod publicum ministerium agendum in Ecclesia, aut Magisterium obeundum, per hanc Semicham sive χειροθεσίαν designarentur. A tribus peragebatur in Judæa. Inde & in Ecclesia Christiana Episcopum à tribus ordinandum esse, scita canonum Apostolorum decernunt, & Clementis constitutiones. Sed & Canon IV. primæ Synodi á tribus saltem debere ordinari sciscit, si omnes provinciæ Episcopi adesse non queant. Manuum impositio Presbyterorum appellatur in Codice Sanedrin: Apud Paulum ἐπίθεσις τῶν χειρῶν τῦ πρεσβυτερίυ cap. 4. 1. ad Tim. quod idem est. Adeò ut olim hic ritus apud Judæos & Christianos Forma, Numero Constituentium, ipsoque Nomine convenerit; sicut hæc diligenter notavit *Salmasius l. cit. pag.* 393.

§. 34. Effectus Ordinationis est duplex; vel Ordinatus vel Absolutus. *Ordinatus* est idoneitas intrinseca ad docendum. Dicitur *Ordinatus*; quia non absolutè ac necessario sequitur Ordinationem, sed ex hypothesi, si omnia debito ordine peragantur, & in vocando requisitæ sint conditiones. *Hulsemannus* Noster *Breviar. c.* 19. *Supplementi th.* 6. vocat Gratiam gratis datam, termino Pontificiis (alibi,) recepto, qui distinguunt inter dona gratum facientia, qualia esse dicunt charitatem &c. & gratis data, qualis est prophetia &c. *Illa* juxta ipsos, ipsi homini, cui dantur, conducunt ad beatitudinem consequendam; *Hæc*, non ipsi, cui dantur, prosunt ad hunc finem, sed valent, ut is cooperetur aliis, & eos adjuvet, ut Deo 536
se conjungant & beatitudinem consequantur; sicuti definiuntur à *Baldvino Junio Manual. Theolog. lib. 2. c. 3. p. 443.* Horum verò terminorum, etsi non rei ipsius aut doctrinæ novitas nonnullis ex ipsis Pontificiis hodie displicet; quemadmodum *Concilii Tridentini Patres Sess. 6.* de Justificatione à termino gratiæ gratum facientis, quæ in hoc argumento alias apud Scholasticos utramque paginam facit, callide propter moderata ingenia, quibus scilicet talia non probantur, abstinuisse, prudenter observat oculatissimus *Censor B. Chemnitius Examinis part. 1. p. 299. 369.* Voluit tamen *Hulsemannus* hoc termino uti ad contradicendum eò clarius Pontificiis. Alias Stylo orthodoxorum referretur hic Effectus ad dona ministrantia (quæ sanctificantibus contradistinguuntur,) eaque communia (quæ hodiè supersunt, & iis, quæ Apostolis propria fuere, uti donum miraculorum &c. opponuntur.) Effectus *Absolutus* est Potestas (ἐξουσία, quæ in Moralibus δύναμιν aut potentiam habet oppositam, solumque Jus, non æquè Vires ad aliquid faciendum notat,)

docendi

docendi Verbum & administrandi Sacramenta. Dicitur *Absolutus*, quia absolutè aut simpliciter sequitur, estque mere moralis, partim privativus, quatenus tollit impedimentum in Non-Ordinato hactenus, partim politivus, quatenus ponit in ordinato jus aut potestatē administrandi sacra.

§. 35. Jus Patronatus accuratè discernendum est tum à jure Vocandi, tum à Jure Episcopali. A jure Vocandi differt ratione Subjecti & Formæ. Subjectum juris Vocandi est tota Ecclesia: Juris Patronatus, solus Collator. Forma Juris Vocandi consistit in potestate constituendi; Juris autem Patronatus in potestate Nominandi ac præsentandi futurum ministrum. Ex quo etiam ultro perspicuum est, uti loquitur *B. Carpzovius lib. 1. Jurispr. Eccl. tit. 2. Definit. 13. p. 19.* multum differre jus Patronatus à jure Episcopali, quod exercetur à solo Episcopo vel Principe, aut statu Imperii Evangelico (ad quem per transactionem Passaviensem jura Episcopi sunt devoluta,) per Confirmationem, Ordinationem ac Institutionem ejus, qui à Patrono fuit præsentatus; ideoque Præsentatio à Patrono facta per se jus Episcopale non est, sed Ordinatio ac Institutio per Episcopum subsecuta. Causam hujus rei, & quare Laicis præsentatio Ministrorum Ecclesiæ permittatur, si quæsiveris, expedita est responsio: fieri nempe id in recompensationem meriti, quo Ecclesia per fundationem, extructionem & dotationem Patronis obligatur (juxta versiculum:

Patronum faciunt dos, ædificatio, fundus.)

Consequens est: Inscio Patrono & absq; prævia ejus Præsentatione, Episcopo jus 537 non esse Ministrum Ecclesiæ instituere, in tantum, ut ejusmodi institutio pro nulla & irrita habeatur. Conf. *B. Reinking. de Regimine seculari & Ecclesiastico l. 3. class. 1. c. 9. p. 1124.*

§. 36. Patrono debetur honos, onus, emolumentum,

Præsentet, præsit, defendat, alatur egenus.

Ex his secundus versiculus, juxta ordinem verborum, exponit primum. Honos enim Patroni consistit in Præsentando Candidatum, & in Præsidendo Conventibus, ad hos actus spectantibus. Unde quia hoc ad honorem pertinet, non monarchicam aut tyrannicam Patrono tribuit potestatem, qua reliquos status in vocando supprimat, ac libertate aut efficacitate votorum privet. Onus est jus ac debitum defendendi tum Vocatum, tum Ecclesiam ipsam. Emolumentum Patroni est, ut ipse, si egenus sit, Ecclesiæ reditibus alatur. Sed hoc intelligendum est de extremo necessitatis casu, quoad Patronum; & quoad Ecclesiam de florente aut sufficiente statu: Alias qui τὰ σαρκικὰ seminant, metunt τὰ πνευματικὰ, 1. *Cor. IX. 11. Rom. XV, 27.*

§. 37. De onere Defensionis notandum est, id sæpissime, non tamen semper, cum jure Patronatus strictè sic dicto esse aut fuisse conjunctum. Huc pertinent, quæ *Aventinus præfat. ad l. 6. Annal.* & ex eo *B. Hopfner. Saxon. Evang. Sect. 3. part. 1. c. 10.* addixit. Ante Paschalem II. Mystæ, Monachi, Sacerdotes, Virgines, sacratæ fœminæ, Episcopi, rebus divinis, studio literarum, scribendis libris duntaxat (devoluta domus, penatium, agrorum cura in profanos,) operam dabant; rerum fluxarum caducarumq; administratione contaminari & pollui se credebant.

debant. Pecunias igitur prædiorum, reique familiaris curam in Procerum quempiam, qui vicinus aut autor contubernii erat, à se relegabant. Illum Cæsar dabat, qui Sacerdotibus nidum & vestitum, pauperibus inde alimenta tribueret, hunc-que βοηθὸν, boethum, (nde Vogt/) h. e. Patronum Curatoremque vocabant. Atque hinc etiam ratio dari potest Augustissimi illius tituli, quem hodieque sacratissimus Imperator sibi jure merito tribuit, quando se vocat Ecclesiæ Advocatum, scilicet Supremum, & ut in Recessibus Imperialibus Anno 1530. §. Nach dem aber &c. habetur, Einen obersten Vogt der Christenheit / scilicet quod jus ipsi defendendi Ecclesiam, (& de jure quidem, orthodoxam,) competat, etiamsi in singulas Ecclesias jus Patronatus non habeat.

§. 28. Ecclesia verò non minus jus dimittendi, ac vocandi Ministrum habet. Ubi tamen iterum applicanda sunt, quæ de cessione Juris & solius Exercitii, nec non de Consensu Tacito & Expresso notavi §. 16. Sicut enim in vocando, ita in 538 dimittendo unius Status alteri solum Exercitium, etsi non Jus ipsum, cedere potest, concurrente ad illud Status cedentis consensu tacito, si non expresso.

§. 38. Causas autem Remotionis oportet esse gravissimas planeque certas, 1. *Tim. V*, 19. Imò quædam vocandum, non æquè vocatum aut receptum excludunt. Pertinet huc (per applicationem,) illud *Grotii* l. 2. de J. B. & P. c. 5. §. 10. Non omnia, quæ juri naturæ (h. l. Ecclesiastico,) repugnant, irrita fieri jure naturæ, (Ecclesiastico,) sed ea demum, in quibus deest Principium dans validitatem actui, aut in quibus vitium durat in effectu.

§. 39. Remotio verò, quo est difficilior, eò Vocatio debet esse prudentior: Hinc manus nulli citò imponendas esse monet *Apostolus* 1. *Tim. V. v.* 22. quod de ordinatione etiam monui *supra* §. 20.

§. 40. Vocati est prædicare verbum & administrare Sacramenta, propter præcepta divina, *Matth. XXIIX*, 19. 20. *Marc. XVI*, 15. 16. *XXII*. 19. & secundum praxin Apostolicam, *Actor. II*, 14. 38. *VIII*, 35. *XVI*, 31. 1. *Cor. I.* 23.

§. 41. Prædicatio verò tam in docendo Legem quam Evangelium, tum in thesi sufficienter probanda, tum in antithesi prudenter refutanda debet occupari, 2. *Tim. III*, 16. *ad Tit. I*, 9. *Actor. XX*, 30. 31. 2. *Timoth. II*, 24. 25. Vide omninò *Consilia Theologica Wittebergensium part.* 2. *tit.* 4. *p.* 96. *seqq.*

§. 42. Hæc duo officia (prædicandi Verbum & administrandi Sacramenta,) sic sunt conjuncta, ut quoad jus aut facultatem, fungendi iis, semper maneant indivisa; quoad exercitium nonnunquam sint separata, ceu in Superintendentibus ac pastoribus nostris videre est, ad exemplum Christi *Joh. IV.* 2. *Pauli* 1. *Cor. I*, 14. 15. 16. 17. *Petri Actor. X.* 48.

§. 43. Præterea Minister quilibet cœtum sibi commissum Ecclesiasticæ disciplinæ debet conformare. Pater enim spiritualis est, adeoque Jurisdictione hujus generis pollet.

§. 44. Objectum ejus sunt Vitia tam Doctrinæ quam Morum. Forma, post cognitionem & judicium de delicto, consistit in puniendo spiritualiter, non corporaliter, nisi quoad consensum aut sympathiam inter corpus & animam. Vide *B. Hulsemann. de Correptione Fraterna.*

Hinc

Digitized by Google

Hinc medium ejus punitivum non est vis humana, sed verbi.

§. 45. Usus hujus Juris magna opus habet prudentia. Inter alia ad circumstantiam Personæ castigandæ maximopere
539 est attendendum. In hunc finem optimè *Melanchthon* Anno superioris seculi 41. *in Epistola, libr. singularis, Lugduni Batavorum Anno* 1647. *excusi, ad Vitum Theodorum Theologum Norimbergensem XXVI. pag.* 467. Vides, *inquit*, Homericos Oratores, Nestorem & Ulyssem, aliter Principes castigare, aliter vulgus. Sed tamen cœlestis sermo pariter utrosque doceat & castiget. Id fieri potest, etiamsi ea fuerit adhibita orationis lenitas, quæ decet in Ecclesia,

§. 46. Summa in hoc foro pœna est Excommunicatio. Hinc ad eam requiritur sententia & consensus plurium. Quod enim requiritur, ut quis habeatur pro ethnico & publicano, id requiritur ad Excommunicationem. Atqui totius Ecclesiæ suffragium &c. *Matth. XIIX.* 17. E.

§. 47. Hi verò Jurisdictionis Ecclesiasticæ Actus, etiamsi maximi sint momenti, nihilominus doctrina Verbi & Administratio Sacramentorum primas tenent. *Illi* enim hypotheticam, (si in cœtu sint, qui castigendi,) *hæ* absolutam habent necessitatem; *Illi* ad Benè esse; *Hæ* ad Esse Ecclesiæ pertinent.

§. 48. Ob hanc causam ad has reliqui officiales Ministerii actus proxima analogia referri possunt; quales sunt: Intercessio pro grege, *Levit. XVI.* 34. ad *Rom. I.* 8. 9. Cura pro institutione privata liberorum aliorumque Rudiorum, *Act.* XX. 20. 31. Cura διακονίας in omnibus statibus servandæ, item pro Pauperibus ac Ægrotis, ad *Coloss. I.* 27. 28. Nam in his Minister vel Exemplo docet ipse, vel alios intra Scholam aut domum facit docentes.

§. 49. Quis autem ex tot tamque utilibus Ministerii Actibus non intelligit, illud in salutem & ædificationem Ecclesiæ institutum esse?

§. 50. Intercedit autem inter Ministros Ecclesiæ subordinatio aliqua, non dependentia causalis, quam *R. Hülseman. Breviar, cap. XIX. Th.* 17. ex mente Pontificiorum vocat *generationem & essentialem principiationem.* Illi enim à Papa in omnes Ecclesiæ Ministros potestatem Ecclesiasticam derivant. Hinc Titulus ejus apud *Bzovium p.* 435. trigesimus tertius: *Fons Sacerdotii*; & *pag.* 451. Trigesimus quartus: *Princeps Pastorum.* Aptè tàm thesis quam Antithesis exprimi potest per simile: Ministri Ecclesiæ referuntur ad se invicem sicut fratres sibi quadantenus subordinati, non, sicut Parentes & liberi, inter quos est causalis dependentia.

§. 51. Subordinatio hæc est Juris divini. Quicquid enim in officio Ecclesiastico Paulus mandavit Timotheo, id est instituti divini. Atqui hujusmodi subordinationem 1. *Tim. V.* 19. *&c.* E. Hinc distinctio quoque Ministrorum 540
(quoad jurisdictionem in suo genere,) in superiores & inferiores, jure divino nititur. Sed speciale discrimen inter diversos ordines ab Ecclesia, post Apostolorum tempora, partim præter, partim contra S. Scripturam introductum est. Idque adeò verum est, ut *Maldonatus T. II. disp. de Sacrament. p.* 244. ad demonstrandum ex jure divino discrimen inter Episcopos & Presbyteros, opus habeat confugere ad

Canones & Constitutiones Apostolorum; à quibus tam illos quàm hos perperam denominati, probavit jamdudum *B. Chemnitius Orationis de lect. Patr. pag.* 1. *B. Gerhard. Conf. Cath. part. II. cap.* 6. *&* 7. *pag.* 305 *seqq.* Ex Calvinianis *Abrahamus Scultetus part.* 1. *Medull. Patr. L. XI. c.* 5. *p.* 455. *seqq. Andr. Rivet. Crit. S. L.* 1. *c.* 1. 2. *p.* 99. *seqq.*

§ 53. Ignorat hanc distinctionem Novum Testamentum; imò contrarium apertè testatur. Cum enim in scriptis Apostolicis passim Episcopi vocentur Presbyteri, & Presbyteri Episcopi, nec ullus singularis Episcopus ibi uspiam memoretur, qui Presbyteris præsit ac præemineat, ex eo luce meridiana clarius est, plures ab Apostolis in iis, quas per civitates singulas fundabant, Ecclesiis, institutos semper fuisse Presbyteros, qui & Episcopi essent ac dicerentur à functione, cum Presbyteri vocarentur, id est, seniores ab ætate, *Salmas. cit. libr. p.* 12. 13.

§. 54. Infirmioribus aut planè nullis fundamentis nituntur reliqui in Ecclesia Pontificiorum Ordines, videlicet Sacerdotum sive Presbyterorum non tantum ab Episcopis, sed etiam à reliquis Ordinibus distinctorum, deinde Diaconorum, Subdiaconorum, Acoluthorum, Lectorum, Exorcistarum & Ostiariorum. Nullus proiis, ne in speciem quidem, locus è sacris urgeri potest. Imò ludere, non concludere videntur, quando in persona Christi subsidium quærunt, somniantes, eum fuisse *Ostiarium* cum *Luc. XIX.* 45. 46. vendentes & ementes templo ejecerit, sibique ipsi nomen *Joh. X.* 7. 9. ostii dederit: *Lectorem*, cum *Luc. IV.* 17. in medio seniorum Prophetiam Esaiæ evolverit ac prælegerit: *Exorcistam*, cum *Marc. VII.* 34. ad mutum & surdum dixerit, Hephata: *Acoluthum*, cum vocaverit se *Joh. III.* 19. *VIII.* 12. lucem mundi: *Subdiaconum*, cum linteo præcinctus pedes discipulorum laverit: *Diaconum*, cum corpus & sanguinem suum in cœna dispensaverit, & Apostolos in horto dormientes ad precandum excitaverit; *Presbyterum*, cum se in ara crucis obtulerit; de quibus omnibus historia Passionis. Sed quantus ejus apud illos homines abusus!

§. 55. Doctoratus nec est Ordo, nec loco ordinationis haberi potest, ob omnes quatuor causas diversas. Nam (1.) ratione causæ efficientis, ordinatio fit ex omnium ordinum Ecclesiæ consensu à Ministerio Ecclesiastico; Doctoratus pendet à Regali Magistratus summi, & à judicio & decreto Facultatis Theologicæ, quæ & illum confert. Ratione finis (2.) Ordinatio in specie ad particularem aliquam Ecclesiam, à qua vocatus est ordinandus; Doctoratus ad curam Ecclesiæ in genere, à creato Doctore prudenter ac decenter in se recipiendam, respicit. Ratione formæ (3.) Ordinatio commissione officii Ecclesiastici, promissione, precibus &c. Actus Doctoralis juramento, renunciatione pluribusque aliis ceremoniis constat. Ratione (4.) materiæ *personalis*, alii postulant ordinari Ministri Ecclesiæ, alii creari Doctores; ratione *realis*, illi docent & administrant Sacramenta; hi docent tantum. Vide plura apud *B. Tarnov. de Minister. p.* 367. *seqq.* 54

§. 56. Doctoratus tamen in Ecclesia, tanquam bonum saluti ejus subordinatum, rectissimè retinetur & appetitu ordinato ab idoneis personis laudabiliter petitur genturque. Ineptiæ verò *Carolostadii*, è Doctore degenerantis in rusticum,

cum, eleganter depinguntur in der gründlichen warhafftigen Historia von dem Streit im Articul vom H. Abendmal / contra *Ambrosii Wolfii* historiam falsam, p. 44. Digna sunt verba, idiomate germanico concepta, quæ hic legantur: Erstlich hat er sich in einem Dörfflein / darnach in dem Städtlein Kemberg/eine Meilwegs von Wittenberg / häußlich niedergelassen/ist also ein Bauer/darnach ein Klipkramer worden / hat gebrandten Wein / Pfefferkuchen / Spiegel / Nestel und dergleichen zu Kauff gehabt / zu Zeiten Holtz aus dem Lüberwalde geholt und gen Wittenberg zu Marckt geführt / hat auch wie ein andrer natürlicher Bauer sich gekleidet / ist einher gegangen in einem groben Bauern-Rock / umbgürtet mit einer alten rostigen Wehr/in einer zerrissenen löcherichen Scheide/ und einen groben Bauern Filtz auff dem Haupt/wolte auch nicht anders genennet seyn / denn wie ein andrer Bauer (Neber Andres/) ob Er vielleicht also ein Ansehen einer sonderlichen Heiligkeit überkommen könte. Deinde verò hujus moris, moræ potius pertæsus, functionem Ecclesiasticam iterum petiit, & inter Zvvinglianos in Helvetia obtinuit, ubi tandem desperabundus Basileæ mortuus est.

§. 57. Licet etiam Ministro propria possidere bona. Illos enim, ceu graviter adversus errores nonnullorum Anabaptistarum statuit *Apologia A. C. Art. de Sacram. pag.* 156. qui ideo excitaverunt schismata, quia negabant Sacerdotibus licere tenere possessiones aut proprium, planè seditiosos judicamus. Nam tenere proprium, civilis ordinatio est. Licet autem Christianis uti civilibus ordinationibus, sicut hoc aere, hac luce, cibo, potu. Nam ut hæc rerum natura, & hi siderum certi motus, verè sunt ordinatio Dei, & conservantur à Deo: Ita legitimæ Politiæ verè sunt ordinatio Dei, & retinentur ac defenduntur à Deo adversus Diabolum.

§. 58. Licet etiam, si opus est, Ministro agriculturam exercere, eaque omnia, quæ boni & prudentis Patrisfamilias sunt, expedire; quum Ministerium Ecclesiasticum & officium Oeconomicum benè consistere possint, 1. *Tim.* III. 2. V. 8. Illud tamen debet esse ac manere ἔργον, hoc, πάρεργον, adeoque nunquam cum illius detrimento suscipi.

§. 59. Ultra hæc licet etiam Ministro Ecclesiæ salarium accipere, *Matth.* X 10. *Luc.* X. 7. 1 *Tim.* V. 18. 1. *Cor.* IX. 7. *seq.* Nec inter Levitas V. & Ministros N. T. diversitas est quoad justitiam mercedis tanquam morale, sed quoad materiam ejus tanquam ceremoniale, quippe quod olim erant sacrificia secundum certam partem, hodiè planè abrogata. De societate nuptiali, quæ similiter Ministro Ecclesiæ licitè patet, commodius in Loco de Conjugio agitur.

APHORISMUS I.

In Novo Testamento nec Sacrificia Propitiatoria, nec Sacerdotes sunt.

SCHOLIUM.

§ 1.

EXcipimus hic Sacrificium Propitiatorium mortis JESU CHRISTI, quod in utroque Testamento valet. *Apologia Aug. Confessionis* alias species Sacrificii proximas facit duas, Propitiatorium nimirum & Eucharisticum *p.* 153. Mox in seqq.

f42

omnia Sacrificia Levitica ad hæc duo membra refert. Ubi tamen notandum eſt, quod Propitiatoria dicat talia fuiſſe non abſolutè ac in ſe, ſed ſecundum ſimilitudinem, *partim* prout fuerunt typi, unici in mundo Sacrificii Propitiatorii, ceu *ibidem p.* 254. Mors Chriſti dicitur; aut ſignificarunt futurum piaculum *p.* 255. *partim* prout merita ſunt Reconciliationem, non Spiritualem, ſed politicam, ne ex politia excluderentur, qui peccaverant; *ibid.* & *pag.* 264. Conf. omninò *Scholam ſacrificiorum Patriarchal. Sacram B. Frantzkii*, ſtatim in *præfat* ac in *opere* ipſo paſſim. Quod ſi verò in Vet. Teſt. non niſi ſecundum ſimilitudinem talia fuerunt Sacrificia, quid dicendum erit de Novo,
§43 *poſtquam umbræ ceſſarunt, præſente ipſo corpore, ad Coloſſ. II.* 17. Interim Euchariſtica adhuc, improprieque ſic dicta, hodiè admittimus, quæ ſacrificia Laudis in *Apologia Auguſt. Confeſſionis p.* 258. dicuntur, ac ſub ſe, Fidem, Invocationem, Prædicationem Evangelii, Confeſſionem *&c.* comprehendunt, *ibid.* Imò patitur eo in loco Autor Apologiæ, ut ipſa Cæremonia ſive actus Sacræ Cœnæ dicatur hujusmodi Sacrificium. Sed (1.) id intelligit non de Ceremonia ſeorſim ac in ſe, ſed conjunctim cum gratiarum actione, Invocatione &c. ſpectata; (2.) non introducit hunc terminum, ſed tolerat tantum; & (3.) non patitur vocari Sacrificium Corporis Chriſti, de quo eſt quæſtio inter nos & Pontificios; ſed Sacrificium laudis tantum; ſicut has limitationes inſinuat *B. Hülſem. Brev. c.* 13. *th.* 9.

§. 2. Qualia verò hæc ſunt Sacrificia, tales quoque ſunt Sacerdotes, hoc eſt, impropriè ſic dicti. Fatendum quidem eſt, tum hodie Miniſtris Eccleſiæ hunc titulum vulgò tribui, tum olim in primitiva Eccleſia attributum fuiſſe. Sed neutrobi id fit aut factum eſt in propria ſignificatione. Nimirum, Sacerdotum appellatio de Presbyteris, ſecundo demum ſeculo, & in altera, non prima Apoſtolorum ſucceſſione, introducta eſt. Cum enim & à Gentibus multi venirent ad Fidem, & ex Judæis quoque non pauci Chriſtiani fierent, cum utrique in Religione, quam relinquebant, Sacerdotes haberent; facile fuit, ita res accommodare, ut nomine ſaltem tenus in religione nova, cui nomen dabant, Sacerdotes, quos reliquerant, invenirent aut facerent. Sed hoc potius; nam primitus non fuerunt. Nec oppoſuerunt ſe huic mutationi nominum, qui eos recipiebant, ut ſic plures lucrifacerent tam ex Judæis quam ex Gentibus, præcipuè cum ſola vocabulorum ratio in eo verti videretur. Non cogitabant tunc temporis, cum primum illa admiſſa eſt innovatio, futurum tandem aliquando, ut rem quoque ſecum traherent mera vocabula. Quod Sacrificium tunc audiebatur, non cenſebatur verum & propitiatorium Sacrificium. Qui Sacerdotes appellabantur, non proveris accipiebantur Sacerdotibus, nec ad inſtar Judaicorum inſtituti credebantur. Altaria non intelligebantur, quæ ſacris faciendis inſervirent eodem modo, quo & Gentibus & Judæis ad eum uſum erigi ſolebant. Quid plura? procedente tempore, ut omnia in pejus ruunt, vera Sacrificia, veri Sacerdotes, vera Altaria, credi cœpta ſunt in Eccleſia Chriſtiana haut minus, quam in Judæa aut gentili ſuperſtitione credebantur; ſicut hæc more

ſuo,

suo, h. e. eruditissimè ex antiquitate Ecclesiastica deducit, *Salmasius de Episcopis & Presbyteris p. 394. seqq.*

544 §. 3. Usus aphorismi hujus in didacticis est tum in loco de Christo, ubi exinde intelligimus, Eum in officio Sacerdotali non æquè ac in Prophetico habere aut admittere Vicarios, uti nec ullum aliud sacrificium propitiatorium; tum in loco de Ministris Ecclesiæ, quorum, vi hujus aphorismi, non est sacrificare, sed, uti ex supra dictis constat, Verbum docere & administrare Sacramenta.

§. 4. In polemicis valdè utilis est adversus Pontificios, sacrificium suum Missaticum tanquam propitiatorium semper in ore habentes, & pro conficientibus, uti loquuntur, sive Missificantibus, tanquam pro Sacerdotibus propriè talibus, pugnantes. Pontificem autem non tantum Sacerdotem, sed fontem Sacerdotii proclamant; *Vide Bzovium supra allegatum §. 51.* Utrumque malè; quia Christus est *Sacerdos noster, qui sacrificium suum obtulit semel, nunquam iterandum, Hebr. IX. 12. 26.*

APHORISMUS II.

Minister Ecclesiæ ab Ecclesia est vocandus.

SCHOLIUM.

§. 1.

SEnsus, juxta superius dicta, est, Ministrum Ecclesiæ non ab uno alterove statu, sed ab omnibus conjunctim, adeoq; à totâ Ecclesia vocandum esse. Hoc ipsum intelligit *A C.* per vocationem ritè factam, *Art. XIV.*

§. 2. Est autem hic aliqua, sed in speciem tantum, diversitas inter Nostros, ac proinde facilè concilianda. *Aliqui* Ecclesiam habent pro subjecto præcipuo ac primario omnis potestatis Ecclesiasticæ, cui insit inhæsivè, & à quo transferatur in Personam electam; non aliter ac à Republica in Interregno residet potestas civilis, & ab ea deinde transfertur realiter, juxta plerosque Politicos, in Magistratum electum. *Alii* concedunt Ecclesiæ Jus tantum ad eligendam personam, cui Deus ipse conferat immediatè hanc potestatem: non ut conferat ipsa Ecclesia, sicut non pauci Politici personam Magistratus à Republica tantum eligi, electæ verò Majestatem ab ipso Deo tribui statuunt. Utrumque horum eleganter conjungit *Dn. Ziegler in notis ad Grot. Lib. 1. de jure B. & P. c. 3. p. 126.* Potestas, inquiens, imperandi à Deo confertur immediatè, perinde uti potestas docendi, solvendi & ligandi, administrandi Sacramenta &c. quæ Ministro Ecclesiæ competit. Quemadmodum igitur populus eligendo pastorem, non confert potestatem istam, nec conferre potest, quia scilicet eam nunquam habet ipse, sed personam electam potestati à Deo immediatè proficiscenti applicat: haud aliter & eligendo Regem, non confert potestatem, sed personam electam producit, eamque destinat ad exercitium potestatis illius à Deo immediatè conferendæ. Breviter. Communitas, quando eligit personam, ipsam potius personam seu personas applicat potestati divinæ, quam potestatem divinam personis. Huic sententiæ, quæ etiam placet *B. Hulf. Breviar. c. XX. supplem. Th. 2.* subscripsimus & nos *supra §. 12.* 545

§. 3. Differunt hæ duæ sententiæ, non tam thesi h. l. quam hypothesi. *Non thesi*; siquidem utraque requirit vocationem à

tota Ecclesia ; *Hypothesi* verò *tantum*, prout altera præsupponit, collatam ipsi Ecclesiæ potestatem hanc Ecclesiasticam; altera demandatum tantum tori Ecclesiæ divinitus officium eligendi personam. Aut; conveniunt conclusione; differunt mediis terminis. Ideoque, quoad Aphorismum nostrum, qui est utriusque conclusio, res perinde se habet.

§. 4. Usum in didacticis ingentem præstat omnibus Statibus, ut intelligat ac faciat unusquisque in vocando Ministro, quod suarum est partium. Invenit quidem hic locum cessio solius exercitii, secundum ea, quæ diximus *superius* §. 16. Sed quoniam cessio juris non potest fieri, ideò status cedens debet oculatus esse, videreque, an exercitium rectè instituatur.

§. 5. Usus in Polemicis adversus varios est varius. Fanatici, dum nullam expectant vocationem, maximè rejiciuntur per doctrinam nostram de vocatione ritè semper instituenda. Idem fit Pontificiis, jus vocationis Laicis omnibus, tam Magistratui, quam subditis, inique eripientibus. Utinam ex opposito non essent inter nostros Politicos, qui in hoc negotio Magistratui civili faverent nimis!

APHORISMUS III.

Ecclesia major est Pastore & Rectore quovis suo.

SCHOLIUM.

§. 1.

DE variis inter Ministros gradibus diximus *supra* §. 51. 52. Hos inter summus inferior est Ecclesia, ratione dignitatis; eique subjicitur, ratione potestatis.

§. 2. Non autem præcise hoc pendet à vocatione. Nam alias populus eligens superior esset Magistratu electo; quod Monarchomachicum. Vide *Grot. d. l.* §. 8. 546

§. 3. Inferioritas potius, ratione dignitatis & potestatis simul, pendet à subordinatione unius, quicunque tandem ille sit, in respectu ad Ecclesiam, *Matth. XIIX*, 16. 17. Ratione dignitatis solius, ab effectu; quia Pastor non est sanctificatus qua minister, sed qua pars Ecclesiæ veræ; nec officio Ecclesiastico sed membro Ecclesiæ, qua tali, promittitur salus, remissio peccatorum, vita æterna.

§. 4. Hinc in Didacticis, utile est, nosse, quod nec ad doctrinam nec ad vitam unius in Ecclesia, sed ad Ecclesiæ totius, fundamento Prophetarum ac Apostolorum innixæ, præcepta dogmatica ac moralia, tanquam Normam, respiciendum sit.

§. 5. In Polemicis Usus 1. adversus Pontificios est multiplex, prout alii potestatem Ecclesiasticam purè monarchicam, alii Monarchio-Aristocraticam, alii Aristocratico-monarchicam, alii, ex antiquioribus, purè Aristocraticam statuunt. *Primum* asserunt rigidi Papalis Monarchiæ assertores, omnesque illi, qui solum Papam jure divino primum & immediatum Ecclesiasticæ potestatis subjectum faciunt, à quo & per quem in Episcopos derivetur. De quo vide *Disput. Bellarmini de Pontifice cum Antagonistis*, (Barclajo, *&c.*) *& histor. Concilii Tridentini. Secundum* affirmant, qui Papæ supremam potestatem tribuunt, sic tamen, ut Episcopis in Concilio Oecumenico congregatis autoritatem non detrahant, nec eam in solum

ſolum Pagam transferant. Cujus ſententiæ fuere Epiſcopi Hiſpani in Concilio Tridentino, uti videre eſt in hiſtoria. *Tertium* adſtruunt, qui ſacram Epiſcoporum poteſtatem extollunt, & Papam Concilio ſubjiciunt: quæ eſt Concilii Conſtantienſis & Baſileenſis, & pragmaticæ ſanctionis in Gallia, & ſecundum eam Sorbonæ Pariſienſis, cujus Doctores in hanc ſententiam jurare coguntur. Vide *Pleſſei myſterium Iniquitatis, Chamierum de Oecumen. Pontifice, & Servini Vindicias ſecundum libertatem Eccleſiæ Gallicanæ*; cui unicus nævus (rectius, ingens gloria,) ab odio in Jeſuitas, pertinace, & ab Eccleſiæ Gallicanæ privilegiis ſtatuque monarchico acrius contra Apoſtolicam ſedem vindicatis; quo apud plerosque pro parum Catholico (Pontificio,) audit; referente Papiſta *Gramondo hiſtor. Galliæ l. 15. p. 670.* *Quartum* approbarunt olim ii, qui ſolis Epiſcopis poteſtatem Eccleſiaſticam adſcripſerunt, etiam ablato Papa. Quales ex Pontificiis ne hodie quidem deeſſe arbitror, inquit præter cætera *Gisbertus Voetius, Politica Eccleſiaſt. part. 1. lib. 1. tractat. 2. c. 8. p. 250*, quibus placet ce-
547 lebris ille *Joh. Gerſonis* tractatus, de auferibilitate Papæ ab Eccleſia; quique ſubinde conſilia agitarunt de conſtituendo Patriarcha Galliæ. Exemplum habes ap. *Botereum* hiſtoricum Gallum ad Anno 1594. cum Papa nollet Henricum IV. in gratiam recipere. Utilis etiam 2. eſt adverſus Hierarchicos Anglicanos, qui ſolis Epiſcopis Eccleſiæ regimen & Eccleſiaſticam poteſtatem tribuunt. Vide præter *Parkerum, Gerſonem, Rucerum, Didoclavium, Paul. Baynes*, aliosque; contra Anglos, etiam *Breviarium Hülſemanni Noſtri c. 19. th. 5.* ubi modernos Batavos plerosq; ſeductos ab Anglicanis Epiſcopis, ſtatui Clericano, præcipuè quoad vocationem & Remotionem Miniſtrorum Eccleſiæ, nimis favere monet.

APHORISMUS IV.

A beneficio Converſionis, ad Officium Vocationis non valet conſequentia.

SCHOLIUM.

§. 1.

SEnſus eſt: Nec Perſonam (v.g. Papam,) nec Eccleſiam (v.g. Pontificiam,) fortè converrentem, jus habere præficiendi Converſis Miniſtros Eccleſiæ. Hoc enim unicuique Eccleſiæ, poſtquam non conſtituenda ſed jam conſtituta eſt, ſive convertens ſive converſa ſit, convenit ipſi.

§. 2. Ratio eſt; quia ambæ propriiſſimè ſunt Eccleſiæ, & conſequenter eandem eſſentiam, parenique poteſtatem Eccleſiaſticam habent.

§. 3. Hinc gratitudo in temporalibus, non ſubjectio in ſpiritualibus requiritur à converſis 1. *Cor. IX.* 11. 12.

§. 4. Inde praxis hujusmodi in Eccleſia primitiva. Laodicena à Coloſſenſi erat converſa; ſed nulla huic in illam poteſtas, *Col. II.* 1. nec ab Apoſtolo *ibid. IV.* 13. 16. tributa, ubi hujus coram illa meminit.

§. 5. Sequeretur etiam alias, Eccleſias omnes Judæas ab Hieroſolymitana, & à Judæis omnes Eccleſias Gentilium invocando pependiſſe, quod oppidò abſurdum.

§. 6. Uſum in Didacticis indè percipit *tùm vocans*, qui, etiamſi non rarò ſit cœtus exilis, abjectus, ac in Eccleſia novitius, jus illud ſibi æque ac aliis Eccleſiis deberi

deberi intelligat; *tum vocatus*, cui multi adimuntur ſcrupuli, de dignitate vocantis &c.

§. 7. In Polemicis utilis eſt 1. adverſus Pontificios, qui Jus Eccleſiæ matricis ſive convertentis in converſam urgent ob Hie-
548 rarchiam, aut Anti-Chriſtianam Pontificis Tyrannidem in omnes Eccleſias particulares. Hinc doctores ad convertendos autoritate ſolius Pontificis mittendos eſſe ſtatuunt. Contrarium tum alibi tum in Germania contigit convertenda. Bonifacius enim primam ſuam ad Germanos profectionem & prædicationem verbi, inſcio Pontifice, ſuſcepit: non diffitente è Pontificiis *Nicol. Harpsfeld. Archi-Diac. Cantuarienſi, Hiſt. Anglic. Eccleſ. pag.* 118. Deinde ob hanc hypotheſin apud converſos, & Eccleſias conſtitutas, argumentantur à beneficio converſionis ad officium vocationis, aut ſaltem confirmationis & influentiæ principalis. Inde *Abrahamo Bzovio*, titulus Romani P. inter quinquaginta, quartus & vigeſimus: *Doctor Orbis: pag.* 241. Utilis etiam eſt 2. adverſus quosdam Calviniſtas in Belgio, qui Eccleſiis particularibus Belgicis convertentibus Jus in converſas particulares Indicas ſimiliter tribuunt; adverſus quos ex profeſſo *Voetius Pol. Eccleſ. part.* 1. *l.* 1. *c.* 6. *p.* 104. *ſeqq.*

APHORISMUS V.

Ordinariè tanta eſt neceſſitas legitimæ vocationis, quanta Miniſterii tam in N. quàm Vet. Teſtamento.

SCHOLIUM.

§. 1.

Dico 1. *ordinariè*. Quando verò ob urgentem neceſſitatem maſculi aut fœminæ ſine vocatione & ordinatione ſpeciali, ſacra, & ſpeciatim ſacramentum initiationis tanquam ſummè neceſſarium adminiſtrant, id fit extraordinariè.

§. 2. Requiro 2. in genere, legitimam vocationem, ſeu illa olim in V. T. & ſub initium N. ſit, fuerit immediata, ſeu mediata. In caſibus etiam extraordinariis adeſt adhuc vocatio communis, aut generalis, quæ eſt totius Eccleſiæ, ſacerdotii regalis 1. *Petri II.* 9. *Apoc. I.* 6.

§. 3. Apud convertendos nondum eſt Eccleſia conſtituta, ſed adhuc conſtituenda. Hinc ante Eccleſiæ exiſtentiam minus accuratè quæritur, an ſine vocatione doceret in Eccleſia, qui Eccleſiam demum eſt collecturus? Talis etiam, ſi à Magiſtratu fideli belli jure vel alia juſta de cauſa eò deſtinatus fuerit, dicendus non eſt ſine vocatione planè docere. Sufficit enim in tali caſu unius alteriusve Status vocatio, propter impedimentum ex parte ſtatus convertendi manifeſtum, donec & ipſemet poſt converſionem aut ejus ſaltem initium Apoſtolum ſuum recipiat, ac recipiendo ejus vocationem comprobet.

§. 4. In Didacticis uſum habet apud 549
Auditores, ut ſibi à Pſeudoprophetis cavendum eſſe diſcant, *Matth.* VII. 15. ſpiritusq; probent. 1. *Joh.* IV. 1. 2. probatosque demum ac legitimè vocatos audiant.

§. 5. In Polemicis utile eſt, hoc noſſe (1.) propter Anabaptiſtas aliosque fanaticos, qui vocationem ad Eccleſiaſticas functiones nec expectant nec expetunt, perperam pro ſomniis ſuis allegantes *vel ſingularia aliqua*, quæ certis tantum Perſonis in V. T. & ſub initium N. convenerunt: ſicut ſe habuit intrinſecus afflatus in nonnullis; *vel communia quidem*, ſed malè intellecta aut applicata; quale quid

eſt

est facultas ac Jus prophetandi, filiis & filiabus, senibus & juvenibus promissum, *Joel. II. 28, 29.* Observari hoc etiam (2.) potest adversus Pontificios, qui Baptismum à Pagano administratum habent pro legitimo. Ratio *Thomæ 3. quæst. 67. Artic. 5. c.* ex *Isidoro* est, quod Pontifex Rom. non hominem judicet, qui baptizat. Atqui illum judicat Deus, quia Paganus tàm sine vocatione communi quam speciali est, & qua Paganus Baptismum juxta intentionem Christi ac Ecclesiæ non potest administrare. Sed hæc thesis nascitur ex mala hypothesi, de Baptismo ad salutem absolutissimè necessario; de qua alibi.

APHORISMUS VI.

Vocatio Lutheri fuit mediata.

SCHOLIUM.

§. 1.

AB *Hülsemanno Brev. cap. 19. th. 25.* dicitur mediata & ordinaria, ob ordinarias vocationis literas, quarum respectu nihil ab aliis habuit peculiare. *A. B. Kromayero Theol. Positivo-Polem. p. 1059.* dicitur mediata singulariter, ob singularem Dei vocantis directionem, singulariaque vocati dona. Ideoque nulla inter hos est pugna.

§. 2. Aliud autem fuit officium Lutheri docendi in Ecclesia ac Academia Wittebergensi, aliud in tota Ecclesia. *In illo* potuit se consolari vocatione determinata ad hunc locum. *In hoc* erexit se fortiter promotione Doctorali. Vide *Tom. V. Jen. German. in explicat. Psal. LXXXII. 4.*

§. 3. Pertinuit nimirum ad ipsum, quod ex ipsis Pontificiis *Sylvester Prierias in Summa p. 263.* (de causa efficiente & finali Doctoratus,) scribit: Credendum esse, Ecclesiam ordinasse officium Magisterii Theologici ad declarationem Fidei Catholicæ. Rectè quoque se habent requisita, quæ de Doctore tradit *Lorichius* Pontificius in *Thesauro Cathol. p. 852.* ex allegato *Prier.* quorum *primum* est sufficiens Scientia; *secundum*, Facundia docendi; *tertium*, acumen interpretandi; *quartum*, docendi facultas; *quintum*, excellentia Morum; *sextum* denique, motus Fortitudinis ad resistendum adversariis. Quæ omnia cum in gradu excellenti habuerit Lutherus, Doctoris non tantummodo jure atque titulo, sed etiam requisitis adversus Pontificios fortiter niti potuit. 550

§. 4. Utilis est in Didacticis, ut agnoscamus Providentiam Dei, prospicientis non tantum Ecclesiæ suæ de Ministris, vocatione mediata ordinaria communi, sed & singulari subinde missis.

§. 5. In Polemicis utilis, imò necessarius est adversus Pontificios, nihil frequentius quam Lutherum Non-Vocatum in ore habentes. Urgent autem imprimis juramentum Doctorandi, quo ad obedientiam Ecclesiæ Romanæ præstandam se obstrinxit. Atqui Pontifex non est Ecclesia Romana, quatenus ex Scriptoribus (B. Patribus,) nota est; sicuti circumscribitur *Aug. Confes. Articul. XXI. in Epilogo. Illi* ne verbulo quidem, *huic* autem obedientiam promisit, imò contra corruptelas Ecclesiæ Romanæ novæ egregiè servavit. Hinc non opus est confugere ad illud tritum: In malè promissis rescinde fidem. Nam, quicunque juravit Ecclesiæ Romanæ, ille ab ejus Episcopo iniquè agente provocando ad Concilium,

cilium, fidem juratam non rescindit, consequenterque non opus est, videre, quomodo liberandus sit à perjurio. Atqui Lutherus &c. E. Imò idipsum Juramentum quoad connexa vitia ligabat conscientiam Herois nostri, ut ne contra scientiam & conscientiam pergeret, postquam vitiosa illa esse deprehendisset.

APHORISMUS VII.

Episcopus jure divino non est Presbytero superior.

SCHOLIUM.

§. 1.

CErtum hoc est ex *supra* dictis §. 53. Quicunq; enim jure divino non sunt diversi, ii non possunt eodem jure differre tanquam superior & inferior. Atqui Episcopus & Presbyter &c. *E.*

§. 2. Nimirum negabamus hoc discrimen *dicto loco*, prout à Pontificiis infertur, imò affirmatur hoc ipso dependentia causalis inter Ministros Ecclesiæ; etiamsi concesserimus subordinationem quandam longè alterius generis, deductam *ib.* §. 51. 52.

551 §. 3. Cautè verò hic distinguendum est inter Potestatem Ordinis & Jurisdictionis. De *illa* sic sentiunt Ecclesiæ nostræ *A. C. abusu* 7. potestatem Episcoporum, juxta Evangelium, potestatem esse seu mandatum Dei, prædicandi Evangelii, remittendi & retinendi peccata, & administrandi Sacramenta. De *hac ibid. pag.* 39. Secundum Evangelium, seu, ut loquuntur, de jure divino, nulla jurisdictio competit Episcopis ut Episcopis, hoc est, his, quibus commissum est Ministerium Verbi & Sacramentorum, nisi remittere peccata; item cognoscere doctrinam, & doctrinam ab Evangelio dissentientem rejicere, & impios, quorum nota est impietas, excludere à communione Ecclesiæ, sine vi humana, sed verbo. Rotundius in *Apologia p.* 294. Placet nobis vetus partitio potestatis in potestatem Ordinis & potestatem Jurisdictionis. Habet igitur Episcopus potestatem ordinis, h. e. Ministerium Verbi & Sacramentorum, habet & potestatem Jurisdictionis, hoc est, auctoritatem Excommunicandi obnoxios publicis criminibus, & rursus absolvendi eos, si conversi petant Absolutionem. Hanc distinctionem minus accuratam esse observat *B. Hulsemann, Breviar. cap.* 19, *Supplem. th.* 9. scilicet, prout ad potestatem Jurisdictionis referuntur actus ligandi & absolvendi. Nam propriè & formaliter loquendo, non sunt actus Jurisdictionis humanæ legislativæ, nec coercitivæ corporalis; sed directivæ & executivæ legis jam latæ, quam Deus de rebus & personis statuit. Hæc tamen ἀνυπολογία non imputatur ipsi *Apologiæ*, quippe quæ (1.) hanc distinctionem non facit, sed olim factam dicit tantum sibi placere; & quidem (2.) non sub nova, sed tunc recepta explicatione; sicut hoc alterum ipse notat *Hulsemannus d. l.* Indeque id, quod impropriè sub altero distinctionis membro continetur, adscribendum est usui, cujus limites, cum antiquitus essent positi, noluit movere *Apologia*, inprimis, cum de voce potius quam de ipsa re esset quæstio.

§. 4. Utraque verò potestas sic accepta jure divino cadit non minus in Presbyterum ac in Episcopum; Sicut etiam, quoad utrumque, ad Excommunicationem & Excommunicati Absolutionem requiritur, quoad exercitium, consensus & senten-

sententia plurium; tàm ob superius quam certius judicium; ceu loquitur *B Hulsemannus d. cap. Th. 15.* Unde nulla inter Episcopos ad Presbyteros jure divino diversitas; si quam habent aliam vel potestatem vel Jurisdictionem Episcopi præ Presbyteris, hanc habent humano jure; sicut verba *Aug. Confes.* sonant *d. l.*

§. 5. Utilis est in didacticis ad concipiendam confirmandamque non minus erga reliquos Ecclesiæ Ministros ac Episcopos ipsos fiduciam, præstandamq; omnibus debitam obedientiam.

952 §. 6. Utilis in Polemicis est (1.) adversus Pontificios discriminis hujus patronos acerrimos. Egi hac de re *supersus* §. 53. Hic noto saltem, quod ingentes turbas dederit hæc quæstio in ipso Concilio Tridentino, inprimis 13. Octobr. Anni 1562. sicut prolixè narratur in *hist. hujus Concilii à Paulo (Paolo) Sarpio, Veneto* aut per Anagrammatismum in idiomate Italico, à *Petro Suavi Polano* descripta, *p. 548. seqq.* Præcipuè notatu digna est dissensio Sophistarum illorum super consensu Aug. Confess. quoad hanc quæstionem. *Nam Cardinalis Warmiensis* affirmabat, non esse hac de re controversiam ullam cum hæreticis: quin & eos in Aug. Conf. id ipsum tenere: itaque superfluum esse & inutile id in dubium vocare; neque Patribus (Tridentinis,) veniendum in disputationem de re, qua de Catholicis simul & hæreticis conveniret. Sed *Archi-Episcopus Granatensis* respondit: Confessionem Aug. hoc non confirmare, imò contradicere, neque ullam distinctionem ponere inter Episcopum & Presbyterum, nisi ex institutione humana: asserere, Superioritatem Episcoporum cœpisse primum ex consuetudine, postea continuatam constitutione Ecclesiastica. *Cardinalis* iterum: non negare hæreticos ista quæ dicerentur; sed tantum contumelias & maledicta congerere, & invectivis uti contra ritus his temporibus receptos. Tumultu deinde exorto ac sedato, *Archi-Episcopi Zarensis* hæc fuit sententia: adjungenda necessario verba illa: de jure divino; ad damnandum, quod ab hæreticis dicitur in contrarium in Aug. Conf. Cum rursus *Warmiensis* negaret, in ea Confessione aliquid esse, in quo hac de re hæretici dissentirent, ac contra *Zarensis* locum & verba recitaret; eò usque processit altercatio, ut per eum congregationi illius diei finis impositus sit. Hactenus *Suavis pag. 549.* Nimirum contra claram literam fingendus erat Lutheranorum consensus, ut ne manifestum errorem cogerentur agnoscere ac rejicere Doctores cœlestis (scilicet,) veritatis. Utilis (2.) est adversus hierarchicos Anglicanos; de quibus *supra ad aphoris. III. §. 5. circa f.*

APHORISMUS VIII.

Vocatio Ministrorum, juxta leges Ecclesiæ nostræ hodie facta, est legitima.

SCHOLIUM.

§. 1.

EX *supra* dictis constat, eam esse mediatam, vocatio verò mediata debet esse ordinata, h.e. debito ordine instituta.

§. 2. Ordo verò à DEO requisitus 953
non est alius, quàm quod ab Ecclesia (causa efficiente mediata,) vir idoneus (subjectum,) libere ac prudenter & cum potestate Ecclesiastica illimitatè

(quoad formam,) ad docendum verbum & administrandum Sacramenta, (ratione finis,) debeat constitui.

§. 3. Hoc jus penes Ecclesiam quamlibet, adeoque etiam nostram esse probatur in *Articulorum Schmalc. appendice de potestate & jurisdictione Episcoporum*, dupliciter:

§. 4. *Prima* probatio est Biblica, eaque gemina: Quicunque sunt domum proprium Ecclesiæ, illi ab ipsa Ecclesia per continuatam vocationem sunt conservandi. Atqui Pastores & Doctores, ad *Eph. IV. 11. seqq.* E. *It.* Quicunque cœtus solus habet sacerdotium, imò est ipsum Regale sacerdotium, ille habet jus eligendi & ordinandi Ministros. Atqui vera Ecclesia 1. *Petr. II. 9.* E.

§. 5. Hinc fluunt hæ duæ categoricæ *d. l.* Ubicunque est Ecclesia, ibi est Jus administrandi Evangelium. *Et:* Ubi est vera Ecclesia, ibi necesse est esse jus eligendi & ordinandi Ministros.

§. 6. Imò hinc pendent duæ hypotheticæ, *ibidem*: Si Episcopi ordinarii fiunt hostes Ecclesiæ, aut nolunt impertire ordinationem, Ecclesiæ retinent jus suum. *Et*: Si sit casus necessitatis, absolvere etiam Laicum posse & fieri Ministrum ac Pastorem alterius: sicut narrat *Augustinus* historiam de duobus Christianis in navi, quorum alter baptizaverit κατηχούμενον, & is baptizatus deinde absolverit alterum.

§. 7. *Secunda* probatio est Ecclesiastica: Id enim communissima Ecclesiæ consuetudo testatur. Nam olim populus eligebat Pastores & Episcopos. Deinde accedebat Episcopus, seu ejus Ecclesiæ seu vicinus, qui confirmabat electum impositione manuum, nec aliud fuit ordinatio, nisi talis comprobatio. Confer *in alleg. appendice p. 342 343.* ubi hic ritus eligendi & ordinandi confirmatur autoritate Synodi Nicenæ, praxi Ecclesiæ orientalis & occidentalis, randemque expresso testimonio Cypriani.

§. 8. Utilis est in Didacticis, ut ne dubitemus de efficacia actuum ministerialium à nostris Pastoribus exercendorum aut exercitorum.

§. 9. In Polemicis necessarius est adversus calumnias Pontificiorum, qui Ecclesiæ nostræ ministros habent pro puris putis Laicis, eosque de potestate Ecclesiastica non plus quàm sartores & sutores participare clamitant. Ex hoc fonte derivant scommata in absolutionem nostratium, in benedictionem sacramentalem &c. quas pro nullis habent.

§. 10. Breviter nos dicimus, (1.) eos facere hic adversus nos, quod Judæi contra CHRISTUM, cui non solum dicebant: quod signum ostendis nobis, quod ista facis? *Joh. II. 18.* sed directè in ejus vocationem inquirentes: qua autoritate, *ajebant*, facis ista, & quis tibi dedit istam autoritatem? *Matth. XXI. 23.* (2.) Revera nullum Papam, Cardinales, Sacerdotes &c. habere vocationem, quum ea usurpent munera, quæ in illo formali Christus nunquam instituit. (3.) Munera, quæ Nostri exercent, esse sacra & divinitus instituta, sita utique in prædicatione Evangelii, & Sacramentorum administratione; juxta mandatum, quod acceperunt Apostoli, *Matth. XXIIX. 19. 20.* adeoque in Mysteriorum Dei dispensatione 1. *Cor. V. 1.* nostrosque Pastores, non nisi ordine debito, ad illa admitti, & juxta leges S. Scripturæ. Quæ sic à Calvinista *Marefio System. p. 372.* nervose formata: 554

formata meliori jure, quam Calviniſtæ, noſtra facimus.

APHORISMUS IX.

Actus militares extra ſummum neceſſitatis caſum non decent Miniſtrum Eccleſiæ.

SCHOLIUM.

§. 1.

LOquor (1.) de actibus militaribus, qui à milite qua tali fiunt, modò aggrediente, modo ſuſtinente hoſtem, &c. E. non denego Miniſtro Eccleſiæ actus in caſtris miniſteriales, ſed tantum militares.

§. 2. Eximo (2.) ſummum neceſſitatis caſum. Id enim licet extraordinariè committere, quod ordinariè eſt omittendum.

§. 3. Extra hunc non debet ſe immiſcere bello, tanquam rei alienæ, 1. *Petri IV.* 15.

§. 4. Utilis eſt in Didacticis, ut unusquisque ſciat ac obſervet limites officii ſui; & ne belli tempore Miniſter conſcientiam habeat errantem, qua Zvvinglium laboraſſe ſcribit *Sleidanus L. 8. ad annum 1531. pag. 221.* Ille enim, cum ſecum reputaret, quod ſi domi reſideret, ac prælium fortè fieret adverſum, fore, ut magnam ipſe ſuſtineret invidiam, quaſi concionibus quidem accenderet hominum animos, in ipſo autem diſcrimine remolleſceret, voluit omninò communem ſubire mortem.

§. 5. In Polemicis (1.) utilis eſt adverſus Pontificios. Apud illos enim licitum eſt ipſis Epiſcopis ab ara ad arma tranſire; quod *εἰδηξέξυλον* Eccleſiaſticum graviter depingit ac rejicit *Dn. Zieglerus* ſub hoc titulo *in peculiari tractatu.* Imò *Mariana de Rege & Regis inſtitut. L. 1. c. 10.* contendit, ſummam publicarum rerum atque curam, oppida & arces, vires, copias, potentiam, Epiſcopis ac Viris ſacratis à Regibus conferendam, augendam. *Lenſæus*, Profeſſor Lovanienſis, *in tract. de ſui ac Reip. Chriſtiana contra invaſorem defenſione c. XI.* diſtinguit tempora, ſtatuens olim, cum propaganda per gentes fuiſſet Eccleſia, utilem fuiſſe patientiam, propter imitationem Gentilium; hodiè verò, poſtquam Chriſtiani facti ſunt hæretici, minus prædicantium labores, preces, vota, martyria prodeſſe, magis convenire etiam Eccleſiaſticis armatam defenſionem. Quaſi vero deeſſent alii, qui militare poſſent. Quaſi hoſtes Eccleſiæ non armis ſpiritualibus hodienum oppugnari debeant, iisque hodie æque ac olim vinci poſſint.

§. 6. Utilis (2.) eſt adverſus Calvinianos, eandem licentiam Miniſtris indulgentes. De Zvvinglio jam dixi §. 4. In eodem verò prælio una cum ipſo interfecti fuerunt alii ſedecim Miniſtri. Noſtro ſeculo A. 21. in obſidione Montalbanenſi *Chamierus* (Vir magni apud Hugonottas nominis, qui Paſtorem Montalbani agebat,) quanquam propugnaculo tegebatur, tormentaria pila in fruſta diſcerptus fuit; in utrumque paratus homo audax, thorace ferreo, haſtaque ad manum venerat in hunc locum, additurus militi animos; teſerente *Gramondo L. 10. p. 501.* Nec aliter hujusmodi facta *Voetius Polit. Eccleſ. part. 1. lib. IV. p. 370.* (ad quæ tamen ſuppreſſo nomine reſpicit,) defendere audet, quam quod id fecerint, non ut

Digitized by Google

usurpatores potestatis politicæ, sed ut religiosi observatores ejusdem; quippe privati subditi & ministri Principum aut Magistratuum suorum, quorum ductui & autoritati paruerint; quin etiam jussi pro parte sua tanquam boni cives subservierint, quousque scilicet cum Deo & bona conscientia hanc parendi gloriam non pugnare credidissent. Sed hoc factum est ab iis citra casum necessitatis, sponte uti historiæ testantur, adeoque per indebitam rei alienæ curam; adversus quam §. 3.

556

Locus XX.

De

MAGISTRATU POLITICO.

§. 1.

INter et Regnum Christi spirituale & regnum civile est realis distinctio, non essentialis oppositio; quod egregiè deductum est in *Apologia Augustan. Confess.* ad *Artic. XVI.* Hinc illius positio non est hujus exclusio. Apud *Hulsemannum Brev. c. 20. thes. 1.* idem probatur ex ipsa natura Religionis & relatione, quam habet ad Rempubl. Quicquid enim est forma accidentalis Reipubl. per id non abolentur ea, quæ Deus ad conservandum ordinem in societate humana constituit. Atqui Religio &c. Ergò. Minor est certa, juxta illud tritum: Ecclesia est in Politia. Major loquitur de forma Accidentali, quæ est secundum, non autem contra & præter naturam subjecti. Nam hæ id abolent aut corrumpunt, uti morbus ægrotum; Illa perficit ac conservat, sicut humor nativus & calor corpus.

§. 2. In Republ. verò eminet Magistratus, gloria parendi subditis relicta.

§. 3. A Latinis olim hoc vocabulo non Majestas ipsa, sed munus aliquod inferioti cuipiam ab illa commissum designabatur; Verbo: Non Magistratus summus, sed subalternus. Theologi verò de omni potestate Politica tam superiori quam inferiori hanc vocem in Theologia exegetica acceperunt. Hos imitati sunt Politici, Juris publici & civilis Scriptores, tanto consensu, ut ab omnibus hoc vocabulo Magistratus omnis sive inferior sive superior hodiè comprehendatur. Varia ejus nomina Biblica vide à *B. Botsacco in Moralibus Gedanens.* collecta *p. 571. seqq.*

§. 4. Nobis summus Magistratus est Potestas, (si in abstracto consideretur, tanquam res habita,) aut persona, (si in concreto, tanquam subjectum habens,) à Deo ordinata, ut ei subsit omnis anima, ad Dei gloriam & hominum tranquillitatem, *Rom. XIII. 1. 2.* (quod caput Melanchthon ex vero & eleganter Politi-

cam

eam Christianam vocavit,) 1. *Tim. II.* 3. 1. *Petr. II.* 13.

§. 5. Causa efficiens ejus est Deus, non approbando tantum, sed instituendo, *Rom. XIII.* 1. & 2. *Prov. VIII.* 15. *Dan.* 557 *II.* 21. *Joh. XIX.* 11. Hinc *Augustan. Confessio Art. XVI.* legitimas ordinationes civiles vocat bona opera Dei. Et *Apologia ad Art. VIII. pag.* 156. ut hæc, *inquit*, rerum natura conservatur à Deo: ita legitimæ Politiæ verè sunt ordinatio Dei, & retinentur ac conservantur à Deo adversus Diabolum. Dicitur quidem κλίσις ἀνθρωπίνη 1. *Petr. II.* 13. non tamen ratione causæ efficientis, sed materialis, sive subjecti, in quo recipitur θεία κλίσις; quæ est ex filiis hominum; uti Syriaca Paraphrasis habet.

§. 6. Imò Deus est causa ejus immediata, etiam adhuc hodiè; apud Theologos passim. His è recentissimis JCtis, vide subscribentem *Dn. Zieglerum*, loco *superior. capitis* §. 2. allegato.

§. 7. Nimirum accuratè hic distinguendum est inter circumstantialia & essentialia. Hæc sunt omnino ab ipso Deo immediatè; illa secundum, imò nonnunquam contra voluntatem Dei ab hominibus, ut v. g. his aut aliis ceremoniis ac circumstantiis huic aut illi Majestas conferatur.

§. 8. Quemadmodum autem ob hanc in populo potestatem, designandi personam in regno electivo imperaturam, nemo de jure seipsum potest obtrudere, sicut Asinius Senator voluntarius, lectus ipse à se, apud *Ciceronem in Philippica* 13. ita jus in Deo conferendi immediatè imperium personæ designatæ, non admittit in hoc negotio vicariam Papæ potestatem. Pertinent alias ad illam ex 50. splendidissimis titulis apud *Bzovium in Pontifice Romano*, hi: *Christianorum imperii columen cap.* 42. *Imperii Christianorum servator, cap.* 43. *Unctor Regum, cap.* 44. *Arbiter orbis, c.* 45. *Christianorum Monarcha, cap.* 1. *Potentissimus & sapientissimus & maximus Principum, Princeps super omnes Principes, Reges & Imperatores totius mundi, cui omnes Principes, Reges & Imperatores obtemperant, ibid. pag.* 7. Sed hujusmodi Dominium potestas clavium *Matth. XVI.* 19. & actus officii pastoralis, *Joh. XXI.* 16. *seqq.* non admittunt; tantum abest, ut his, ceu Pontificii volunt, sit comprehensum.

§. 9. Forma est potestas (ἐξουσία, cui per accidens aliquando deest δύναμις, potentia,) *extensive* in respectu ad omnes cives tàm clericos quàm laicos absoluta, sed *intensivè* ratione gradus limitata & quidem ex diversis causis, nunc ob legem divinam tantum, nunc ob fundamentalem, aut pactum legi divinæ, naturali aut gentium non contrarium, simul. Ratio: quia his omnis Princeps tenetur: solis enim legibus positivis est solutus, tanquam superior, quia eas tulit; lege verò divina, naturali & gentium, quia à DEO, natura gentiumque consensu pendent, nec superior est nec exemptus; imò 558 ne pactis quidem; quia ab illo solo non proficiscuntur.

§. 10. De *extensione absoluta*, constat ex Rom. XIII. 1. Cuicumque enim potestati omnis anima subdita esse debet, illius potestas est extensivè absoluta. Arqui potestati seculari &c. E. De *intensione limitata* ex *Deuteron. XVII.* 18. *seqq. Sapient. VI.* 4. *seqq.* Quicunque enim gubernare jubentur juxta librum legis, &, si aberrent, à lege justitiæ ex voluntate Dei

Dei puniuntur, illorum potestas est certa, (h. l. divina,) lege limitata. Atqui Magistratus Politici &c. E.

§. 11. Quod ad extensionem absolutam attinet *Rom.* XIII. 1. falsa est expositio Pontificiorum, abstrahentium hujusmodi potestatem tanquam Genus à potestate Ecclesiastica & civili, tanquam speciebus suis; ac si sensus præcepti Apostolici esset hic: Omnis anima sit subjecta potestatibus vel in Ecclesia vel in foro supereminentibus. Gladium enim gerere dicitur hæc potestas v. 4. qui jure divino Ecclesiasticis non competit.

§. 12. De jure Regis 1. *Sam. VIII.* 11. *seqq.* quod ad intensionem civilis potestatis pertinet, non una omnium Nostratium est sententia. Præcipui tamen, inter quos Lutherus ipse, id nec pro nudo facto, nec pro jure Politicè tantum, sed & Ethicè, h. e. pro verè ac intrinsecè justo habent. Quid? si super hac problematica quæstione concilientur dissidentes, & utrumque Jus assumatur, atque ad diversa facta applicetur? *Internum* (quod Ethicè actionem facit honestam & justam,) ad ea, quæ per usum hujus juris in casu necessitatis licitè suscipiuntur; *Externum* (quod Politicè actionem præstat validã,) ad reliqua, quæ per abusum citra necessitatem validè fiunt. In hunc modum exhauriretur etiam vis significandi in vocabulo שמד, quod non semper jus internum, etsi frequentissimè, sed & aliquando externum, & morem aut modum agendi apud homines validum, (summorum Sacerdotum, *ejusd. L. c. 2. v. 13.* inter quos etiam Heli non omninò justus,) denotat; quod observo *Compend. J. N. part. 2. c. 14. p. 214.*

§. 13. Hæc potestas ex parte suoque modo etiam est Ecclesiastica, consistens in dirigendo exercitio Religionis. Ecclesiastica verò dicitur, non ab immediata productione boni supernaturalis. Hæc enim non Magistratus, sed Ministerii (ministerialiter, principaliter autem Spiritus S.) est. Dici tamen sic potest, respectu finis & objecti. Cujus enim potestatis (1.) finis est Ecclesiasticus ex parte, (2.) Objectum aliquod reale, & (3.) personale, Ecclesiastica sunt, illa ipsa potest dici Ecclesiastica. Atqui hujus potestatis directivæ in Magistratu &c. E. Finis præter tranquillitatem publicam, est introductio ac conservatio cultus Christiani puri ac salvifici in omni pietate, 1. *Tim.* II. 2. consequenterque is est Ecclesiasticus. Objectum reale est exercitium religionis, prout est dirigendum; personale sunt Pastores Ecclesiæ. Quis autem hujusmodi objecta pro Ecclesiasticis non haberet.

§. 14. Hujusmodi verò potestatem convenire Magistratui ex obligatione præcepti divini, constat *Deut.* XVII. 19. Quicunque debet custodire statuta divina (ad faciendum ea, scil. ut à subditis etiam fiant,) illi competit potestas Ecclesiastica directiva. Atqui Magistratus &c. E.

§. 15. Displicet inter nostros *B. Hulsemanno* Titulus Architectonicæ potestatis, tanquam ineptus, qui huic circa ecclesiastica Regali imponi non debeat, *Breviarii cap. 20. thes. 9.* Accuratissimè verò notandum est, quo sensu id statuat; nimirum, quatenus potestas architectonica similis esse dicitur causæ subordinanti univocæ. Non enim potestas Ecclesiastica Magistratus influit in effectus supernaturales mediatè per potestatem Ecclesiasticam Ministerii, sicut causa univo-

voca ſubordinans per cauſas ſubordinatas influit in eundem effectum. Alias à non paucis Noſtratium dicitur architectonica, ſed alio ſenſu, inſtituendo ſcilicet generalem tantum collationem directionis inter architectum in extruenda domo, & Magiſtratum in dirigenda domo Domini. Vide par Jure-Conſultorum nobile, *Dn. Strauchium Exercitation. de quæſt. illuſtribus ſuper. ſeculi* 4. & 5. & *Dn. Zieglerum in diſſertatione de baptiſmo non iterando.* His non repugnat *Hülſemannus*; diſtinguit enim ipſe *loco dicto* §. 2. inter forum ſpirituale & Eccleſiaſticum; ut, diſtinctione hac rectè accepta, dubio procul ipſo non invito poſſit dari aut concedi Magiſtratui poteſtas Architectonica, non quidem in foro ſpirituali, benè tamen in Eccleſiaſtico, h. e. ut influat tanquam architectus in ea, quæ cultui divino externa, non interna ſunt; quod & illi, qui è Noſtratibus huic titulo favent, tantum volunt.

§. 16. Tanta vero hæc eſt poteſtas Eccleſiaſtica directiva in Magiſtratu, ut in caſu neceſſitatis poſſit admittere exercitium religionis, quam pro falſa habet. Tunc enim permiſſio poteſt eſſe mali, ut ipſa non ſit mala. Nam aliud eſt quærere, an id, quod permittitur, licitum ſit? aliud verò, an illius permiſſio licita? Non, quia Deus permittit peccata, propterea peccata licita ſunt. Non licet facere mala, ut eveniant bona: attamen mala in certis caſibus permitti poſſunt; ceu loquitur *B. Dorſcheus, in Anticriſi Theologica pag.* 12. Præcipuè verò id obtinet, ubi de permittendo habemus expreſſam divinam diſpoſitionem, uti h. l. Deus enim permiſſionem erroris in religione mandat, *Matth. XIII.* 29. ubi ſub certis circumſtantiis Zizania non evellenda eſſe diſcimus. Per Zizania verò hic intelligi hæreſin, patet ex oppoſitione ſeminis, quod eſt verbum Dei. Accedit, quod malum dogmaticum, h. e. doctrina religionis corruptæ, circa rem ſupernaturalem occupata eſt, ad quam hominis animus caligat; in qua judicanda per ſe nihil habet virium; ubi utplurimum contra conſcientiam nemo agit, aut aſſerit aut negat; ubi convictio eſt difficilis propter maximam proclivitatem humanæ indolis ad amplexandos errores, in quibus longè etiam ex illa cauſa pertinacius animi hærent, quam in veritatis luce. Hinc itaque major permiſſionis ratio. Ac, etſi etiam malum ſit corrupta doctrina, multò tamen plures tolerantiæ cauſas habet, quam quodcunq; aliud. Sic *B. Dorſch. Anticriſ. Theologica pag.* 10. ubi id ex *Auguſtino* & ex Pontificiis καθ' ἄνθρωπον pluribus probat. Confer *ibid. p.* 216.

§. 17. Sub errantibus autem in religione non includimus atheos, aut blaſphemos, ſed heterodoxos præcisè tales, quales nos videmus eſſe Pontificiis, ipſi cum Calvinianis ſunt nobis.

§. 18. Ad promiſſionem quoque hujusmodi errantium in religione requiritur ex parte periculi avertendi, ut id ſit phyſicum, ceu loquitur *B. Hulſemannus Breviarii cap.* 20. *ſuppl. theſ.* 8. (h. e. phyſicæ & à me inſuperabilis neceſſitatis,) non morale, (h. e. indifferenter à me hoc vel alio modo ſuperabile.) Ratio eſt, quia in poſteriori caſu nondum parit caſum abſolutæ neceſſitatis, extra quem promiſſio hujusmodi eſt illicita. Quicquid enim non minus ac alia peccata contra primam decalogi tabulam commiſſa, debet impediri, id extra periculum inevi-

tabile non est permittendum. Atqui omne fermentum falsæ doctrinæ &c. *Gal. V. 9. seqq.* E.

§. 19. In hujusmodi verò casibus cum ad gloriam Dei tanquam ad ultimum finem respicere opotteat Magistratum, jus fasque est id etiam faciant subditi.

§. 20. Quod si itaque Magistratus per receptionem Herodoxorum aut ipsius Heterodoxiæ peccet, licita, imò necessaria est subditis παῤῥησία contradicendi. Ratio: quia consensus in malo morali, & multò magis in dogmatico, tàm tacitus quam expressus, est peccatum.

§. 21. Ultra hoc similiaque tranquilla remedia, puta intercessionis magistratuum aliorum, &c. subditi ad violenta procedere, & Magistratui armata manu in hujusmodi casu resistere non debent, si respublica sit simplex, nullamque vel formæ vel pacti mixturam habeat. Tunc enim
561 pro Magistratu est ἐξουσία ὑπερέχουσα, *Rom. XIII.* 1. Quicquid ab hac clarè exceptum non est, id jure divino Magistratui est subjectum; Atqui in tali casu reformatio Religionis &c. Ergò. Si dubium sit, an pacto vel alia ratione subditi jus resistendi sibi acquisiverint? pro Magistratu militat præsumtio. Quæcunque enim potestas similis est Patriæ, pro illa in dubio est præsumptio absoluti dominii. Atqui potestas Magistratus summi &c. E.

§. 22. Aliter se res habet, ubi mixtura pacti vel formæ intercedit. Si *illa*; formula de tali casu debet esse clara. Ratio: quia alias res fit dubia, ubi, ten modò diximus, præsumptio est pro Magistratu. Si *hæc*; non opus est pacto. Sufficit enim ipsa Statuum in tali Republica possessio regalium, quæ si non omnia ac omnimodè, quædam tamen ac ex parte habent. Alias Respublica non esset mixta. Hinc argumentum generale, quod in specie in causa religionis multò magis valet: Quicunque habent regalia, illi etiam habent regalem regalia defendendi modum; qui nihil est aliud, quàm jus belli. Atqui in Republ. mixta status *&c.* Ergò. Major est certa; absque illa enim regali defensione regalia non essent regalia, sed miserabilia. Benè *Grotius l. 1. de J. B. & P. cap. 4. §. 13.* Quisquis, *inquit*, imperii summi partem habet, non potest non jus habere, eam partem tuendi.

§ 23. Eodem modo in alus casibus se gerere debent subditi erga Magistratum tyrannicè imperantem, ut e. g. adversus vim personis aut bonis illatam insurgant literis supplicibus, intercessionibus & modestis contradictionibus: Ad arma autem, nisi mixtura formæ aut pacti de hujusmodi casu certa ac clara adsit, non prosiliant; quod alias Monarchomachi indulgent ac suadent. Secta verò illa omnium maximè scriptis innotuit post lanienam Parisiensem anno superioris seculi 1572. commissam, interque ea eminent *Vindiciæ adversus tyrannos Stephani Junii Bruti*, quæ *Bezæ* alias, nuper verò à *Gisberto Voetio disputat. selectar. part. IV. disput. 20. pag. 231. seqq. Huberto Langueto* tanquam autori adscriptæ sunt. Is verò, gente Burgundus, fuit ad tempus D. Augusti, Saxoniæ Electoris, Consiliarius Intimus, Melanchthoni quoque ac Camerario familiaris & omnibus charus. Unde tunc tritus de eo in his regionibus versiculus:

Optimus Hubertus, melior quo nemo repertus.

Sed quo meliores etiam ac molliores animæ

mæ ſtudio partium, imprimis in negotio Religionis, non abripiuntur?

§. 24. Hæc verò omnia ſicut faciunt ad tranquillitatem hominum: ita licitè, 562
imò non raro in hunc etiam finem neceſſario infliguntur pœnæ; etſi alias quoque vi juſtitiæ commutativæ pœna delicto debeatur. Benè *Martyr Locorum communium pag.* 1036. præter leges divinas & humanas, etiam leges naturæ magiſtratum impedire *notat*, quo minus poſſit condonare pœnas.

§. 25. Correptio alias exercetur vel à ſuperiori, vel à pari, vel ab inferiori. Ad primam propriè pœna pertinet. Et de ſuperioribus quidem, inquit *B. Hulſemannus de correptione fraterna part.* 1. *p.* 21. quibus cura inferiorum demandata eſt, nullum poteſt eſſe dubium, quin incurrant animæ exitium, omittendo correptionem Magiſterialem in foro Eccleſiaſtico, civili & œconomico ſtatu, juxta illud *Ezech. XXXIII.* ſanguinem ejus repoſcam de manu tua; 1. *Reg.* 20. Quia cuſtos datus eras illi, qui periit, & non cuſtodiſti eum, erit anima tua pro anima ejus. Quod ſi etiam ad correptionem fraternam privatus aliquis, conſcientia humanitatis & ſocietatis humanæ admonitus & tactus, per legem naturæ excitatur, uti *B. Huiſemannus d. l. p.* 16. probat; quid de ſuperiori dicendum erit, fortius ad hoc citra dubium obligato? Contrarium ſentiebat *Auguſtinus contra Macedonium*, cujus 5. rationes refutatas vide apud *Martyrem d. l. p.* 1031. *ſeqq.*

§. 26. Quod autem ad ſolum Magiſtratum jus puniendi propriè dictum pertineat; *item*, ex qua cauſa id nulli privato competat, optimè docet diſtinctio correptionis apud Moraliſtas in judicialem paternam, paſtoralem, magiſterialem, fraternam, defenſivam, reſtitutivam, emendatoriam. De his *B. Hulſemannus l. c. p.* 6. eleganter: Priores, *inquit*, quatuor ſpecies non ſolum ex motu charitatis, ſed etiam juſtitiæ procedunt à ſuperioribus, ad caſtigandum & corrigendum ſimul, ſive ad emendandum peccatorem; denique ad reſtituendum læſum fratrem honori ſuo vel juri, quod læſit corripiendus: Cæteræ verò ſpecies correptionis procedunt à pari in parem, vel etiam ſuperiorem, ex motu ſolius charitatis fraternæ, aut dilectionis generalis erga gloriam Dei, & honeſtatem publicam, quam etiam privati tueri tenentur, avertendo & emendando in proximo id, quod honeſtati publicæ, utilitati proximi, aut gloriæ Dei injurium eſt; ex officio autem non competit privatis corripere fratrem animo vindicandi alium fratrem læſum aut ſeipſum, aut puniendi & caſtigandi verbis proximum lædentem; ſed tantum motu & animo emendandi fratrem peccantem & promovendi adeo ejus ſalutem. Unde intelligimus, jus puniendi ſuperioribus, & in civitate quidem civilibus magiſtratibus, relinquendum eſſe, ob legem juſtitiæ tanquam fundamentum hujus juris; ad quam in inferiores exercendam, ſpecialiter vocati ſunt, adque 563
eam ſe obligatos eſſe ex lege naturæ, & monente conſcientia intelligunt. Conf. *B. Hulſem. ibid. p.* 33.

§. 27. Bellum quidem punitivum non datur; non enim propriè loquendo puniri poteſt unus Magiſtratus ab altero, tanquam à pari. Interim tamen loco pœnæ eſt bellum. Sicut enim privatus ob illatas injurias ad pœnam poſcitur: ita ob easdem magiſtratus ipſi, cum inter eos

pœna non detur, ad bellum progrediuntur. Quo ſenſu procul dubio *B. Hulſemannus Breviar. cap. 20. theſ. 17.* bella ad pœnas, non tanquam harum ſpecies, ſed cognata, pertinere dicit. Exinde verò, jus belli etiam Magiſtratui extra Rempubl. æque ac jus puniendi intra eam competere, liquet.

§. 28. Pœnæ verò uti reſpectu ſubditorum, & bella reſpectu aliorum Magiſtratuum ſunt remedia violenta, quibus opus habet Respubl. poſt culpam commiſſam: ita leges ſunt media tranquilla, quæ Magiſtratus adhibet, &, ſi de civilibus ſermo ſit, ipſe ordinat ad culpam non committendam.

§. 29. Lex divina tam naturalis, quam poſitiva obligat directè conſcientiam; humana indirectè tantum. Ad priorem obligationem requiritur legislatio divina; ad poſteriorem ſufficit humana, modo dependeat à Deo. Nam, cui oportet ſatisfacere propter conſcientiam, id obligat in conſcientia. Atqui Magiſtratui civili adeoque legi etiam poſitivæ humanæ &c. *Rom. XIII. 5.* E. Vide *Compend. meum J. N. part. 2. prolegom. p. 19. & Autores ibi allegatos.*

§. 30. Dividitur Magiſtratus ſummus (quam diſtinctionem in ſummum & inferiorem, ceu par erat, ante definitionem retigimus § 3.) (1.) *Eſſentialiter* in Monarchicum, Ariſtocraticum & Democraticum; quod diſcrimen, uti eſt ſpecificum & in omnibus ſpeciebus genericam Magiſtratus formam perfectè ponit, ita multitudo perſonarum imperantium non derogat origini Magiſtratus divinæ. Nam ubique Deus confert imperium, homines autem deſignant tantum ſubjectum ejus. Vid. *ſupra* §. 6. & confer *B. Hulſem. Brev. cap. 20. th. 4.* (2.) *Accidentaliter* (ratione ingreſſus,) in hæreditarium & electivum; deinde (ratione progreſſus,) in bonum & tyrannicum (ἀγαθὸν καὶ σκολιὸν, ſicut Dominus dividitur *1. Petr. II. 18.* propriè tortuoſum, h. l. impropriè difficilem, dyſcolon in Vulgata, wunderlichen in verſione *Lutheri,*) tandem (ratione egreſſus,) in temporarium & perpetuum.

§. 31. Inter adjuncta Magiſtratus eminet honor ac ſplendor in victu ac amictu eximius. Propter ſplendorem victus jus in feras ſylvarum atque agrorum venatione acquirendas, paſſim in Magiſtratum à ſubditis juſtè translatum eſſe, probatur in 564
exemplo Salomonis *1. Reg. IV. 23.* & aſſignatione divina *Jerem. XXVII. 6. & XXIIX. 14.* non obſtante dominio in beſtias omnibus hominibus commiſſo, *Gen. I. 28, IX. 2.* Nam ſubditi juri ſuo ex dictamine gratitudinis meritò renunciarunt.

APHORISMUS I.

In Respublicas earumque Magiſtratus nec directè nec indirectè Papa habet poteſtatem.

SCHOLIUM.

§. 1.

AD hæc rectius intelligenda, notandum eſt diſcrimen inter Principatum Pontificis ſecularem & Eccleſiaſticum: ceu id multis deducitur à *Dno Conringio, Animadverſionum Politicarum in Machiavelli Principem cap. XI. pag. 113. ſeqq.*

§. 2. Secularis autem non tantum eſt dominium ejus proprium in magna parte Italiæ, & Comitatu Avenionenſi Galliæ; ſed

sed complectitur etiam jus superioritatis, quod respectu quorundam regnorum & principatuum, in quibus alias ne casulam quidem possidet, sub speciali titulo collationis, auctionis aut similium, prætendit. Id verò latissimè se extendit. Inter sua enim beneficia & feuda numerat Angliæ, Syriæ, Solymæ, Neapolis, Siciliæ, Arragoniæ, Sardiniæ, Corsicæ, Canariæ, Poloniæ, Hungariæ, Granatæ, Lusitaniæ, Castellæ, Islandiæ, Balearium, Norvvegiæ, Sueciæ, Daniæ, aliaque regna; uti in compendio refert scriptor Anonymus, qui anno 1615. hæc vulgavit in Galliis, notante *Gramondo lib. hist. 1. p. 64.* Nec ipsum Germanicum Imperium hoc onere exemptum est, si eos audire velis.

§. 3. Ecclesiasticus ejus Principatus subjectos sibi esse vult summos Imperatores, Reges ac Principes omnes directè vel indirectè, secundum diversas Romanorum adulatorum blanditias. Solus Papa nemini obsequium præstat; nempe ex prærogativa characteris, uti loquuntur; quia patrem subesse filiis contra naturam esset. Nimirum tantam potestatem pessimè sibi adscribit ex malè allegato Vicariatu Christi; unde Στοχεσία spuria aut fictitia jure meritoque dicitur; oppositа veræ illi, quam in populo Israelitico olim obtinuisse sub hoc titulo, benè notat *Josephus lib. 2. contra Apionem.*

§. 4. Specimen hujus potestatis genetalis vix unquam dedit illustrius, quam
565 post inventum novum orbem, etsi quoad eventum simul inutile atque cassum. Cum enim circa finem currentis seculi XV. America inveniretur, litem inter Castellæ (Hispaniæ,) ac Lusitaniæ Reges, de occupandis illis provinciis non tam composuit, quam auxit vox Pontificis dictatoria. Contendebat Lusitanus, ignoti orbis explorationem venia Pontificum Romanorum & nominatim Eugenii 4. ad se universim pertinere. Hinc cordatæ quæstiones *apud Jesuitam Johannem Marianam Hist. Hispan. Tom. 2. lib. 16. pag.* 451. quid Castellæ Rex in alieni juris provincias invaderet? Quid novo conatu alieni laboris & industriæ fructum occuparet? Rex autem Castellæ Alexandri VI. diplomate causam tuebatur, quod, etsi aliquanto post novo diplomate correctum fuit, lis tamen ex ea concordia denuo nata est, nexa priori, fatente *Mariana dicto loco*, donec *Joh. III.* Lusitaniæ Rex Carolo V. Imperatori Hispaniæque simul Regi, tercentum quinquaginta mille aureis immuo datis ea lege, ut à commercio Moluccarum ipse & posteri abstinerent, donec ea summa bona fide reddita esset, litem pecunia diremit, multaque alia post contigerunt, quæ fortius Pontificis bulla novos novi orbis Dominos à studio novarum rerum revocare potuerunt.

§. 5. Adversus hanc generalem potestatem ex Ecclesiastico Pontificis Principatu fluentem, acriter & eruditè disputatum in Gallia anno hujus seculi 15. in Comitiis trium ordinum Lutetiæ habitis, ita quidem, ut non ante doctius, non agitata quæstio elegantius dicatur *Gramondo l. c.* qui elegantissimè omnia more suo refert. Regum potestatem Deo immediatè deberi, de fide esse ut credamus, Tertius ordo sive populus propugnabat, legemq; fundamentalem esse volebat, consentientibus probantibusque Lutetiani Parlamenti Patribus: sed Cleri nomine & nobilitatis, qui sunt primi duo ordines in Gallis, Rupifulcaudio & Perronio Cardinalibus repu-

Cardinalibus repugnantibus. Habentur autem ibi, quæ legi omninò mereantur, tàm sacris & politicis rationibus, quam antiquitate firmata, & Pontificis potestati validè oppositæ. Nos hac vice tantum notamus, quam sorex Perronius se aulæque Romanæ secreta prodiderit, dum negare velle eam potestatem, nihil aliud dicit esse, quam rebellionem in solium Petri. Nimirum non ut regna, quod prærendunt, sed ut suam Monarchiam conservent, in alios inique imperium sumunt. Hinc etiam animosiores populi nimiæ illi potestati semper contradixere. De Gallis modò dictum est. Sed & Germani nostri jugi Pontificii impatientes jam ante Lutheri tempora ab onere illo se liberare allaborarunt. Inde currente seculo 15, nationis Germanicæ querelæ, Avisamenta Constantiensia inscriptæ, ad concilium Constantiense factæ; Avisamenta Moguntina Anno 1427. Imperatoris Sigismundi reformatio Ecclesiastica Anno 1440. &c.

566

§. 6. Quod autem eam principatus secularis partem attinet, qua titulo collationis superioritatem sibi in nonnulla regna ac provincias arrogat, disputatum est de ea, speciatim quoad Monarchiam Siciliæ, sub initium hujus seculi inter *Cardinalem Baronium & Cardinalem Columnam*, defendente *illo*, *hoc* impugnante Pontificis Potestatem. Sed ille non potuit dissimulare arcanam rationem, qua motus, patrocinium malæ causæ susceperit. Nam *pag.* 221. præstiti, *inquit*, animo non invito, meæ memor conditionis atque juratæ promissionis, quam cum in amplissimam (Cardinalium,) cooptatus sum dignitatem, ex scripto sacræ formulæ recitato terribili juramento, cujus tantum memoria animus horret, & occupat membra tremor, spopondi pro conservandis Ecclesiæ juribus illibatis, certaturum ad obitum usque & memoria retinens, quod neque alia conditione vocatus ad pileum, nisi ut hujusmodi purpurei coloris insignibus ad martyrium meum scirem pro Ecclesiastica libertate tuenda cæterisque Ecclesiæ juribus defendendis esse sanguinem oppignoratum. E quibus verbis simul discere possumus (1.) quam coactus sit consensus, quem Cardinales in hoc & similibus negotiis Pontifici præbent, pendens scil. à tàm terribili juramento. Quis autem miretur, Ecclesiam Romanam hoc modo esse unam? (2.) quæ sit pars officii Cardinalitii potissima, scil. promovere non regnum Christi, sed Papæ, quod est de mundo: & (3.) quale sit martyrium, ad quod vocantur Cardinales, non Apostolicum, ob Evangelium Christi, sed politicum, propter defensam potestatem Papæ secularem. Hanc autem *Baronius* tanta propugnavit audacia, ut adversus Regem Hispaniæ dicto loco disputans, non erubuerit exclamare: O fraudem solennem Cornelia lege plectendam! quod graviter ipsi jure meritoque exprobrat *Columna p.* 159. quid *inquiens*, tibi Ecclesiastico viro Principem corrigenti cum Cornelia lege commune? Hæc enim lex pœnam temporarii aut perpetui exilii, fustigationis, confiscationem bonorum aut ipsum etiam supplicium, pro varietate circumstantiarum, delinquentibus imponit.

§. 7. Alteram partem principatus singularis, qua in Italia sub proprio dominio undecim provincias, & in Gallia Comitatum Avenionensem habet titulo possessionis, fortè in foro soli, non poli, quoad

Digitized by Google

quoad validitatem politicam, non bonitatem Ethicam, tueri potest. CHRISTUS sanè Apostolos suos non patitur κυριεύειν καὶ ἐξουσιάζειν *Luc. XXII. 27.*
567 καταξυριεύειν καὶ κατεξουσιάζειν *Matth. XX. 25. Marc. X. 42.* sed hanc potestatem vindicat Principibus gentium & Magnatibus.

§. 8. Usus hujus aphorismi in didacticis est, tum in h. l. de Magistratu, ut potestas ejus, quippe superior omnibus, nemine inferior, recte intelligatur; tum in loco de Ministerio, ut officium ejus intra suos limites contineatur.

§. 9. In polemicis valdè utilis est adversus Pontificios, non tantum in genere sive thesi, quando quæstio est de potestate Papæ singulari, aut Magistratus civilis, sed & in specie sive hypothesi, quando Germaniam v. g. jugo Pontificis eximere volumus.

APHORISMUS II.

Magistratus civilis non est dicendus Ecclesiæ alicujus particularis caput.

SCHOLIUM.

§. 1.

ALiud est, habere regale dirigendi exercitium religionis; aliud est, esse caput Ecclesiæ. *Illa* phrasis est orthodoxa; *hæc* est Pontificia. *Illa* denotat potestatem ordinatam; *hæc* absolutam in negotio religionis.

§. 2. Quando verò hanc potestatem Magistratus in Ecclesia numeramus inter Regalia, negamus inde sequi, quod solum politica sit, & in defensione religionis contra externam vim acquiescat, uti placet *Bellarmino lib. 3. de memb. Eccles. c. 17.* & communiter omnibus Romanæ aulæ Advocatis. Nec porrò sequitur, quod œconomica tantum sit, de sustentatione ministrorum solicita & aliis, quæ ad œconomiam Ecclesiæ generalem pertinent, uti sunt templa, numerus locusq; Pastorum, *&c.* sed est simul Ecclesiastica, licet externa. Per hoc verò ab interna potestate, Ministris Ecclesiæ propriâ, differt, quod Ecclesiastica tractat, sed non Ecclesiasticè, h. e. de cultu introducendo, conservando, redintegrando agit, præcipitque, sed ipsa non docet, non remittit peccata, aut administrat Sacramenta, aliaque ministris Ecclesiæ relinquenda. Architectonica inde meritò appellari potest. Magistratum enim architecto simillimum esse negari non potest, quando de cura ejus & dispositione in domo Dei cogitamus. Elegantia sunt verba *Aristotelis l. 1. Magnorum Moralium c. 1.* Est nimirum, *inquit*, in ædificatura, ut dici solet, unus quispiam Architectus, cui ministrat ædificator; is domus est effector. 568
Est enim & Architectus effector, cujus præscripto ad domum extruendam se faber accingit. Quemadmodum autem Philosophus h. l. prudentiæ hunc titulum appositè tribuit, quia reliquas virtutes regit, & de circumstantiis, prout agendum est, monet; ita nec incommodè, propter similem rationem, de Magistratu idem in directione cultus dici potest. Confer omninò *supra* §. 15. in quo deduximus, quo sensu titulus Architectonicæ potestatis *B. Hülsemanno* displiceat; & vide præter *Dn. Strauchium* & *Dn. Zieglerum* ibi allegatos, etiam *Marc. Antonium de Dominis, de Republ. Ecclesiastica l. VI. cap. 5.* & *Dn. Conringium Exercit. de Magistratus civil. auctoritate & officio circa sacra.*

§. 3. Usus

§. 3. Usus hujus Aphorismi in didacticis est tum in hoc loco de Magistratu, ut ne quid nimis ei attribuamus; tum in loco de Ecclesia, ne caput ei minus aptum imponamus.

§. 4. Usus ejus in Polemicis præcipuus est adversus Anglos, qui superiori seculo deficiente à Pontifice, etsi non à Pontificia religione, Heinrico IIX. Regi titulum capitis Ecclesiæ Anglicanæ imposuerunt. Negar tamen illum semper ex eo tempore usurpatum fuisse, aut adhuc hodiè usurpari recentissimus Scriptor Anglicus *Johannes Durellus*, *Regiæ Majestati à sacris*, *in vindicias Ecclesiæ Anglicanæ adversus Schismaticorum criminationes, Londini Anno* 1669. *impressis*, *pag.* 18. Monendus est, *inquiens*, lector, capitis Ecclesiæ titulum, quem Clerus Anglicanus, quanquam Ecclesiæ Romanæ erroribus adhuc infectus, Heinrico IIX. Regi detulerat, quemque Maria, Pontificia licet, per aliquot tempus usurpavit, ab Elisabetha Regina (Calviniana,) repudiatum, pro quo dici voluit, suadente Ecclesiæ Anglicanæ Clero (Reformato,) in omnibus causis & supra omnes personas tàm Ecclesiasticas, quàm civiles, intra suæ Majestatis regna & ditiones, suprema gubernatrix. Qui titulus exinde à Principibus nostris ad hunc usque diem semper usurpatus est, quique à nobis in orationibus nostris, sive ad orandum exhortationibus ante concionem, non alius, illis tribui solet. Confer *ibid.* *pag.* 19.

APHORISMUS III.

Magistratus civilis habet potestatem in casu necessitatis & in commodum periclitantis Ecclesiæ alienandi bona Ecclesiasticorum.

SCHOLIUM.

§. 1.

JUvat ante omnia notare originem & causam, quæ in bona, ut loquuntur, immobilia Clero potestatem dedit. Nimirum ad sacros usus primum ædificia extructa, mox etiam, ubi Ecclesia magis magisque quoad bona fortunæ florere incepit, certa prædia imò territoria hominibus pie laborantibus à Magistratu Politico assignata sunt. Verum ubi Pontificum potestas altius ascendit, Monarchiæ suæ fulcimina ea etiam bona esse voluit; imò dubito, an Pontifex & purpurati ejus solidius potentiæ suæ fundamentum jecerint, quam hæc bona, ubi quidem ea Magistratus jurisdictione eximere, & dispositioni suæ subjicere valuerunt. Inde evigilantes Magistratus quasi ex alto somno, nonnunquam de repetitione cogitarunt; sed cum ex orco & Papatu nulla sit redemtio, quæsitum saltem fuit, annon in casu necessitatis & in ipsius Ecclesiæ commodum, potestatem alienandi illa bona recipiat Magistratus? 569

§. 2. Distingnimus autem h. l. (1.) inter Ecclesiastica & Ecclesiasticorum bona, licet usus hæc duo confundat. *Prioris* generis sunt, quæ ad usus sacros adhibentur; *posterioris*, quæ ab Ecclesiasticis, in se alias & ex usu suo ab aliis non diversa bonis, possidentur. Et de his potissimum nobis est sermo. (2.) Inter bona Ecclesiasticorum

Digitized by Google

rum abſoluta, qualia ſunt ipſius Papæ; & inter alia Epiſcoporum, *&c.* in aliqua Republica. De poſterioribus nos hic tantum loquimur. (3.) Inter uſumfructum & jurisdictionem. (4.) Inter jurisdictionem ex gratia & de jure proprio; & (5.) quæ inde fluit, inter jurisdictionem ſummam & inferiorem.

§. 3. Ex his Aphoriſmus facilè declarari ac probari poteſt. Incedemus autem, ut omnia ſint clariora, per gradus.

§. 4. Magiſtratus (1.) ea, quæ alterius uſui ſubjecit, ſemper, citra neceſſitatis etiam caſum, repetere poteſt. Non enim veriſimile eſt, Dominum ſe omni in rem ſuam poteſtate eximere voluiſſe, quando ad uſumfructum alterum admiſit.

§. 5. Sed eſto (2.) bona illa, non tantum quoad χρῆσιν, ſed etiam κτῆσιν, translata eſſe ad Eccleſiaſticos; qualia eſſe omnino apparet, ſi ea, uti de facto ſunt, non uti de jure eſſe deberent, conſideraverimus.

§. 6. Habeant etiam (3.) jurisdictionem ſuam, & plures ſtolæ, uti de Herbipolenſi Epiſcopatu ſolo olim dicebatur, enſe judicent; tamen, quæ illa erit aut qualis? nimirum ex gratia indulgentis Magiſtratus, ejusque reſpectu ſemper inferior.

§. 7. Hinc (4.) in utilitatibus & neceſſitatibus publicis bona eorum cum aliorum ſubditorum bonis in eundem cenſum venient, ſubigenda imò alienanda, ubi ingens neceſſitatis telum coegerit. Hoc enim jus eminentis dominii eſſe, apud Po-
570 liticos in confeſſo eſt. Inde nec inutiliter nec imprudenter in Romano Imperio bona pleraque Epiſcopatuum & ſimilia onetibus feudalibus tenentur, aut publicis ſubjecta ſunt, ut cujus feuda haberi debeant, res loquatur ipſa. Agnoſcit hoc *Caramuel in pace licita demonſtrata n. 332. pag. 217.*

§. 8. Quid itaque (5.) ea à communi illo ſubditorum omnium fato in extrema neceſſitate eximeret? forſan quia, ſaltem conſequenter, ad Eccleſiam pertinent? ſed jam loquimur de eo caſu, quo neceſſitas ipſam Eccleſiam urget, ut ejus, tanquam totius corporis, conditio deterior futura ſit, ſi absque hac partis cujusdam præciſione aut alienatione relinquatur ægra.

§. 9. Hinc inter ipſos Pontificios nonnullis veritas confeſſionem expreſſit. Recenſet illorum teſtimonia *Johan. Hoornbeck in examine bullæ papalis*, qua Innocentius X. pacem Osnabrugenſem abrogare voluit *pag. 135. ſeqq.* inter quæ eminent, quæ habet *pag. 137.* Quin imò ipſimet Jeſuitæ Cæſari Ferdinando II. autores fuerunt, ut ex monaſteriorum recuperatorum reditibus quosdam ad alios uſus converteret; unde ſic ſcribunt *Diſſingenſes in placida diſceptatione pag. 15.* Ex monaſteriis Epiſcopatibus ſuccurritur, dantur Commendæ benè meritis & accipiuntur. Hoc ſacrilegio deputare, hominis eſt leges ignorantis *pag. 24.* Cur ægrè ferrent ordines Religioſi, quædam Monaſteria Cardinalibus, Archi-Epiſcopis cedere? *pag. 6.* Imperator ratione juſtitiæ obligatur, ex monaſteriis recuperatis Eccleſiarum ſive Epiſcopatuum debita diſſolvere, dare militibus, Rempubl. opis egentem adjuvare. Idem ſtatuit *Laymannus Jeſuita in juſta defenſione in proœmio num. 28. 30. 31. &c.*

§. 10. Utilis eſt hic aphoriſmus in didacticis in hoc loco de Magiſtratu, ubi hujus tranquillat conſcientiam, ſi in caſu

necessitatis ad hæc extrema sit confugiendum.

§ 11. In polemicis usus ejus adversus Pontificios quamplurimos longè maximus est, ferentes citius Ecclesiam quàm aliquid ex bonis Ecclesiasticorum perire. Experta id est Germania sub auroram exorientis pacis Osnabrugensis, Anno 47. & circiter, quo *Ernestus de Eusebiis, Christianus fidelis, & Hermannus Eudemannus* vel maximè ex hoc capite de bonis Ecclesiasticorum, pacem cum nostris ineundam Imperatori publicis scriptis dissuadere ausi fuerunt; veritatem strenuè propugnante B. Dorscheo, qui Eusebio Prodromum Antieriseos Theologicæ, sive invectivam in vehiculum judicii Theologici, deinde ἀνίλεγμιν ipsam & Trigam
171 σύνδρομον Antieriss. sive pro pace Religionis consilium JCtorum Patavinorum, Marci Mantuæ Bonaviti, Philippi Jacobi Portii Imolensis, Tiberii Decani Utinensis, solidissimè oppositi; ex ipso quoque Pontificio clero, sed minus candidè, consentiente Caramuele, qui pacis licitæ prodromum & syndromum scripsit. Vide quoque è Nostris Dn. Conringium de pace perpet. inter Imp. Germ. Ordines religione dissidentes servanda.

APHORISMUS IV.

Magistratus orthodoxus potest, urgente necessitate, defensionem heterodoxæ religionis aut potius heterodoxorum, vel juratò promittère & præstare.

SCHOLIUM.

§. 1.

DEfensio religionis pro hæretica habitæ suscipitur aut cum defensione veræ simul contra hostem communem civitatis, cujuscunque sit religionis ille, aut sine ea contra hostem ejus religionis, quam Magistratus pro vera habet. Plures modi, quibus ad talem defensionem Magistratus obligari possit, fingi nequeunt. Sed in neutro malitia. *Non in primo*: defendit enim hæreticos ibi non qua tales, sed qua cives. *Non in secundo*: licet enim hic adversa religio ipsa ab hoste sæpiusculè oppugnetur, & ex consequentia contra eum etiam defendatur ab eo, qui talium civium defensionem suscepit; honesta tamen ea est defensio & extra culpam, quia in tali casu oppugnantes religionem falsam non tanquam defensores veræ religionis, sed ut turbatores pacis publicæ coercentur. Ad hoc verò per conscientiam suam Magistratus omnis obligatur; tantum abest, ut reclamet illa.

§. 2. Nec per hoc ab errore hæreseos participat. Non enim hæresin, sed hæreticum, nec eum qua talem, sed qua civem defendit; qua in re etiam sibi ad majorem conscientiæ tranquillitatem expressis verbis in fœdere cavere potest: Daß wir es nicht halten wollen mit dem Irrthum / auch nicht beschirmen; prout habet consilium Bugenhagii ad Electorem Johannem scriptum. In quam sententiam inclinavit ipse Imperii Cancellarius Seldus, ad Imperatorem *Ferdinandum I.* apud *Berneggerum quæstion.* ad Agricolam Taciti dodecade 3. quæst. 10.

§. 3. Juramentum verò Magistratus ubi obstare videtur, limitatio etiam aliqua aut exceptio addita est, qua illi, quibus

572 bus defensio promissa est, sufficienter eximuntur. Exempla sunt in promtu. Sic in Gallia adjecta Anno 1615. exceptio formulæ, qua declaravit Rex, se Sacramento illo, quo omnes, quos Ecclesia hæreticos renunciaverit, regno ejecturum, nihil de Calvinianis cogitavit, ceu refert Gramondus *Lib. 7. pag. 362.* Ut taceam alias clausulas: in quantum divino fultus adjutorio potero; secundum scire ac posse; recta & pura fide; pro posse; & similes; quæ ad tranquillandam promittentium conscientiam ob varios casus adnecti consuevere.

§. 4. Utilis hic est Aphorismus in Didacticis; ut Magistratus limitibus nimis arctis se suamque conscientiam includere ne patiatur.

§. 5. Eadem via agnoscimus etiam usum ejus in Polemicis. Non enim desunt ex Pontificiis, qui litem hic nobis moveant; inter quos eminebat An. 1647. *Ernestus de Eusebiis, Cevis Romanus*, personatus Scriptor, in *libello*, quem vocat: *Judicium Theologicum super quæstione: An pax, qualem desiderant Protestantes, sit secundum se illicita? impresso sumptibus & typis Theodosii de Steeela Armona:* in quo *sect. 6. ratione 5. p. 23.* graviter quoad affectum & leviter quoad effectum, demonstrat, Cæsarem ex officio & juramento supremi Advocati Ecclesiæ, teneri Religionem Pontificiam, jura item sedis Papalis & Ecclesiæ R. pro virili defendere & promovere. Huic igitur ejusque similibus respondendum est ex dictis hactenus. Conf. *P. Dorscheum in Anticrisi p. 79. seqq.*

APHORISMUS V.

Potest aliquando Magistratus Christianus fœdera inire cum infidelibus.

SCHOLIUM.

§. 1.

Hæc omnia salva, salva Dei gloria. Nam quædam ex his Christiano Magistratui, ut sunt fœdera de non offendendo, de finibus tuendis, de mercibus exportandis & advehendis &c. per quæ neque religio, neque gloria Dei periclitatur, concessa esse, in propatulo est.

§. 2. Graviora & majoris difficultatis sunt fœdera, quæ sanciuntur de auxiliis mutuis ferendis. Contingere enim potest, ut cum Christiano quodam Magistratu bellum gerat infidelis ille, cui jure hujusmodi fœderis auxilium ferendum sit. Talia nos, quibus obligatio ad ferendum suppetiras inest generalis, & absolutè adversus Christianum valet, rejicimus simpliciter. Impediunt enim nos, quo minus gloriam Dei valeamus appetere ac promovere.

§. 3. Longè alia est ratio, si Christianus ipse ex justa causa contra Christianum, à religione tamen sua valdè diversum, coactus & ad incitas ferè redactus bellum gerat, & ab infideli subsidia petat aut exigat. Exemplo sit Lutheranus Princeps contra Magnum Moscoviæ Ducem summa æquitate iniquissima fortuna pugnans. Quæritur: Num hic infidelem in subsidium vocare possit? Nos affirmamus id, sed sub tutela ac cautelis prudentiæ, cujus est providere, ne per consequentiam gloria Dei violetur; quod metuendum esset, si illi (infideli) pars devictarum regionũ concederetur, in quas exclusa 573

Religione Christiana impura, errores suos impurissimos introduceret. Pluta vide inter plurimos alios apud *Reinkingium de Regimine seculari & Ecclesiastico l. 2. classe 3. c. 3. num. 45. seqq. pag. 1030. seq.* Contrario verò modo si res se habeat, aut morali certitudine videatur se habere posse, tutius sanctiusque periculosa ac dubia illa fœdera, uti rectè vocat ea *Keckermannus System. Politic. lib. 1. c. 24. can. 2. pag. 1009.* non contrahuntur, quam Religio Christiana, licet justa justis defensione, in manifestum periculum adducatur.

§. 4. Utilis igitur hic est Aphorismus in Didacticis, ut Magistratus in ineundis hujusmodi fœderibus nec excedat nec deficiat. In Polemicis autem munit nos tum adversus temeritatem eorum, qui omnia fœdera cum infid. putant esse licita; tum contra superstitionem nonnullorum, qui nulla credunt licita esse; vide *Grotium lib. 2. de Jure Belli & Pacis cap. 15. §. 8. & seqq.* Nos de Pontificiis adnotamus tantum, quam apud *Gramondum histor. Gallic. l. 3. p. 205. seqq.* Hispani ac Galli hac super re A. hujus seculi XVIII. ferram contentionum ac criminationum traxerint, imputantes sibi invicem fœdera cum Turcis ac hæreticis inita. Id autem notatu dignum est, quod in objectionibus & responsionibus suis non tam ad gloriam Dei, quam Papæ respiciant. Gloriæ autem divinæ, quando ab iis habetur ratio, simul accedit superstitio. Eminent hæc, nomine suppresso, in Epicrisi ipsius *Gramondi pag. 208.* utilitatem fœderum cum Turca recensentis, sensu citra dubium Papistico & habita imaginariorum meritorum ratione. Monstratur, *inquit* (beneficio scil. fœderum inter Gallos & Turcas,) ubi Christus conceptus, ubi natus, ubi educatus, ubi tot miracula edidit; hic cœnæ, hic prehensionis locus, hic judicatus, hic flagellatus, hic arundine illusus &c. Fortè tamen committitur hic etiam fallacia non causæ ut causæ. Quis enim hæc semper fœderibus Gallorum cum Turcis imputet? & quid tandem libertas visitandi loca sacra, quam gloriantur se conservare, ad captivitatem innumerorum Christianorum, vivorum templorum DEI, quæ facilè hinc potest sequi? 574

APHORISMUS VI.

Magistratus Christianus contra infideles, qua tales, ob solam Religionem bellum gerere non debet.

SCHOLIUM.

§. 1.

DEstituitur nimirum ad hoc faciendum (1.) mandato Dei; (2.) causa justa. Non enim læsus est ab infidelibus, qua talibus, in jure aliquo suo; quæ conditio bellum justum necessario antecedit.

§. 2. Contra, huic facto repugnat (1.) ordinatio divina, secundum quam 2. *Cor. X. 4.* arma militiæ nostræ non carnalia sunt sed spiritualia; (2.) praxis Apostolicæ & primitivæ Ecclesiæ, 2. *Cor. l. 24.* Non dominamur fidei vestræ. Huic conformia olim Concilia ultra anathemata non processerunt. (3.) natura Religionis. Nihil enim est tàm voluntarium, quam Religio; *Lactant. L. de justit. c. 19.* quod ex ipsis *Jesuitis* agnoscunt *Josephus Acosta, de procuranda Indorum salute L. 1. cap. 13. p. 165.* Nihil, *inquiens*, ita fidei susceptioni adversatur, atq; vis omnis & violentia.

lentia. Non enim est fides, nisi volentium, ut proverbii loco sit illud *Augustini* (*tr. 26. in Joh.*) cætera posse hominem etiam nolentem, credere non nisi volentem; Et *Perpinianus Orat. XVI. de retin. vet. Relig. p.* 520. Ego neque viudicem generis humani, neque Apostolos in omnes partes ab illo dimissos, neque Apostolorum successores, armisaut fundasse aut propagasse video, quam posteritati tradiderunt, disciplinam. *Item paulo post*: Non armis, sed animis; non feriendo, sed ferendo; non occidendo, sed moriendo dimicaverunt. E Politicis *Thuanus in Epist. nuncupator. Hist. pag.* 2. Alia, *inquit*, omnia pro arbitrio civilis Magistratus atq; adeò Principis sanciuntur; sola Religio non imperatur, sed ex præcepta veritatis opinione, accedente divini Numinis gratia, benè præparatis mentibus infunditur. Ad eam cruciarus nihil valent, quin obfirmant potius animos quam frangunt aut persuadent. Vide omnino *totam illam Epist.* in qua hoc argumentum egregiè pertractatur.

§. 3. Utilis est hic Aphorismus in Didacticis ad limitandum Magistratus officium, ut ne Zelo suo excedat. In Polemicis autem facit adversus Pontificios & practicè & theoreticè excedentes.

§. 4. Practicè excedunt tum alibi tum
375 in America potissimum, mediis violentis quam plurimis Christianismum non tàm fundantes quam humanum sanguinem fundentes. Non enim minus verè iterum *Jesuita Acosta* quam cordatè *d. l.* Cum *inquit*, Indorum natio bellici apparatus potius autoritate, quam germana prædicatione magna ex parte initio Christum acceperit, dubitare non possumus, quin animò conceptum metum & servilem conditionem, non ingenuè in filios Dei translata per regenerationem, adhuc retineat, ac rebus ipsis, ubi sibi impunè licere putat, ostendat.

§. 5. Inter eos, qui theoreticè excedunt, eminent Moralistæ, quorum sententiam mollissimè proponit *Martinus Bonacina Tom. 2. Oper. tract. de Contract. disp. 2. pag.* 107. Distinguit ibi inter triplex genus infidelium: *Quidam* sunt subjecti Principi Christiano de facto & de jure, ut Judæi inter Christianos: *Quidam* sunt subjecti Christianis de jure & non de facto, ut illi, qui occupant terras, in quas Christiani jus habent: *Quidam* denique non sunt subjecti, neque de jure neque de facto, uti Indi. De his verò tertii generis infidelibus est quæstio; contra quos bellum non per se, benè tamen per accidens, geri posse statuit, inprimis in duobus casibus; (1.) quando impediunt prædicationem Evangelii; (2.) quando committunt peccata, quæ afferunt damnum proximo, v. g. devorando aut immolando innocentes. Sed ubinam (*a*) & á quo jure ejusmodi propositio fidei nobis mandata est? potius (*b*) gladius Magistratui datus est contra injustè agentes, sub conditione superioritatis *Rom. XIII.* 1. 4. charitas autem proximi non tollit distinctionem Politiarum.

§. 6. Argumentum Biblicum, quo potissimum nituntur, desumunt è *Luc. XIV.* 23. Exi in vias & sepes, & compelle (ἀνάγκασον,) intrare. Sed à compulsione spirituali ad militarem N. V. C. Benè *Maldonatus Jesuita in Matth. XXII. col.* 482. Quod autem dicit, compelle intrare, non significat, ad fidem cogendos esse homines: sed adeò rogandos, adeò incitandos, ut quodammodo compelli videantur.

tur. Quod si tum quoque nolint, charitas nostra in eos, debet subsistere intra generalia, adjuvando eos apud Deum per preces, &c. salvis juribus proprietatis in aliena Republica; nullo vero modo ad medii violenta est progrediendum. Longè alia ratio erat Israelitarum olim, bellum internecinum ex speciali mandato Dei gerentium adversus idololatriæ aliorumque gravissimorum scelerum reas gentes. Hoc enim plane erat extraordinarium; à quo ad ordinaria N. V. C.

176 APHORISMUS VII.

Magistratus Christianus potest certam confessionis formulam subditis præscribere, eosque juramento, quod vocant, Religionis, obstringere.

SCHOLIUM.

§. 1.

Dico: certam confessionis formulam. *Aliud* enim est, condere normam fidei, *aliud*, præscribere formam aut etiam normam confessionis. *Illud* de Jure Magistratus facere non potest, cum Deus velit coli ad suum, non ad ullius hominis arbitrium: *Hoc* potest, beneficio Majestatis suæ, quæ inter regalia complectitur potestatem dirigendi exercitium Religionis. Unde tritum illud: Cujus Regio, ejus (nisi obstent promissiones aut pacta,) Religio.

§. 2. Hoc sensu Electores atque Principes Protestantes *in præfatione*, quam editioni F. C. præmiserunt, non procul à fine dicunt; se controversias omnes ad Libros Symbolicos & in specie ad F. C. tanquam ad veram normam & declarationem puriorís doctrinæ, examinaturos esse. Confer *B. Hutterum in Concord. Concordiæ cap. XI. f. 94. facie altera.*

§. 3. Hoc etiam jure in his Regionibus juramentum Religionis exigitur ab iis, qui ad publica officia admoventur. Nimirum in hoc imitari sunt optimi Principes pientissimum Regem *Josiam*, qui *L. 2. Reg. cap. 23.* non tantum proposuit legem Domini subditis omnibus, Sacerdotibus & Prophetis & omni populo; sed & hos omnes obligavit ad observationem ejus, acquievitque *NB.* omnis populus pacto, *v. 3.* confer *L. 2. Paralipom. c. 34. v. 29. seqq.*

§. 4. Effectus hujusmodi formulæ est, ut unusquisque ex subditis possit haberi vel non haberi pro membro hujus particularis Ecclesiæ, in qua vivit. More suo, quod est, cordatè & accuratè *B. Hulsemannus in Dialysi Apologetica pag. 325.* Dico *inquit*, affirmo & asserero: sufficere ad hoc, ne quis tanquam Publicus Doctor Ecclesiæ in Ecclesia provinciali aut nationali, Suecica, Danica, Germanica &c. toleretur, si ostendatur publicus & pertinax ejus dissensus à provincialibus aut nationalibus Symbolis doctrinæ publicæ illic receptis, aut ex pacto & stipulato suscipiendis: Neque hoc solum, sed sufficere quoque, ne dissentiens iste ad communionem sacrorum in illis provinciis aut regnis admittatur. Et in *præfatione Dialyseos p. 137. in genere primum:* 577
Jubentur (Doctores Ecclesiæ per hujusmodi obligationem,) conformare Catechesin Auditorum suorum ad limites in hisce provinciis positos, quos nihil diversum à sacris literis, nihil diversum ab Antiquitate definivisse, tantisper supponitur ad hominem, Doctoris Publici munere

hic

hic & nunc fungentem aut functurum, donec ille cœperit de consensu horum limitum cum limitibus divini verbi & universalis Ecclesiæ doctrina anquirere; &, vel dubitare, ubi informandus, & interea ab officio docendi suspendendus; vel impugnare eam, ubi removendus, & ad castra universalis consensus relegandus erit. *Deinde in specie*, de obligatione ad formulas confessionum in aliquibus Regionibus: inscriptiones librorum & determinationes finium, quorum gratia publicata sunt Corpus Julium & F. C. apertè & clarè ostendunt, quod Conditores & Promulgatores istorum Libb. posuerint limites doctrinæ publicæ, quam in provinciis suis servare jubeant & permittant. Si quis veritatem aut æquitatem horum limitum impugnare cœperit, jam desinit esse membrum harum particularium Ecclesiarum Nationalium & Provincialium. Et *B. Nicolaus Selneccerus*, qui in Formula Concordiæ conscribenda, & his Regionibus proponenda egregiam operam navavit, *in Recitationibus* (quas *Hutterus in Concord. Concorde cap. 43. integro f. 273. seqq.* defendit,) *p. 216.* Hic, *inquit*, si quis accedere ad nos vel potius ad veritatem Christi voluerit, eum fratrem, socium & civem nostræ Ecclesiæ agnoscimus. Si quis verò noluerit, eum nec cogimus, nec damnamus, sed oramus pro eo, ut convertatur.

§. 5. Utilis est hic Aphorismus in Didacticis, tum ut Magistratus sciat, quid sibi liceat, quidve deceat se facere ad retinendam publicæ doctrinæ harmoniam; tum ut subditi intelligant, nihil iniqui postulari à se; quem in modum in subscriptione F. Concordiæ non minori prudentia quam pietate processerunt Majores nostri, ceu legere est in laudatis Recitationibus B. Selnecceri.

§. 6. In Polemicis usum habet tum extra, tum intra Ecclesiam nostram.

§. 7 *Extra Ecclesiam* oppugnant hujusmodi confessionis formulas, ac speciatim Formulam Concordiæ, tam Pontificii quam Calviniani, imprimis ex his *Rudolphus Hospinianus*, concordiæ discordis monstrosus scriptor; cui ad abundantiam usque satisfecit *B. Hutterus in Concordia Concorde*. Vide imprimis quoad hoc argumentum, *f. 153. 156. 157. 159. & 201. seqq.* Ubi, quod & in quantum Ecclesiæ atque Scholæ Ministri compelli possint ad subscribendum hujusmodi formulæ, deducitur eum in modum, quo à nobis hactenus id factum est. 578

§. 8. *Intra Ecclesiam nostram* res nobis est cum Syncretistis Helmstadiensibus & eorum assecls. Postquam enim illi à Corpore Julio, cui tanquam Formulæ Confessionis, juramento se obstrinxerant, in non paucis doctrinis secessionem fecerunt, & ab *Hulsemanno* aliisque, hujus defectionis graviter admoniti fuerunt, inceperunt hæc vincula laxare, putantes, illas confessionis formulas nec præscriptas esse, nec præscribi potuisse categoricè, sed hypotheticè, quatenus cum verbo Dei aut etiam cum consensu primitivæ Ecclesiæ convenirent. Sed id nulla alia intentione fecerunt, quam ad obliterandos & evertendos publicæ doctrinæ limites, & ad usurpandam licentiam docendi pro lubitu; ceu observat *Hulseman. in præfat. Dialyss. pag. 136.* Quanquam enim dogmata omnia juxta verbum Dei, unicam illam fidei normam, examinanda sunt; quæstiones tamen hæ diversissimæ sunt, unaq; post alteram est pertractanda.

Prima

Prima est: An membrum particularis Ecclesiæ cum ea credat eadem? quæ tolvenda est ex formula confessionis. Huic, si quis dubitet de veritate doctrinæ in illa particulari Ecclesia, succedere potest *Altera*: An formula confessionis conveniat cum verbo Dei? Quod si dubitans per informationem aliorum tranquillare nequeat conscientiam, liberum est ei ab Ecclesia illa particulari secedere, aut etiam Ecclesiæ particulari, &, hujus nomine, Magistratui, dissentientem amovere; juxta dicta §. 4.

§. 9. Ex intellecta etiam malè aut perverse exposita sententia nostra de Formulis Confessionum, perperam argumentantur iidem Syncretistæ pro probando principio fidei secundario; quod consensum quinquesecularem esse volunt. Sic enim *D. Georg. Calixtus in appendice ad diss. de duab. quæst.* §. 11. *&* 12. colligit à minus ad magis. Si consensus Doctorum quorundam à sexaginta annis constitutus (subintelligens corpus Julium, &, si decem anni addantur, F. Concordiæ,) est principium secundarium, per quod probantur dogmata & conclusiones Theologicæ: multò magis consensus Doctorum Ecclesiæ, qui primis V. seculis floruerunt, erit principium secundarium, per quod probantur dogmata & conclusiones Theologicæ. Sed Resp. à formula confessionis ad normam Fidei N. V. C. Illa enim, non æquè ac hæc, demonstrat veritatem Religionis; sed est principium conventionale & positivum particularium quarundam Ecclesiarum, conservandi inter se formam doctrinæ publicæ, ex sacris literis & consensu antiquitatis semel constitutam; & adhibetur hic probandi modus in decidendis quæstionibus, inter obligatos ad hæc symbola enatis, non immediatè, ad dogmatum illorum consensum cum verbo Dei & antiqua Ecclesia, sed ad consensum eorum cum forma doctrinæ semel receptæ compendiosè evincendum; *apud Hulsem. in Dialysi pag.* 322. 379

Locus XXI.

De

CONJUGIO.

§. 1.

STatui Ecclesiastico atq; Politico meritò subjicitur Conjugalis, tanquam non minus honorabilis *in omnibus, Ebr. XIII. 4.* Etsi verò nonnunquam in adulteros cadit, quorum etiam mentio d. l. fit: nihil tamen dignationi ejus indè decedit. Conjugium enim abstractè est considerandum; quo sensu non minus est & manet honorabile, ac eruditio aut pulchritudo, etiamsi non rarò in malis inveniantur hominibus. Hinc Apostolus *ibid.* non conjugium adulterorum conjugio castorum (abstractum abstracto,)

ſtracto,) ſed conjuges adulteros conjugibus caſtis (concretum concreto,) opponi.

§. 2. Aliud verò eſt, honorabile (τίμιον,) eſſe; aliud, Sacramentum eſſe. Priori aſſerto negamus poſterius, ejusque probationem petimus à requiſitis Sacramentorum ex omnium confeſſione talium; quæ ſunt Baptiſmus & S. Cœna. Quicquid itaque (1.) Chriſtianis non eſt proprium, & (2.) apud ipſos Chriſtianos deſtituitur materia viſibili, & (3.) promiſſione effectus juſtificantis, id non eſt Sacramentum. Atqui Conjugium &c. E. Firmiſſima eſt Conſequentia. Quamvis enim Pontificii putent, nos à particulari ad univerſale argumentari; tamen, quia quid Sacramentum ſit, non à priori ſeu univerſali quadam definitione in Scripturis extante, ſed à poſteriori ſeu inductione probatur, oportet Papiſtas ex Scripturis demonſtrare, nos inductionem non ſatis maturè abrumpere & definitionem anguſtiorem facere. Quamdiu hoc non fecerint, veritas ſtat pro nobis, & poſſumus ac debemus eos ad definitionem, quæ ex inductione indubitatarum ſpecierum conſtat, adſtringere. Quomodo ſi quis diceret, eſſe quinque Evangeliſtas, eſſe ſeptem Monarchias, tamdiu cogeretur indubitato Evangeliſtarum & Monarchiarum numero inhærere, donec ex pari, conceſſo aut inevitabili principio plures probet. Aut, ut propius ad rem dicam, ſi quis aſſereret, etiam Pſittacos ratione uti, & Æthiopes eſſe candidos, teneretur ante hominis & Æthiopis definitionem ex inductione plurium confiratam expugnare, & inſufficientem inductionem demonſtrare. Sic *B. Hulſeman. Manual. diſp.* 10. *p.* 397.

§. 3. Nobis autem Conjugium eſt conjunctio (ratione formæ.) in unam carnem legitima, ſolennis ac perpetua, unius (ratione materiæ,) maris & fœminæ, inſtituta (ratione cauſæ efficientis,) à Deo, ad procreationem (ratione finis primarii,) ſobolis, & (ratione ſecundariorum,) ad mutuum adjutorium imputæq; devitationem libidinis.

§. 4. Cauſa itaque efficiens Status matrimonialis eſt Deus, *Geneſ. I.* 27. 28. *II.* 18. *ſeqq.* quod non tantum clariſſimum, ſed & notabiliſſimum eſt; quippe quod ex inſtitutione conjugii de natura ejus judicandum ſit, exemplo Chriſti, *Matth. XIX.* 7. 8. Imò hæc methodus Chriſti eſt regula univerſalis: debere nos in controverſiis de ritibus aut rebus à Deo inſtitutis utroque oculo ad inſtitutionem, non ſiniſtro tantum ad hanc, dexrero vero ad religionem omnium temporum reſpicere; quem in modum id adverſus Sacramentarios prudenter atque graviter monet *B. Chemnitius*, *in fundam. S. Cœnæ cap.* 2. *p.* 9. & 10.

§. 5. Inſtituit autem Deus conjugium pro omnibus hominibus ad id habilibus. Quicquid enim pro homine integro inſtituit Deus, ejusque oppoſitum cenſuit non bonum eſſe (abſolutè loquendo; *Non eſt bonum, hominem &c. Geneſ. II.* 18.) id multò magis inſtituit pro omni homine lapſo. Atqui Conjugium &c. E. Major nititur majori, aut potius propria ſolique homini lapſo competente indigentia hujus remedii adverſus illicita deſideria.

§. 6. Quia verò ex intentione ipſius Dei tanta debet eſſe conjugii extenſio, ideò nemini licet facultatem ineundi matrimonium vel ſibi per voluntatium propoſitum (niſi evidenter fuerit inhabilis aut dono continentiæ ſpecialis inſtructus,) vel alis per interdictum eripere. Quæcunq; enim

580

perſonæ ex mandato Apoſtolico, ob univerſalem rationem, matrimonium inire debent, illis nullo modo empienda eſt facultas ineundi illud. Atqui perſonæ in ætate florida conſtitutæ (e. g. viduæ juniores, 1. *Tim. V.* 14.) &c. E. Pro Minori militat tum rexius allegati loci, tum, per exegeſin ejus, præſumptio cupiditatis in omnibus junioribus, non autem continentiæ ſpecialis apud quenquam. Confer *Compend. meum ſ. N. c.* 10. *p.* 172.

581 §. 7. Speciatim autem materia ſunt duo homines, ſpectandi quoad qualitatem ſexus, numerique quantitatem.

§. 8. Quoad qualitatem ſexus, debet altera perſona eſſe mas, altera fœmina, utraque, de jure, habilis ad finem primarium, qui eſt generatio prolis. Secundarius enim ſi absque primario intendi poſſit ſolus, non ſufficit. Vid. *Compend. ſ. N. d. l. p.* 174.

§. 9. Undè conſtat, quo loco habendum ſit Eunuchorum conjugium. Audet quidem illud recentiſſimè propugnare *Gisbertus Voetius, Politicæ Eccleſ. part.* 1. *L.* 3. *Tract.* 1. *p.* 45. Illis, *inquit*, Eunuchis, qui ſæpè ſupra alios ad libidinem proni ſunt, non videretur fortè conjugium negandum, ſiquidem petant, & mulier hujus defectus gnara, annuerit. *Sententia autem negativa opponit*, quod non omnia conjugia contrahantur & celebrentur ad generationem prolis, ſed etiam ad remedium incontinentiæ, aliaque hujus ærumnoſæ vitæ ſubſidia & ſolatia. Certè, *inquit*, in mulieribus tempus generationis ſupergreſſis, nulla ſpes prolis ſpectatur.

§. 10. At verò opponi illi poteſt *ſecta ejusdem D. principis Theodorus Beza, in tractatu de repudiis & divortiis ſub finem p.* 274. Rogatus, *inquit*, aliquando à quadam Eccleſia, quid de hujusmodi hominum matrimonio (ſi modò matrimonium eſt,) exiſtimarem, reſpondi: ſive hoc ab initio neſciverit mulier ſive minus, ſive conqueratur, ſive in ejusmodi conjunctione acquieſcat; ejusmodi conjunctionem non modò prorſus nullam eſſe, i. e. indignam ſancto & honeſto matrimonii nomine, ſed etiam in omni benè conſtituta Eccleſia prorſus intolerabilem. Primum enim nulla ex iis cauſis, propter quas à Deo ordinatum eſt matrimonium, in ejusmodi conjunctione locum habet. Nam quod ad generationem attinet, quæ eſt primaria à Deo inſtituti matrimonii ratio, non modò nullus homo ſic generatur, ſed etiam horrendo quodam modo plurimi homines perduntur, cum ejusmodi vir muliebre ſemen inutile reddat, adeò, ut non modò pro ſcortatore, ſed etiam pro homicida ejusmodi hominem habeam. Etſi enim in ſcortatione magnum vitium ineſt, tamen in ea ſimpliciter contra naturam non peccatur, ſed tantum in *ἀπαξία*. Deinde quod ad alteram matrimonii cauſam attinet, nempe ad remedium adverſus uſtionem & incontinentiam; dico, non modo non ſic extingui vehementem illum affectum, ſed etiam accendi quam maximè, tum ex aſſiduo objecti moventis conſpectu, tum etiam ex ejus uſu, quem effectus nullus conſequitur. Præterea, quod nonnulli domeſtica officia prætexunt, etſi colore aliquo non caret, tamen vanum & inane eſſe res ipſa demonſtrat. Qui enim probabile eſt, 582
ejusmodi vel virum vel fœminam ſic unà ſimul poſſe conſueſcere, perinde ac ſi continentiæ dono eſſent prædit. Itaque cum hæ tres ſint cauſæ legitimi matrimonii, quarum nulla in hac, de qua diſſerimus,

conjunctione, locum habet, consequitur, nullum esse ipso jure ejusmodi matrimonium: &, quod cum tanta turpitudine, atque ita cum tàm immani scelere homicidii conjunctum est, planè intolerabile merito judicari. Nam si quis objiciat, ne in sterilitate quidem alterius aut utriusque partis primariam illam causam locum habere; Resp. primum, sterilitatem esse vitium intrinsecum, & quod sensu non percipiatur, sed usu potius & experientia. Deinde addo, sterilitatem, quamvis non semper sit re ipsa medicabilis, meritò tamen medicabilem præsumi. Dico præterea, etiamsi ex sterilium congressu nihil nascatur, tamen aliquatenus (quod etiam ad conjugium inter senem & juvenculam aut anum & juvenem applicari potest,) naturalem esse conjunctionem, in qua saltem secunda matrimonii causa locum habeat. Ex quibus rationibus efficitur, longè aliud esse constituendum de sterilium, quàm de castratorum matrimonio. Ulterius alias quidem rationes subjungit etiam allegatus *Beza*; sed hæ sunt præcipuæ, & reliquæ, quas supprimimus, patiuntur instantias. Casum tamen subjungit: quid si, inquit, resciverit mulier hoc vitium, & tamen in ejusmodi maritum consenserit? Resp. nullam quidem ei factam injuriam videri, sed tamen non efficere mulieris scientiam, quo minus damnetur id, quod est contra bonos mores, & suapte natura detestabile. Quæ verba, etsi prolixiora, voluimus allegare, quia directè respondent ad argumenta *Voetii*, imò eorum omnium, qui hanc ἀταξίαν defendunt.

§. 11. Quoad quantitatem numeri, non debent plures personæ esse, quàm duæ; adeoque absolutè rejicienda est polygamia simultanea, vi institutionis, ad quam nos provocare docet ac docendo juber Servator ipse *Matth. XIX. 4. seqq.* Confer §. 4. & 15.

§. 12. Sententiæ verò quæ polygamiæ vel favent vel repugnant, *trium* sunt classium.

§. 13. *Prima* est Orthodoxorum Theologorum, qui ad unum omnes eam simpliciter prohibitam esse statuunt, etsi de specie J. divini, quo prohibitio illa nititur, diversum sentiant. Ad intelligendas autem illorum sententias, juvat distinguere inter hujus prohibitionis antiquitatem & originem. In antiquitate conveniunt. Nam omnes ad V. T. ipsumque creationis tempus prohibitionem polygamiæ referunt. In origine vero designanda variant. Quidam enim illam referunt ad jus naturale; quidam ad jus primævum positivum divinum. Ex recentissimis illorum numerum auget *B. Danhauerus, Collegii Decalogici, Disp.* 14. §. 5. & huic aliàs sententiæ plures quam alteri subscribere notat *B. Gerhard. Loc. de Conjugio, n.* 222. *p.* 114. In altera classe est *B. Hulsem. noster Breviarii c.* 21. *Thesi* 8. Absque periculo igitur heterodoxiæ licebit vel hanc vel illam sententiam sequi. Id tamen notandum est, aliter juxta primam, aliter juxta secundam sententiam Patriarchas polygamos esse defendendos. *Prima* enim sententia propter ignorantiam, fidem ac pœnitentiam, eos tantum excusat. *Secunda* vero propter dispensationem à culpa planè absolvit; cui etiam sententiæ me favere non diffiteor. Vid. *Compend. J. N. d. l. p.* 179. Possum me etiam Calvinianorum & Pontificiorum communiorem sententiam ad hanc primam 583

classem referre, etsi inter eos quoq; & Moralistas, inprimis de qualitate juris prohibentis, aliqua sit diversitas & aberratio. Vide de his *B. Hulf. d. l.*

§. 14. *Secunda* sententia est Hugonis Grotii, qui Polygamiam demum in Novo Testamento prohibitam fuisse putat; vid. *lib. 2. de jur. Belli & Pacis cap. 5. §. 9.* quem sequitur frater *Guilielmus de princip. J. N. cap. 9. §. 6.* Etsi verò hæc sententia omnium maximè favet Patriarchis polygamis, quippe qui lege nondum lata, ejus dispensatione opus non habuissent, nec in re illicita versati fuissent; tamen cum hæc opinio nitatur heterodoxa hypothesi de Christo legislatore novo, vel ex hac unica causa neganda & pernegan-da est. Obstant tamen eidem etiam ea, quæ jam diximus §. 4. & 11. & mox dicemus §. *seqq.*

§. 15. *Tertia* classis complectitur *Ochinum*, ejusq; similes hodie Novatores, sive hanc sive illam religionem alias profiteantur, somniantes, ne hodiè quidem polygamiam jure divino esse prohibitam, ideoque à Magistratibus Christianis, quorum lege positiva obex ei positus sit, rursum permitti posse. Sed adversus eos, tractatus non tam mole, quam pietate atque doctrina graves ante paucos annos emiserunt *Dn. D. Menzerus*, & *Dn. D. Johan. Musæus*, quos vide. Nobis sufficit institutio, *Gen. II. 24.* ad quam unicè respicit & respiciendum esse indicat Christus *Matth. XIX. 4. & seqq.* in qua dualem numerum exclusivè esse intelligendum, docet *parallelus Marc. X.* ubi *v. 11. & 12.* tam firmum ostenditur esse vinculum inter duas illas personas, ut nequidem sub prætextu divortii nova persona sit assumenda, adeoque multò minus superinducenda.

§. 16. Ratione formæ debet esse conjunctio legitima, tum resp. impedimentorum privativè, tum requisitorum positivè.

§. 17. Impedimenta, quæ removenda, 514
sunt gradus prohibiti consanguinitatis & affinitatis; de quibus vide *Interpretes c. 18. Levit.* Totam hanc rem per compendium in 12. regulas redegit *B. Chemnitium part. 3. Loc. de Conjugio pag. 224.* quibus alias adhuc 4. adjecit *B. Gerhard. Tom. 7. de Conjug. p. 145.* Jungi his potest *B. Benedictus Carpzovius in Jurisprudentia Consistoriali lib. 2. Tit. 5. & 6. p. 114. seqq.*

§. 18. Inter requisita, quæ implenda, notabilis est parentum consensus, quem non absque adversariis summè necessarium esse statuimus; (1.) ob J. N. in Decalogo repetiti amplitudinem, quod cum honorem generaliter requirat, matrimonium vel maximè, tanquam medium tàm honorandi quam dehonestandi Parentes efficacissimum, comprehendit; (2.) explicatio ejus, ad *Col. III. 20. Exod. XXI. 16. Num. XXX. 4.*

§. 19. Circa utraque, tam impedimenta, quam requisita, aberrant Pontificii.

§. 20. *Quoad impedimenta*, sive gradus, excedunt tum per prohibitionem, tum per dispensationem nimiam. Augmentum prohibitionum fatentur ipsi. Scrupulus autem, qui eos adhuc vexat, est hypothesis ipsorum de natura sacramentali status conjugalis. Jam verò, si Ecclesia posset instituere impedimenta matrimonii, videretur, uti objiciunt sibi ipsis, illâ posse mutare materiam Sacramenti; quod absonum.

rum. Hanc difficultatem ut tollant, adducunt varia. Inter alia instantiam desumit à Deo *Jesuita Maldonatus, Tom. 2. de Sacr. p.* 302. ac si scil. ille, instituto jam conjugio, prohibuerit in nonnullis gradibus matrimonium. Ergo & id Ecclesiæ licere, absq; immutatione materiæ in hoc Sacramento. Jam verò quis non videt disparitatem? Nulla enim (1.) Consequentia est à Deo ad Ecclesiam. Ille instituit, hæc ministrat. Deus (2.) impedimenta dirimentia in hominum animis obliterata ex jure naturæ denuo eruit, non de novo instituit. Et tandem (3.) quid laborant illi, ut ne videantur mutare materiam Sacramenti supposititii, cum apertè mutent ac mutilent materiam Sacramenti veri, sacræ nimirum Cœnæ.

§. 21. Etsi verò & nos jure humano aliquot gradus prohibemus, magna tamen & quidem quoad omnes 4. causas diversitas inter nostras & Pontificiorum prohibitiones intercedit. Quoad *Causam efficientem* illas sancit Papa solus, excluso Magistratu civili, cujus apud nos hoc Κύριον est. Quoad *Materiam*, progrediuntur nimis, olim usque ad septimum, hodiè usque ad quartum gradum inclusivè; cum nos in tertio subsistamus. Quoad *Formam*, exæquantur papales prohibitio-
585 nes revera divinis; Id quod adversus eorum protestationes apparet ex ipsorum facto, quo in has æquè ac in illas potestatem dispensandi sibi arrogant; ceu mox dicemus §. *sequente*. Absit, ut nos tale quid faciamus, aut statuamus. Quoad *finem*, prohibitiones apud Pontificios spectant ad confirmationem Primatus, & ad lucrandam pecuniam; prout totus Papatus natus est ex ambitione & avaritia, & ab utrisque regitur. Apud nos solius honestatis ratio habetur. Vide hæc latius deducta ap. *B. Gerh. Loc. de Conjugio* §. 337. *seqq.*

§. 22. Per dispensationem autem licitos audent facere gradus à Deo prohibitos, v. gr. conjugium cum sororis filia &c. qualia exempla nostrum etiam seculum vidit.

§. 23. *Quoad requisita*, consensum parentum non de necessitate, sed honestate esse dicunt. Etsi verò, quod illi urgent, dissensus parentum irrita non facit cætera essentialia matrimonii sive moralia sive naturalia, contractum tamen sine dubio facit illicitum; quod concedit *B. Hulsemannus Breviar. cap.* 21. *Th.* 14. etsi in hoc argumento alias mollius sentiat Nostris. Atque hoc sufficit, ut non tantum, cum Pontificiis, officio liberorum conveniens esse, sed simpliciter necessarium dicamus, ut Parentum consensum impetrent.

§. 24. Præterea debet hæc conjunctio esse solennis, ad evitandam suspicionem & scandalum inhonestæ consuetudinis; & quidem pro ratione illius Ecclesiæ ac Reip. in quibus personæ desponsatæ vivunt, sive his sive aliis ceremoniis solennitas illa constet; ut sic etiam conjugium sit honorabile, *Hebr. XIII.* 4.

§. 25. Sicut autem conjugium tàm legitimè quam solenniter est ineundum: ita semel initum debet esse perpetuum, tum ob educationem sobolis, & honestam discretionem familiarum, tum ob naturam hujus contractus, maximè post sublatam in N. T. licentiam dimittendi uxorem, *Matth. XIX.* 9. Permiserat hanc Moses populo prorervæ frontis διὰ τὴν σκληροκαρδίαν, etsi sub certis conditionibus;

bus; nullo autem modo mandaverat. Imò nonnulli ex Veteribus ap. *Maldonatum in cap. 19. Matthæi pag.* 407. putarunt, legem de repudio (*Deuter. c. 24.*) latam fuisse sine speciali revelatione & imperio DEI. Sed hac assertione opus non habent illi, qui in lege matrimonii primitiva divinitus dispensatum fuisse censent, statuentes, DEUM indissolubilitatem relaxasse & dispensasse in tantum, ut sine peccato matrimonia dirimi & repudia fieri à Judæis potuerint; cujus sententiæ Patronos magno numero vide ap. *B. Dor-*
586 *scheum in Antitrisi Theol. pag.* 25. Nec hæc sententia est improbabilis, assumpta hypothesi, ad jus divinum primævum positivum referendam esse conjugii indissolubilitatem, ad quod etiam nonnullos Nostratium monogamiam referre, notavimus §. 13. Hoc verò posito, locum invenisset dispensatio circa indissolubitatem, æque ac circa polygamiam Patrum. Nihilominus communissima est sententia, fuisse illam dispensationem de repudii libello meram permissionem rei ex se illicitæ ad majus malum evitandum; notante *B. Dorscheo d. l. p.* 26. ubi prolixissimus extat catalogus veterum & recentiorum Scriptorum, qui hanc sententiam defendunt.

APHORISMUS UNICUS.

Conjugium est & manet honorabile atque in se bonum, etsi finem suum primarium, qui est generatio sobolis, post lapsum non obtineat sine concomitantia mali, ob concurrentem propagationem peccati originalis.

SCHOLIUM.

§. 1.

CONjugium in statu integritatis optimum fuisse, omni caret dubio. Tunc enim una cum humana specie propagata fuisset imago Dei; quæ conjugium ejusque finem in se bonum per concomitantiam suam reddidisset optimum.

§. 2. Postquam autem Adamus, infelicissimè lapsus, genuit liberos ad imaginem & similitudinem suam, ceu emphaticè loquitur Sp. Sanctus *Gen. V.* 3. macula conjugio videtur hoc modo inusta esse.

§. 3. Nihilominus manet in se innoxium atque purum; haud aliter ac agricultura non desinit esse bona, etsi ei adjunctum sit malum. non quidem culpæ sed pœnæ, sudor & labor, *Gen. III.* 17. 18. 19.

§. 4. Ex hac causa Deus ipse statum conjugalem non conservat tantum, sed & ad generationem sobolis, æque ac ad omnes alias creaturarum operationes, in quantum in se sunt indifferentes aut bonæ, concurrit; quod propter sanctitatem ejus fieri non posset, si generatio hominis, ob concomitantiam peccati originalis, esset mala, ipsumque conjugium vitiaret.

§. 5. Nimirum, conjunctissima quidem hæc duo sunt, procreatio sobolis & propagatio culpæ originalis; sed (1.) causis à se invicem manifestè distinguun- 587
tur. Nam utraque quidem ad hominem; sed illa præter hominem, ad Deum principaliter, hæc ad diabolum originaliter referenda est. Hinc rectè non minus ac eleganter *Augustinus Tomo 7. lib. 2. contra Pelagium cap.* 43. Simul, *inquit*, utrumque propagatur & natura & naturæ vitium, quorum unum est bonum & alterum malum. *Illud* de creatoris largitate sumi-

sumitur; *hoc* de originis damnatione attrahitur. *Illi* est causa, bona voluntas Dei summi; *Huic* mala voluntas hominis primi. *Illud* indicat Deum Creaturæ institutorem, *hoc* indicat DEUM inobedientiæ punitorem. Denique idem ipse Christus propter *illud* creandum factor ac Dominus; propter *hoc* sanandum factus est homo.

§. 6. Differunt etiam (2.) tota natura sua; ideoque unius malitia non potest alterius bonitatem destruere; sicut vicissim bonitas unius malitiam alterius non potest tollere. Nuptiarum enim bonum malo originali, quod inde trahitur, non potest accusari: sicut adulteriorum & fornicationum malum bono naturali, quod inde nascitur, non potest excusari. Nam sicut peccatum sive hinc sive inde à parvulis trahatur, opus est diaboli: sic homo, sive hinc sive inde nascatur, opus est Dei. Ceu *Augustinus* iterum acutè ac verè loquitur, *eod. T. lib. 1. de Nuptiis & concupiscentia ad Valerium Comitem c. 1.*

§. 7. Usus hujus aphorismi in didacticis est, ut conjugio à Deo instituto malitiam, quæ ab homine destituto pendet, ne imputemus, illudque ex toto, æque ac omnia, quæ Deus ordinavit, honorabile esse cognoscamus.

§. 8. In Polemicis suum olim usum habuit adversus Pelagianos, imò contra hos primum formatus & adhibitus fuit. Ut verò horum aliorumque iniquas de conjugio sententias accuratè discernere possimus, notandum est, Pelagianos ex nostra, reliquos ex propria sua hypothesi, de conjugio sinistrè, sed utrosque summa cum iniquitate, sensisse.

§. 9 *Pelagiani* nimirum volebant orthodoxos ad absurdum deducere, sic, ut nuptias, imò hominem inde natum, cogerentur numero operum Dei excludere, nisi peccatum originis concederent nullum esse; quod Pelagiani acerrimè impugnabant, putantes, ab Adamo non peccatum, sed exemplum peccati tantum ad nos perveniisse, quod imitaremur. Etsi itaque ipsi conjugium non damnabant, id tamen ex nostra sententia de peccato originali damnabile fieri somniabant: damnantur, *inquientes*, nuptiæ, si aliquid, unde damnabiles generantur, habere credantur; sicut eorum mentem nervosè eloquitur *Augustinus eod. T. contra Julianum, l. 2. sub initium.* Plura verò de his vide apud 588
Vossium hist. Pelagiana lib. 2. part. 2. th. & antithesi 6. pag. 191. seqq.

§. 10. Eorum autem, qui ex sua hypothesi loquuntur, sententiæ ut magis & minus differunt. Ad primam classem pertinet, *Saturninus* seculo secundo, qui nubere & generare à Satana dicebat esse: *Marcion*, qui à Deo suo conjugium avversari statuebat: *Lucianistæ*, qui nuptias tanquam opus & præceptum diaboli damnabant: *Severiani*, qui mulierem opus diaboli appellabant. *Tatianus*, qui nuptias esse dixit corruptelam, matrimonium, diaboli inventionem, mulierem opus Satanæ: *Adamiani*, qui nuptias avversabantur: *Apostolici* & *Eustathiani*, qui spem salutis eos habere negabant, qui conjugium inirent: *Priscillianistæ*, qui opificium matrimoniale malis angelis tribuebant: *Hydroparastatæ*, qui matrimonium appellabant scortationem, & legitimam conjunctionem pro diabolica habebant.

§. 11. Ad secundam classem citra omnem injuriam referuntur Pontificii. Nam *Bellarminus ipse de matrimonio c. 5.* censet,

ad

ad matrimonium applicati posse illud Apostoli *Rom. VIII.* 8. qui in carne sunt, Deo placere non possunt. *Idem de clericis cap.* 18. §. 4. judicat, actum conjugalem reddere hominem totum carnalem & ad divina ineptum. *Costerus enchiridii cap.* 11. per conjunctionem conjugalem putat animam hominis ad inferiora deprimi, ut minus idonea sit cœlestia meditari ac tractare. Nimirum, qui tàm abjectè de conjugio loquuntur, sunt boni Pontificii, hoc est, Pontifices suos *Siricium* & *Innocentium* imitantur, quorum ille *Epistola* 1. *ad Himerium*, hic *Epist.* 3. matrimonium immundiciem & pollutionem vocat; contradicentes Spiritui S. *Hebr. XIII.* 4. &c. Vid. §. 1. *seq.*

§. 12. Sicut autem hic aphorismus directè facit ad rejiciendam antithesin Pelagianorum *&c.* in articulo de conjugio: ita utilis etiam est indirectè, in artic. de magistratu, ad ostendendum, quod ille tunc, quando officium suum facere debet, & aliter facere nequit, possit permittere aliquid in Republ. quod concomitantem habet malitiam, v. gratia, exercitium heterodoxæ religionis, sicut Deus propter officium causæ universalis, quod sustinet, ad actus conjugii, salva sua sanctitate, concurrit, etsi per eos, unà cum humana natura, propagetur peccatum originis. Consultò vero dixi de permissione, non de operatione. Regula enim nobis præscripta est, quæ nullam habet exceptionem: Non sunt facienda mala, ut eveniat bonum *Rom. III.* 8.

589

Locus XXII.

De

NOVISSIMIS.

§. 1.

IN omnibus operibus tuis memorare novissima tua, & in æternum non peccabis. Ex quo salubertimo *Ecclesiastici* monito *c.* 7. *vers. ult.* constat nobis non tantum de pia utilissimaque praxi hujus doctrinæ, sed & de auctoritate vocabuli in nostra significatione. Quæ enim in textu authentico dicuntur τὰ ἔσχατα, Syro verò & Lutheri o in singulari hujus, ea Vulgato sunt Novissima; qui & in libris Canonicis frequenter utitur hac voce in eodem sensu; novissima oponens primis, quando de loco aut tempore loquitur. Hinc nihil tritius apud Doctores Ecclesiæ hoc significatu novissimorum; imò præter profanos Scriptores alios *Cicero pro Rosc.* alibique eo utitur, contra observationem *Gellii l.* 10. *c.* 21. Ob quam causam nimis meticulosi erant Romani illi, de quibus *Varro l.* 5. *de Ling. Lat. p.* 55. à Græco νέος, *inquiens*, extremum novissimum quoque dici cœptum vulgo. Quod mea memoria ut Ælius Gallus

Gallus, ſic ſenes aliquot, nimium novum verbum quod eſſet, vitabant.

§. 2. Noviſſima verò ſunt vel μακροκόσμια vel μικροκόσμια. *Ille* quidem unicum habet tantum, deſtructionem ſc. ſui in extremo die: *hæc* verò communiter tribuuntur quatuor, tritis alias verſiculis incluſa:

Mors tua Judicium, { Poſtremum, Gloria cœli, cœleſtis Gloria Vitæ,

Et dolor inferni ſunt meditanda tibi. Quia tamen ex his ultima duo non cadunt in unumquemque copulativè, (& æterna vita & gehenna,) ſed disjunctivè tantum, (vel æterna vita, vel gehenna,) non negligenda eſt ἀκρίβεια *B. Gerhardi Tom.* 8. *LL. Theol. de Noviſſ. in gen.* §. 7. quaternarium quidem retinentis, ſed eum ita integrantis & formantis, ut totus ad ſingulos homines quadret, nim. 1. Mors, 2. Reſurrectio, 3. Judicium, & 4. Mora æterna, piorum ſc. in cœlo & damnatorum in inferno.

§. 3. Quanquam autem de Noviſſimis μικροκόσμια ſive Hominis vel maximè ſolliciti eſſe debemus; expedit tamen Noviſſimum μακροκόσμια iisdem docendo jungere, ſicuti pleraq; facto ipſo Deus aliquando copulabit.

590 §. 4. Inter noviſſima μικροκόσμια primum eſt MORS, quæ Phyſicè ſpectata, eſt ſolutio animæ à corpore; quo pertinet τὸ ἀναλῦσαι *Philipp. I.* 23. ἀνάλυσις 2. *Tim. IV.* 6. Theologicè, eſt ſtipendium peccati *Rom. VI.* 23. de quibus duobus conſiderandi modis diſtinctè.

§. 5. Solutio in genere poteſt quidem de rebus in ſe corruptibilibus perinde ac de rebus incorruptibilibus dici; ſed quia in hac ſpeciali ſolutione tribuitur animæ reverſio ad Deum, qui dedit illam, *Eccleſ. XII.* 7. τὸ εἶναι cum Chriſto *Philipp. I.* 23. fide divina conſtat, in morte hominis animam non annihilari.

§. 6. Diſtinguendum nimirum eſt hic inter duplicem animæ noſtræ exemptionem à corruptione. *Alia* eſt ab intra, quam ex lumine naturæ in omni Spiritu, adeoq; etiam in anima noſtra cognoſcere poſſumus. Quæcunque enim ſubſtantia non habet in ſe principia pugnantia, ea ab intra eſt incorruptibilis. Atqui Spiritus &c. E. *Alia* eſt ab extra, eaque vel reſpectu inferioris, vel paris, vel ſuperioris. Primam & ſecundam iterum ratio, tertiam ſola revelatio manifeſtat; quia pendet à liberrima voluntate Dei, de qua, niſi per ipſum, certiores fieri non poſſumus. Potius ſi rationem audio, æquè animam à Deo in nihilum reduci poſſe concludo, ac ex nihilo ab eo producta fuit.

§. 7. Corpori verò humano tum corruptibilitas ex natura ejus, tum corruptio ex decreto Creatoris competit; *Gen. II.* 17. *Eccleſ. XII.* 7.

§. 8. Quanquam autem poſt ſolutionem conſtanter ſupereſt anima; tamen non aliud occupat corpus; cum alias mors non eſſet ἡ ἀπόθεσις τοῦ σκηνώματος, 2. *Pet. I.* 14. non depoſitio ejus, ſed permutatio.

§. 9. Dum ſtipendium peccati dicitur, præſupponitur meritum; quod illo titulo non tantum in genere, ſed & in ſpecie innuitur. Veteribus enim Græcis ὀψώνιον, ſicut alibi τροφή, idem eſt, quod Latinis ſtipendium; adeò ut illam vocem h. l. audientes, non poſſimus non meminiſſe fructus vetiti, cujus dulcedine

Digitized by Google

capti (potius decepti,) mortem promeriti ſumus.

§. 10. Unde non poteſt non ſequi, hominem, ante hoc meritum ſuum fuiſſe non-mortalem; in ſtatu ſc. integritatis, in quo ad imaginem divinam ſenſu Eccleſiaſtico acceptam, pertinebat immortalitas; de qua in *Artic. de Imagine Dei.*

§. 11. At verò poſt lapſum non tantum omnes homines ſunt mortales, ſed & *ordinariè* morti actu ipſo ſemel obnoxii; *Hebr. IX.* 27. Merito enim univerſali, quod eſt peccatum originale, de-
591 betur ſtipendium univerſale; *Rom. V.* 12. In omnes homines mors pertranſiit, eò quod, vel in quo (Adamo,) omnes peccaverunt. Sive enim ἐφ' ᾧ cauſaliter accipias, ſicut Syrus & Lutherus, ſive pronommaliter, uti Vulgatus, univerſalitati nihil decedit. Veriſſima enim eſt Theologorum patœmia: Fuit Adam, & in illo fuimus omnes: perit Adam, & in illo periimus omnes.

§. 12. Dico verò: *ordinariè*. Extra ordinem enim datur hic defectus & exceſſus.

§. 13. *Defectus*; quia nimirum juxta peculiarem Dei diſpoſitionem mortui non ſunt *Enochus Gen. V.* 24. *Hebr. XI.* 5. & *Elias 2. Reg. II.* 11. immortalitatis inde à pia Antiquitate Candidati dicti. Adjicitur his, ſed dubia fide, ex *epiſtola Dionyſii Alexandrini Epiſcopi ad Fabium Antiochenum Epiſcopum apud Euſeb. l. 6. hiſt. Eccl. cap.* 41 *Charemon* ſenex, Nili Epiſcopus, ejuſque uxor: qui ſub perſecutione Decii ad montana Arabiæ fugientes non fuerunt reveriti, nec unquam videri potuerunt; & licet à fratribus ſæpenumero quærerentur, nec ipſi tamen, nec corpora eorum fuerunt inventa.

§. 14. *Exceſſus*; quia bis mortui ſunt illi, qui à Chriſto, Prophetis & Apoſtolis reſuſcitati fuerunt; ſolventes debitum naturæ primum poſt datam, deinde poſt redditam *in hoc mundo* vitam.

§. 15. Dico: *In hoc mundo*, ſcilicet ante conſummationem ſeculi. Hinc conſtat de mortalitate ipſorum. Nullibi enim legimus de decreto Dei, quo ſtatuerit, ſe velle, ejus vitam eſſe æternam, quem ante extremum diem reſuſcitaret. Hinc cum poſſit ob peccatum originis (ut jam nihil dicam de peccatis actualibus,) nobis infligere pœnam mortis æternæ; multò magis poteſt, extraordinariè agendo, neceſſitatem mortis temporalis duplicare; cum hæc pœna ſi vel millies iteretur, illius gravitatem non æquetur.

§. 16. De morte ſecunda ipſa nihil quidem in S. literis expreſſe legitur. Sed nec de alio modo, quo ex hac vita migrarint. Unde (1.) patet, quæſtionem hanc problematicam quidem eſſe, & in utramque partem ſalva orthodoxia diſputari poſſe, cum à teſtimonio divino negativè in ſolis fidei articulis, ad quos hæc quæſtio non pertinet, valeat conſequentia; mortem tamen (2.) tutius ac certius, quam translationem aliam ex hac vita præſumi, cum *illa* ſit univerſaliſſima, *hæc* particulariſſima; *illa* ordinaria, *hæc* extraordinaria.

§. 17. Morti verò in μιχροκόσμῳ ſimilis eſt conſummatio ſeculi in μακροκόσμῳ. Per utramque enim ſubjectum deſtruitur eſſentialiter.

§. 18. Pendet autem conſummatio ſeculi

culi (sic dicta Biblico stylo, *Matth. XIII.* 592 39. *XXIV.* 3. *XXVIII.* 20.) aut destructio sive conflagratio mundi (Ecclesiastico & vulgato,) à Deo tanquam causa efficiente principali; ab igneo calore, tanquam ab instrumentali, 2. *Petr. III.* 10. adveniet dies Domini, in quo elementa calore solventur, *&c.*

§. 19. Materia erit totum hoc universum, continens, unà cum contentis suis; solis exceptis intelligentibus creaturis: Angelis scilicet & hominibus. Quoniam enim utrisque, juxta decretum Dei justissimum, æternum benè vel malè erit, in & cum tempore desinere non poterunt.

§. 20. Forma non in alteratione qualitatum, sed in annihilatione substantiæ consistet. Erit enim *συντέλεια Matth. loc. allegat.* qua *παρελεύσονται*, transibunt cœlum & terra, *Luc. XXI.* 33.

§. 21. De fine quidem parcius loquitur Spiritus S. certum tamen est, eum esse, *respectu creaturarum*, liberationem à corruptionis servitute, *Rom. VIII.* 19. *respectu Creatoris*, demonstrationem liberrimæ ac infinitæ potentiæ, 1. *Cor. XV.* 28. Ob quem finem non improbabiliter præsumitur à nonnullis hic mundi finis, etiamsi Protoplasti eorumque posteri non peccassent.

§. 22. Verosimile autem est, destructionem mundi secuturam esse Judicium, & consequenter Resurrectionem mortuorum. Est enim illa actus supremi Judicis, quo abolebit *Rom. VIII.* 21. 22. receptacula & instrumenta hominis peccatoris, dubio procul hoc, tanquam causa principali, prius judicato.

§. 23. Resurrectio, tanquam mysterium 1. *Cor. XV.* 51. solidè è S. Scriptura tantum probatur; *jam* per assertionem nudam, *Job. XIX.* 25. *seqq. Joh. V.* 28. 29. *&c. jam* per ratiocinativam, 1. *Cor. XV.* 12. *seqq. &c.* Præterea, ex natura quidem varia pro resurrectione afferuntur argumenta, quæ tamen magis illustrant, quam probant, eaque vid. *ap. Raynaud. Theolog. Natur. p.* 1006. *seqq.* & *B. Gerh. Loc. de Resurr. n.* 30. *seqq.*

§. 24. Causa efficiens ejus, tanquam operis ad extra, erit tota SS. Trinitas, sic tamen, ut singularis quædam influentia in eam tribuenda sit Christo, *Joh. V.* 24. *seq.* etsi singulari merito causa resurrectionis universalis (impios etiam complexæ,) non sit. Ratio desumitur à discrimine Vocationis à Resurrectione. Quorum enim alterum in hac vita finitur & ordinatur ad beatitudinem, alterum autem ad æterna supplicia, eorum ratio non est eadem respectu meriti Christi. Atqui prædicatio sive vocatio reprobis cum electis communis, *Luc. XVI.* 25. in hac vita finitur, & ad beatitudinem, suscitatio autem impiorum, *Dan. XII.* 2. ad æterna supplicia ordinatur. Ergo horum duorum ratio non est eadem respectu meriti Christi. 593

§. 25. Materia ex qua, erit Nihil privativum, negativo scil. (quale mundi creationem antecessit,) contradistinctum. Nihil autem aliud id est, quàm pulvis ille, in quem homo mortuus resolvitur, *Gen. III.* 19. Hinc rejicitur non tantum sententia *Menasse B. Israel*, aliorumque Judæorum de ossiculo Luts, quod fingunt in fine spinæ dorsi esse, nec putrescere, etsi per multa annorum millia jacuerit; sed & necessaria per naturam atomorum reunitio. Quicquid enim secundum sacras literas est transitus à non esse ad esse, ejus

materia ex qua non ſunt atomi, in qnibus anima rationalis permaneat. Atqui Reſurrectio, *Rom. IV.* 17. 18. *&c.* E.

§. 26. Terminus ad quem Reſurrectionis, Immediatè eſt Judicium extremum, cui principaliter præeſt Chriſtus, Judex, è ſola diſpoſitione divina viſibilis. Quod notandum eſt contra Calvinianos, quorum πρῶτον ψεῦδος eſt error de abſentia Chriſti in his terris quoad humanam naturam ejusque incluſione in cœlo. Alias enim, *inquiunt*, videretur. Inviſibilem verò hodiè eum dicunt eſſe tantum per accidens, quomodo iis, qui ſunt ad ſeptentrionem, inviſibiles ſunt ſtellæ ad Auſtrum: quomodo aves longiſſimè à nobis avolantes fiunt inviſibiles: quomodo ſtellæ quædam minutiſſimæ, ut in via lactea, dicuntur inviſibiles. Sic enim *Chamier Panſtrat. T. II. l. 6. cap. 3. pag.* 101. ſententiam ſuorum exprimit. Hinc ſequitur juxta eos, Chriſtum in extremo die ex naturali neceſſitate futurum eſſe viſibilem; ſicut neceſſario viſibilis eſt avis propius advolans.

§. 27. Ad modum hujus Judicii intelligendum, juvat concipere proceſſum quaſi forenſem. Rei ſint fideles & infideles, antequam ſecernantur ab invicem per fidem & infidelitatem. His dicitur per legem Moſaicam utrisque communem ſententia prima, quæ partim eſt damnatoria, partim obligatoria, ut omnes audire debuerint magnum illum Propheram, qui eſt CHRISTUS. Ex his Reis fideles beneficio appellationis ad JESUM CHRISTUM utuntur, quod negligunt infideles. Hinc ſententia ſecunda de utrisque in extremo judicio pronunciatur, de illis ex Evangelio, ad quod appellarunt; de his ex lege, cui non ſatisfecerunt, ad Evangelium autem appellare neglexerunt.

§. 28. Unde intelligimus (1.) normam, juxta quam pronunciabitur in extremo judicio, non fore eandem. Etſi enim Noſtrates hanc normam dicunt eſſe unicè & in ſolidum Chriſti verbum ſive Evangelium, id tamen accipiunt generaliter, prout legem & Evangelium ſpecialiter 594
tale complectitur. (2.) Vincibilem infidelitatem eſſe cauſam proximam & communiſſimam damnationis. Ad hoc rectè intelligendum facit egregius locus *in Diſp.* 10. *de Juſtif. B. Hopfn.* Poſt lapſum quidem, *inquientis*, cum promiſſio gratiæ promulgata nondum eſſet, omnia peccata immediatè mortifera erant, tùm quoad mortem ſpiritualem actu inflictam, tùm quoad neceſſitatem futuræ temporalis & æternæ mortis. Sed poſt editum Prot-Evangelium, propoſito jam Filio Dei Mediatore in propitiatorium, *Rom. III.* 25. ut amiſſam vitam denuo repararet, & communicabilem redderet, nulla peccata, quantumvis atrociſſima, mortem actu inferunt ac ſunt directè & immediate mortifera, & actu privant ſalute gratiæ, præter incredulitatem, quæ facit, ut reliqua peccata retineantur, nec remittantur, *Marc. XVI.* 16. *Joh. III.* 16. 18. *&c.* Sicut enim moribundus, cui vivifica & ſalubris medela offertur, non moritur idcò, quia periculoſe decumbit, imò morti vicinus eſt, ſed quia medium, quo reſtitui potuiſſet, non vult uſurpare: ita incredulus non moritur, quia peccata damnabilia commiſit, ſed quia non credit, ac ſalutis media repudiat, *Ezech. XIIX.* 31. *Joh. III.* 18. Hinc *B. Hulſeman. Brev. c. 16.*

ib. 20.

th. 10. peccata contra conſcientiam admittit quidem, tanquam concauſas damnationis, infidelitatem tamen, non quidem excluſive, principaliter tamen & proximè, ex *B. Luthero*, cauſam ejus eſſe aſſerit. Reliqua autem peccata, præter incredulitatem, mortalia dicuntur, non quidem ratione meriti tantum, quatenus merentur mortem æternam, ſed & ratione pœnæ actualis (niſi reſpectu ſubjecti credentis venialia fiant,) quia actu eam inferunt, mediatè tamen, non immediatè, per incredulitatem, quatenus non credentibus imputantur & non remittuntur.

§. 29. Pœna damnatorum non minus ac gloria beatorum, intenſive erit ſumma & extenſivè æterna; unde neutrum ſtatum in hac vita ſatis concipere aut eloqui poſſumus, *Eſ. LXIV. 4. 1. Cor. II. 9.*

§. 30. Quoad modum jungitur in inferno pœna damni & ſenſus; *illa* per privationem boni, *hæc* per poſitionem mali, & utriusque quidem maximi; haud aliter ac in cœlo beatis benè erit per privationem mali, & per poſitionem boni ſummi ac infiniti.

§. 31. Ad pœnam ſenſus infligendam adhibetur ignis infernalis, ſpecie diverſus ab igne elementari, quia hic æque ac reliqua elementa in extremo die diſſolvetur totus. Inter Pontificios quidem *Sixtus Senenſis Biblioth. ſanct. l. 5. pag. 476.* exponit locum aliquem *Gregorii & Damaſceni* in favorem ſententiæ illius, quæ identitatem ignis elementaris & infernalis ſtatuit. Hac verò præſuppoſita mirum eſt, quam torqueant ſe Pontificii in docendo, quomodo ignis elementaris torquere poſſit animas ſeparatas? Vide varias hac de re ſententias apud *Raynaud. Theolog. Nat. p. 974. ſeqq.* ubi ipſe putat, ignem illum agere in animas, non ut cauſam efficientem, ſed ut ſignum iræ divinæ tantum; quod eſt ἄγραφον & ἀνάγραφον, *Luc. XVI. 24. 2. Theſſ. I. 8.*

§. 32. Locus eſt Infernus, ſic dictus in oppoſitione ad ſedem beatorum, quam ſub nomine cœli tanquam ſupernam ſuſpicimus; etiamſi è ſacris literis nullatenus demonſtrari poſſit, ubi, intra vel extra mundum hunc viſibilem ille ſit poſitus. Hinc nulla eſt conſequentia ab hoc vocabulo *ad ſitum ejus* circa centrum terræ; quæ ſententia propè communis eſt Pontificiorum; *nec ad ſuperficiem terræ nobis oppoſitam*, apud priſcos nonnullos Eccleſiæ Doctores, quam propterea vocabant orbem triſtem. Adverſus hos dicas, quod *Seneca l. 4. natur. c. 2.* Tunc erat mendacio locus, cum ignota eſſent externa. Licebat illis fabulas mittere. Nunc verò tota exteri maris ora mercatorum navibus ſtringitur.

§. 33. Similem in modum de Cœlo beatorum nonnulli è Noſtris eligunt τὸ ἐπέχειν, putantes, nondum à nobis definiri poſſe, an illud ſit πῦ creatum vel increatum, corporeum vel ſpirituale, intra vel extra hunc mundum; è quibus vid. *B. Gerh. in Loc. de Vit. æt.* §. 36.

§. 34. Ipſa verò Beatitudo ponitur communiter in viſione beatifica. An verò oculis corporis ipſam eſſentiam divinam & SS. Trinitatem viſuri ſimus, nondum liquet ſatis. Sanè *B. Gerhardus* iterum, poſtquam affirmativæ Patronos adduxit *B. Chytræum, Schulter.* & *Cram.* (quibus è recentiſſimis jungi poteſt *B. Hulſemannus*

mannus noſter Breviar. cap. 16. th. 4.) viſionem hanc ocularem & exteriorem pro poſſibili quidem, ſed non pro certâ aut certò in ſacris definita habet *d. l. pag.* 352. Hinc de dictis illis, quibus alii affirmativam probant, ſic: Quod, *inquit*, Job Redemtorem ſuum oculis ſuis ſe conſpectutum aſſerit, id de Filio DEI incarnato, cui Goëlis nomen in Scripturis peculiariter appropriatur, accipi poteſt. Dicta, quæ de viſione faciei divinæ loquuntur, de mentali & intellectuali viſione agunt, cum DEO non competat facies corporea. Ipſi etiam Angeli dicuntur faciem Patris cœleſtis ſempet videre, *Matth. XVIII.* 10. quod tamen oculis corporeis fieri, nemo dixerit.

§. 35. Erit autem Beatitudo omnino reſpectu omnium eadem planè *eſſentialiter*, etſi diverſa *accidentaliter*, juxta verſiculum:

596 Omnibus una ſalus ſanctis, ſed gloria diſpar.

Cauſa verò illius inæqualitatis non eſt ſtatuenda in meritis humanis. Nihil enim ad rationem meriti facit, etſi concedamus: DEUM in vita æterna quoque diſtribuere mercedem ſecundum opera, non ſolum ratione ejusdem generis, bonis bona; ſed etiam ratione proportionis, majoribus majora, minoribus minora. Hæc enim proportio non ex intrinſeca bonitatis proportione ad mercedem procedit, neque eſt de juſtitia commutativa exactè; ſed ex divina ordinatione; ſicut loquitur *B. Hulſ. Man. p.* 222.

§. 36. Hac etiam Beatitudine anima ſtatim fruitur poſt ſeparationem à corpore. Cuicunque enim animæ melius eſt diſſolvi à corpore, quam ſupereſſe in vita, convertere infideles, &c. illa poſt mortem ſtatim eſt beata. Atqui animæ v. g. Pauli *Philip. I.* 23. *&c.* E.

§. 37. Hinc non datur Purgatorium, nec ullus alius locus intermedius inter gehennam & cœlum; contra Pontificios, qui Limbum infantum ex Pelagianorum commento, & Purgatorium ex Poetis, Platonis & Origenis ſomniis exſtruxerunt. Nulla verò probatione ſolida hæc ſuſtineri, ex profeſſo magnaque diligentia oſtenderunt, ex Noſtris *B. Meiſnerus Opuſc. II. de indulgentiis Rom. Papa integro*, & ex Calvinianis *Jac. Laurentii in Fabula Papiſtica infernali tripartita*, digni, qui legantur.

APHORISMUS I.

Ab exiſtentia animæ humanæ poſt ſolutionem à corpore, non licet concludere ad præexiſtentiam ejus ante unionem cum eodem.

SCHOLIUM.

§. 1.

SPiritus vel eſt increatus vel creatus. Ille eſt unicus, DEUS ſcilicet ipſe, & exiſtit ab æterno, *Eſa. XL.* 28. *Rom. XVI.* 26. *&c.* Hic eſt duplex, Angelus videlicet atque anima humana. *Iſte* quoad omnia individua ſua incepit exiſtere intra ſexiduum, quo creatus eſt mundus. *Hujus* individua bina tantum creata tùm fuerunt, ſicut duo tantum homines Protoplaſti; reliqua omnia cum ſingulis hominibus inceperunt, & adhuc incipiunt exiſtere.

§. 2. Uſus

§. 2. Usus hujus doctrinæ longè maximus est in Didacticis; nimirum ut anima nostra statum suum ne fingat ipsa; qua philautia in statu corrupto maximè laborat; sed ut scire de se ipsa velit tantum, quantum eam è verbo revelato addiscere permittit DEUS. Tantum enim abest, ut nimia h. l. curiositas placeat DEO, ut potius videatur admonere voluisse animam per ignorantiam sui ipsius, ne divina temerè scrutari præsumat. Unde sobriè philosophata mirabitur, non rimabitur, generationem Filii à Patre, ac processionem Spiritus Sancti à Patre ac Filio, quando observat, se nescire, quomodo propagata sit ipsa ab animabus parentum; quemadmodum etiam facilè credet: Deum posse esse hic, ibi atq; ubique, si meminerit, apprehendere se non posse, quomodo ipsa sit tota in toto corpore, & tota in qualibet parte. 597

§. 3. Usus in Polemicis non tantum adversus Origenem & Synesium ex Patribus, pluresque Philosophos antiquos & recentes, de præexistentia animæ humanæ somniantes, sed & inter recentissimos contra Novatorem Anglum, *D. Henr. Morum*, qui superiori demum anno *in peculiari tractatu de Anima* novis argumentis hanc sententiam stabilire allaboravit, oppido est insignis. Audiamus autem, quid novus hic sententiæ tàm absurdæ patronus, cum, quod ego sciam, nondum sit refutatus, in medium afferat. Sic autem ille (1) *d. l. pag. 79. Non magis mirum est singulorum, qui nunc vivunt, animas extitisse à mundo condito, quam singulorum materiam individuantem tamdiu jam extitisse (quam certe oportet subjectam fuisse multis alterationum & modificationum myriadibus, antequam perveniret ad statum corporis humani:) quod certè negabit nemo Philosophorum.* *Resp.* negando consequentiam à materia ad formam. Illa enim non solitariè, sed conjunctim cum variis formis successivè, exstitit, atque sic officium suum, consistens in recipiendo & sustinendo illas, semper exercuit; cum contra oportuisset animam solitariè existere, & ab officio informandi, quod per gratiam conditricem accepit, cessare; quod est contra ordinationem Dei. Pergit (2.) *ibid. Ipsa quoque attributa Dei ad probabilitatem hujus sententiæ non parum faciunt. Si enim bonum est, animas hominum esse, certè quo citius erunt, eò melius erit: cum autem certum sit, sapientiam & bonitatem Dei semper facere, quod optimum est; Annon probabile est, illam & hoc in casu fecisse, quod est melius? Nec enim impedit quicquam, quo minus illa potuissent vivere, antequam venirent in corpora, æquè ac NB. postquam è corporibus egressæ sint; quod fatentur & adversarii. Præexistentia animarum igitur necessario resultat è sapientia & bonitate Dei, qui non minus facit, quod optimum est, quam illud intelligit; alias enim sapientia ejus bonitatem excederet, imò bonitas ejus minor esset, bonitate quavis humana: boni viri enim, quantum in ipsis est, nullam unquam præ-* 598
termittunt benefaciendi occasionem, præsertim, si nihil ipsos impediat: impedimenta autem de Deo hic ne concipi quidem possunt. *Resp.* (α) ab absurdo: Ergo animas ab æterno oportuit creari, quia (ut loquitur,) quo citius erunt, eò melius erit. (β) negando, normam creatio-

nis

nis esse nostram speculationem, vel de meliori creaturarum statu, vel de attributis divinis, cum illa fuerit sola voluntas liberrima Creatoris. Tandem (3.) *inquit, ex hac opinione facillime solvi possunt difficultates illæ, quæ occurrunt circa negotia hominum: si enim statuitur, animas humanas aliquando extitisse in alio quopiam statu, in quo variis modis atq; gradibus deliquerint contra Creatorem suum; atq; inde juxta justissimam illam Nemesin, (quæ intertexta est constitutioni totius universi, earundemq; animarum naturæ,) necesse esse, ut subeant varias calamitates, aliosiq; atq; alios fortunæ insultus, ceu pœnam inflictam, ob varias apostasiæ suæ enormitates: ista clavi non tantum commodè recludi potest mysterium illud, quare aliqui homines tàm aversi sint ab omni religione & virtute, cæterumque stupidi planè, & quasi invincibili quadam desidia corrupti circa talia ab ipsis incunabulis, atque ad omnia vitia fere incorrigibiliter propensi: sed & quare integræ nationes tot seculis quasi sepultæ jacuerint ferissima barbariæ, multaq; adhuc hodie in eadem detineantur? Quæ miranda rerum scena necessario admodum obscuraret divinæ Providentiæ vias, nisi iisdem aliquod ex nostra hypothesi accederet lumen. Resp.* Solum peccatum originale sufficere ad infligendam pœnam æternam: E. multo magis ad multas atque varias pœnas temporales. Hinc (α) admittenda non est præexistentia animarum, ut per fictionem augeatur culpa; sed rectè ponderanda coëxistentia, ut per pœnitentiam vera imminuatur culpa: nec (β) sic adstringenda est Divina bonitas, ut, quæ omnibus dat media ad conversionem sufficientia, singulis conferre cogatur abundantia: nec (γ) concedenda est in ullis hominibus stupiditas & desidia per se invincibilis & incorrigibilis, sed tantum per accidens; quæ unicè ab ipsorum culpa pendet. Atque hæc sunt primaria argumenta *Mori d. l.* quibus evertis oportet quoque ea, quæ de prærogativa hujus sententiæ suæ, præ doctrina de creatione & traductione animæ humanæ *pag.* 78. affert, statim corruere; nec testimonia antiquitatis, quæ *pag.* 80. *seqq.* colligit, ullius sunt ponderis, cum somnia *Philosophorum gentilium*, ac opiniones *Patrum Platonizantium*, adversus veritatem sana ratione, imò auctoritate divina subnixam, nihil prorsus valeant, & eodem, quo Novatorum deliria, loco jure meritoq; habeantur.

APHORISMUS II.

Ultima tempora sunt miserrima futura.

SCHOLIUM.

§. 1.

VErum hoc est, sive ad iniquitatem fortunæ, sive ad malitiam hominum respiciamus. *Ab illa* pendebit miseria ultimorum temporum, ut anxietas gentium in ea cadat, *Luc. XXI.* 27. Conf. *Daniel. II.* 33. *seqq.* *Ab hac*; adeò quidem, ut Servator ipse quærat apud *Luc. XVIII.* 8. Filius hominis cum venerit, an reperturus est fidem in terra.

§. 2. Usus

§. 2. Usus hujus doctrinæ in didacticis gignit patientiam & prudentiam Christianam, ut procul ab omni securitate & temeritate nos ad mala perferenda tempestivè præparemus, eaque quando ingruunt, æquo animo toleremus.

§. 3. In Polemicis usus ejus non tantùm datur adversus Chiliastas veteres (*Papiam*, &c.) & novos (*M. Gottlieb Heiland*, personatum hujus seculi scriptorem, cùm revera fuerit *Heinrich Gebhard*, *Cancellarius Ruthenus & Altenburgicus*, *in Verisimilibus Historico-Propheticis de Novissimis*, &c. contra quem præ aliis vide *B. Gerh. in peculiari tract. de Chiliasmo:*) sed & 599 inter recentissimos, contra *Comenium*, qui *in libello*, cui titulus: *Via lucis vestigata & vestiganda*, *ante decennium Amstelodami edito*, in hac mundi senecta summam lucem, scil. in cognoscendo tam spiritualia, quàm naturalia, totum orbem propediem illustraturam, perperam fingit. Nimirum hanc adhuc hodie, tanquam prorsus universalem, nondum dari, sed instare ostendit *cap.* 13. *pag.* 43. *seqq.* Finem ejus trinum facit, ut in ea omnia, omnibus, omninò videri possint; ceu loquitur *in titulo cap.* 14. *pag.* 49. Conf. *Dedicat. num.* 5. Per Omnia intelligit, quæ DEUS hominibus in præsenti mundana schola aut jam patefecit, aut porro etiam patefaciet, sive sine æterna, sive temporaria, sive spiritualia, sive corporea, sive cœlestia, sive terrena, sive naturalia, sive artificialia, sive artificialia, sive Theologica sive Philosophica, sive bona sive mala, sive generalia sive specialia; *vid. p.* 49. Sub Omnibus intelligit omnes omninò homines, etsi sub diversis cognitionis gradibus. Non hoc vult, ut opifices etiam, rustici, fœminæ, libris ex toto se dedant; sed ut nemo illorum negligatur in illis, quæ necessaria sunt omnibus; *pag.* 54. Per particulam Omnino, requirit, ut res doceantur omninò, hoc est, non perfunctoriè & dicis ergò: sed ita, ut quicquid docetur, sciatur etiam; & quilibet scholæ hujus discipulus aliquousque progressus Magistris suis dicere queat, quod Samaritani illi primæ concionatrici suæ: jam non propter sermones tuos credimus, sed quia ipsimet cognovimus & scimus, *pag.* 56. Hujus viæ lucis universalis requisita ponit quatuor: *Libros universales*; *Scholas universales: Collegium universale: linguam universalem: pagin.* 58. *seqq.* *Libros* universales esse vult omnium scibilium veras & ordinatissimas Pandectas; adeò ut triplex illorum sit: plenitudo, ordo & veritas. *Plenitudo:* Ut nihil non eorum, quæ ad temporis & æternitatis statum faciunt; contineant, sine hiatu noxio ullo. *Ordo:* ut omnia à primis per media & ultima fluant sine discohærentia ulla. *Veritas:* ut omnia enarrentur, ita ut sunt aut facta sunt, aut fiunt, sine falsi aut vani mistura ulla, *pag.* 61. Scholas universales apud omnes & pro omnibus aperiendas esse monet, *pa-*

gin. 68. seqq. &, ne pauperes excludantur, opulentiores, quot liberos habeant; tot cum illis pauperum coætaneos pueros, cum filiabus autem puellas alere debere, suadet, *pag.* 70. In *Collegio* universali sint viri ex toto orbe selecti, ingeniosi, solertes, pii, publici boni fervidè amantes, ex ordine tam politico, quàm Ecclesiastico indifferenter: qui velut in specula pro salute generis humani excubando, omnes possibiles vias & modos occasionesque omnia omnibus profutura quærendi, inventa propagandi, propagata à corruptelis præservandi dispiciant; *pag.* 70. *Lingua* universalis sit nova, omnibus jam notis (1) faciliot, ut sine temporis & rerum dispendio disci possit: (2) suavior, ut eam discere & didicisse volupe sit: (3) perfectior, tamque perfecta, ut eam callere ad ipsarum rerum intellectum valde prosit; *pag.* 78. Tandem hac ratione universalem humani generis illuminationem sibi pollicetur, non tantùm in naturalibus, sed & in spiritualibus; ut omnes futuri sint ejusdem religionis in divinis non minùs, ac scientiæ in humanis, *pagin.* 81. *seqq.* Rationes verò ejus, quibus *pag.* 14. hujus lucis universalis ante finem mundi, spem esse indubiam, probare nititur, quàm ineptæ, quàm incertæ! Plerasque à similibus petitas esse videas: *à Comœdia*, in qua ultima sunt clariora: *ab ætatibus*, quarum ultima sapientissima: *à creatione lucis*, quæ, prout intellectualis est in homine, ultimo demum die fuit producta. Nec aliter ludere decebat suaviter somniantem, modo abstinuisset à dictis Scripturæ, quæ passim, præcipuè *cap.* 20. huc torquet. Requisita verò quàm impossibilia pro statu vitæ humanæ, diversissimarumque gentium! Hinc aliis septem requisitis rem expedire conatur *cap.* 21. *pag.* 86. *seqq.* reverà autem involuit, & non difficilem, sed impossibilem omnino esse prodit. Conjicio, nominem non alio consilio ad publicationem hujus speculationis deductum fuisse, quàm æmulatione Regiæ Londinensis societatis, quam in naturalibus multa hactenus abscondita feliciter eruere præsens ætas videt, ipseque *Comenius in dedicatione ad laudatam societatem libello præmissa* deprædicat. Cùm enim hunc tractatum jam ante annos 26. à se in Anglia conscriptum (*de quo vid. Dedic. pagin.* 1. 2.) hactenus suppressisset, morti jam propinquus, 77. annorum senex, illum perire noluit; scil. ut ne nihil ad reformationem scientiarum Anglicanam legatur contulisse, quam sibi à dicta societate *in Dedic.* pollicetur; imò prædicetur, majus quid tentasse per hanc viam lucis universalem, non in humanis, sed divinis etiam à se ostensam. 600

APHO-

APHORISMUS III.

Dies extremi Judicii hodie à nemine potest præsciri.

SCHOLIUM.

§. 1.

TAm certum hoc est de nobis hominibus, ut notitia hujusmodi fugiat etiamnum Angelos, & olim latuerit Christum ipsum, scil. secundùm humanam naturam in statu exinanitionis, *Matth. XXIV. 36. Marc. XIII. 32.*

§. 2. Distinguendum tamen est inter cognitionem generalem & specialem. *Illa* periodum ultimorum horum temporum designat; *hæc* certum individuum diei aut anni determinat. *Illam* ex prædictionibus quamplurimis jam adimpletis aliisque circumstantiis probabilissimè; *hanc* conspectis nondum à nobis signis proximis, nullo modo colligere possumus.

§ 3. Quo notato, non est, quod παῤῥησίαν *B. Matth. Hofmanni*, quam in *Chronotaxi Apocalyptica A. 1668. Jenæ edita* in nominanda integra periodo modestè adhibet, rigide rejiciamus. Putat nimirum ille, totum tempus Ecclesiæ N. Test. absolvi 7. tubiciniis sive Jubilæis Angelicis, *pag. 77.* singula verò Jubilæa Angelica constare annis 343. *pag.* 82. adeoque totam periodum Ecclesiæ N. Test. complecti annos 2401. *pag.* 83. Sed cum inde videatur fluere temeraria jactantia de præcognitione diei extremi, contra effatum Servatoris, apud *Matth. & Marc. locis supra alleg.* inter alia *pag. 96.* apologeticè: Si, *inquit*, dictis locis intelligendum est secundum literam, prout verba jacent, de die & hora extremi judicii, facilè concedo, respectu & hominum & Angelorum adhuc vigorem suum obtinere; quia dies ille & hora ultima nullibi, quod sciam, in sacris literis sunt revelata, sed in omniscientia divina solùm posita. Si autem per diem & horam latior terminus, puta annus unus & alter, intelligitur, etiam concedere possum, & Angelos & homines annum certum ignorare. Et *pag. 97.* Sin verò dictum hoc de latissimo termino, puta uno vel altero seculo, loqui statuatur, dico illud penitus esse abrogatum (*cap. 5. Apocal. per tot.*) non tantum quoad Filium hominis, sed etiam quoad reliquos, homines & Angelos. *Hactenus Hofmannus.* Quemadmodum enim tempus primi adventus quoad diem & horam definiri non potuit, paulo latiùs tamen acceptum per hebdomadas Danielis patefactum erat: Ita de secundo adventu DEUS nos, occultato tamen momento aut spatio temporis arctiori, per periodos Apocalypticas, in commodum nostrum, sub aliqua latitudine certiores fecit.

§. 4. Utilis est hæc doctrina in Didacticis tum adversus temeritatem in excessu, ut curiosi nimium ne simus adversus generalem prohibitionem Christi,

Christi, *Actor. 1, 7.* tùm contra securitatem in defectu, ne quod dilatum est per tot secula, nunquam vel nimis serò futurum somniemus.

§. 5. In Polemicis facit adversus eos, qui litem super hac salutari ignorantia omni ævo Ecclesiæ moverunt; de quibus prolixè *B. Gerh. Loc. de Extrem. Jud. § 77. seqq.* quem ne actum cogamur agere, consule. Quod superest, clausulam Apocalypticam atque Biblicam nostram in fine facimus, ingementes, ingeminantes: *Etiam veni citò, Amen. Etiam veni Domine JESU! Gratia Domini nostri JESU CHRISTI cum omnibus vobis, Amen.*

S. D. G.

INDEX

INDEX I.
CANONUM
Sive
APHORISMORUM
Loci I.
DE SCRIPTURA SACRA.

Monendus hîc Lector Benevolus, Indicem hunc notare paginas Editionis veteris in nova hac posita in margine.

APhorismus I. Quicquid Christus de suis dictis & factis nos scire voluit, scribendum discipulis, tanquam suis manibus, imperavit. pag. 5

II. Hebræi fontes, Græci rivos, Latini paludes bibunt. 6

III. Sine supra & infra Scriptura legi non potest. 7

IV. Masora est sepimentum legis. 8

V. Scriptura est mare, in quo elephas natat, agnus peditat. 10

VI. Pascimur apertis, exercemur obscuris, illis fames, his tædium pellitur. 11

VII. Nullus in Scripturis est apex, à quo non pendeant doctrinarum montes. 12

VIII. Τὸ πῶς περὶ Θεοῦ ζητεῖν, σαφὴς τῆς ἀπιστίας ἔλεγχος, i. e. Modum de Deo (in rebus divinis,) quærere, manifestum est incredulitatis argumentum. 13

IX. Scriptura per Scripturam est explicanda. Item, Spiritus S. est optimus verborum suorum interpres. 14

X. Οὐδεμία γραφὴ τῇ ἑτέρᾳ ἐστὶν ἐναντία, h. e. nulla scriptura, (sc. θεόπνευστος,) alteri est adversa. 16

XI. Optimus Scripturarum interpres est, qui sensum non infert, sed effert. 18

XII. Fides est una copulativa. 20

XIII. In Scripturis non datur prius & posterius. 22

XIV. Non est in Scripturis objectio, quin remedium habeat in latere. 23

XV. Litera gesta docet, quid credas allegoria, Moralis quid agas, quid speres anagogia. 24

XVI. Solus sensus literalis argumenta firma suppeditat. Literæ inhærendum, nisi in absurdum aliquod Theologicum impingat. 26

XVII. Theologia allegorica non est argumentativa. 30

XVIII. Scriptura non deficit in necessariis, nec abundat superfluis. 31

XIX Multa sunt in Scripturis, etiamsi non dicantur. 33

XX. Quæ præter Scripturas afferuntur traditiones, vel sunt fidei dubiæ, vel inter se contrariæ, vel corruptelis obnoxiæ. Item, traditionum assumentum non est assumendum. 35

XXI. Quicquid in Patribus Scripturarum autoritati congruit, cum laude eorum recipito, quod non congruit, cum pace eorum rejicito. Patres sunt lumina, non numina. 36

XXII. Errant Concilia, quæ, Concilia errare posse, negant. 38

XXIII. Canones Apostolorum sunt adulterini. 40

Loc. II.
DE DEO.

I. Nomina ferè sunt, quæ de Deo in hac vita scimus. 45

II. Deus ἀμάρτυρον se non reliquit. Item, Ὁ κόσμος τῆς θεογνωσίας παιδευτήριον. Item, Præsentem monstrat quælibet herba Deum. 49

III. Deus melius scitur nesciendo. 51

IX. Ἀνθρώποις ἀνθρωπίνως ἡ γραφὴ διαλέγεται, i. e. hominibus humano more Scriptu-

Digitized by Google

ra loquitur. Item: Quæ dicuntur in Scripturis ἀνθρωποπαθῶς, i.e. humano more, θεοπρεπῶς, i.e. Deo convenienter sunt intelligenda, 52
V. Nihil est in Deo, quod non sit Deus. 53
VI. Deus est omnia & nihil. 54
VII. Ubi Deus est, ibi totus est, nec major in maximo, nec minor in minimo. Item: Deus non mole magnus est, sed virtute. Item: Deus est intra omnes creaturas, non inclusus; & extra omnes creaturas, non exclusus. Item: Deus est circulus, cujus centrum est ubique, circumferentia nusquam; Item, Αὐτὸς ἑαυτῷ τόπος. 55
VIII. Mutatio in creaturis facta mutationem nullam in Deum infert. 56
IX. Deo nihil abit præteritum, nihil subit futurum. 57
X. Enter, præsenter Deus hic & ubiq; potenter. 59
XI. In opere redemtionis temperamentum justitiæ & misericordiæ divinæ lucet. It. Peccata non ex nuda Dei voluntate sunt æstimanda. 61
XII. Affectus, qui Deo tribuuntur in Scripturis, de effectu sunt intelligendi. 62
XIII. Voluntas Dei semper impletur, vel à nobis, vel de nobis. 63
XIV. Voluntas Dei facientis est tota facti ratio. 64
XV. In una numero essentia divina tres sunt distinctæ personæ, Pater, Filius & Spiritus S. 65
XVI. In Deitate est ἄλλος καὶ ἄλλος, non ἄλλο καὶ ἄλλο. 72
XVII. Filius Patri non tantum ὁμοιούσιος, i.e. similis essentiæ, sed & ὁμοούσιος, i.e. ejusdem essentiæ cum Patre. 73
XVIII. Filius τάξει, i.e. ordine, non tempore, non dignitate, non potestate posterior est Patre. 75
XIX. Filius rectius αὐτὸς θεὸς, quàm αὐτόθεος dicitur. 76
XX. Semper gignit Pater & semper nascitur Filius. Semper spirat Pater & Filius, & semper procedit Spiritus S. 77
XXI. Spiritus S. à Patre & Filio immanenter emanat, & emananter immanet. 78
XXII. Quid sit nasci, quid processus, me nescire sum professus. 81
XXIII. Opera Trinitatis ad extra sunt indivisa, servato tamen ordine. 82

Loc. III.
DE CHRISTO.

I. Ἡ θεότης χρίσις τῆς ἀνθρωπότητος, i.e. Deitas unctio est humanitatis. 85
II. Tolle morbos, tolle vulnera, nec erit medicinæ causa. 86
III. Christus est seipso major & seipso minor. It. Propter officium personæ σύνδεσις requirebatur. ibid.
IV. Cujus eramus πλάσις, illius sumus ἀνάπλασις. 88
V. Τὸ ἀπροσλήπτον ἀθεράπευτον, i.e. Quod Filius Dei non assumsit, non redemit. 89
VI. Ἅμα σὰρξ, ἅμα θεοῦ λόγου σάρξ, i.e. Simul caro, simul Dei verbi caro. 91
VII. Christus per omnes ætatis nostræ gradus venit, ut immundam nostram conceptionem & nativitatem radicitus curaret. Item: Christus sustinuit nostram nativitatem. ibid.
VIII. Tacente Scriptura non sunt fingenda miracula. 93
IX. Incarnatio Filii Dei mysteriorũ est abyssus 95
X. Quod Filius Dei semel assumsit, nunquam deponit. 96
XI. Duæ naturæ in Christo indivulsè simul & inconfuse sunt unitæ. 97
XII. In Christo non est ἄλλος καὶ ἄλλος, sed ἄλλο καὶ ἄλλο. 100
XIII. Ut se res habet in esse, sic etiam in prædicari. Vel: Prædicationes personales sunt inusitatæ, ibid.
XIV. Qualis unio, talis etiã est communicatio. 102
XV. Fundamentum distinctionis inter tria communicationis idiomatum genera sunt prædicationes idiomaticæ in Scripturis distinctæ. 103
XVI. Deus passus est non in proprietate naturæ, sed in unitate personæ. 105
XVII. Christus mortuus est, non ex necessitate, sed ex liberrima voluntate. 106
XVII. In officio Christi quælibet natura agit, quod cujusque proprium, sed cum communicatione alterius. 107
XIX. Inter particulã κατά, i.e. *secundum*, primi, secundi & tertii generis interest. 108
XX. Christus, ut Deus, dat omnia, ut homo, accipit omnia. It. Quæ Christo in tempore data dicuntur, secundum humanitatem data rectè intelliguntur. 109

XXI. Non excelſus, ſed caro excelſi exaltatur. It. Non aſſumentis, ſed aſſumti provectio eſt. 110
XXII Non in occultatione tantùm majeſtatis, ſed uſus evacuatione ſtatus exinanitionis conſtitit. 112
XXIII. Chriſti deſcenſio eſt noſtra aſcenſio. 114
XXIV. Stare pugnantis eſt, ſedere gubernantis. 115

Loc. IV.
DE CREATIONE.

I. Deus opera ſua fecit non ex indigentia, ſed beneficentia; non ampliatur noſtris laudibus, ſed manifeſtatur ſuis operibus. 120
II. Qui liberè naturæ leges dedit, ſeipſum naturæ legibus & ordini non obſtrinxit. 122
III. Omnis creatura Dei bona eſt, etiamſi non ſit omnibus apta. 124
IV. Natura in minimis eſt tota. Item: Natura in minimis maximè miranda. Item: Expaveſcis in minimis; lauda maximum. ibid.
V. Ὁ Θεὸς καὶ Φύσις ἀεὶ γεωμετρεῖ, h. e. Deus & natura ſemper agunt Geometras. 125
VI. Pondere, menſura, numero Deus impare gaudet. It.
Non alio mundus debebat nomine dici.
Nomē ab ornatu conveniēter habet. 126
VII. Hoc univerſum eſt larva ſui conditoris. 127
VIII. Omnia propter hominem, homo propter Deum. Item. Nulla creatura homini nocuiſſet, omnis inſerviſſet, ſi homo non peccaſſet. 128
IX. Ex ordine aliquo in genere, non ſtatim colligitur hic vel ille in ſpecie. 129
X. Angeli ſunt Spiritus à corporibus independentes. 131
XI. Angeli ſunt ſimpliees, ſed non ſimpliciſſimi. 132
XII. Angeli nec loco circumſcribuntur, nec tempore menſurantur. Angeli moventur in tempore non perceptibili. 133
XIII. Angelorum poteſtas eſt ſub poteſtate. It. Angeli quod poſſunt, faciunt, Deō permittente: non faciunt, quod poſſunt, Deo prohibente. Item: Diabolus ligatus eſt, ne noceat: obambulat, ut exerceat. 134
XIV. Angeli ſunt honorandi, non adorandi. 135
XV. Angelorum in bono confirmatio non fuit debitum meriti ſtipendium, ſed gratuitum Dei confirmantis donum. 137
XVI. Diaboli ſuggerere pravas cogitationes homini poſſunt, cogere non poſſunt. Item, Diaboli cogitationes hominum abſtruſas ſcire non poſſunt. 139

Loc. V.
DE PROVIDENTIA.

I. Fatum Chriſtianum eſt pendens à divino conſilio, ſeries & ordo cauſarum. 142
II. Deus non eſt otioſus rerum ſpectator, ſed prudens etiam malarum voluntatum ordinator. 144
III. Deus peccata peccatis punit. 146
IV. Actio diſplicuit, paſſio juſta fuit. 147
V. Nunquam Deus peccatum permitteret, niſi bonum ex illa permiſſione peccati elicere ſciret. ibid.
VI. Non deſerit Deus hominem, niſi prius ab homine deſeratur. 148
VII. Deus indurat, cum non emollit; excœcat, cum non illuminat. Item: Actiones Dei, quæ ſpeciem mali præ ſe ferunt, permiſſivè ſunt intelligendæ. 150
VIII. Judicia Dei ſemper ſunt juſta, licet nobis non ſemper ſint manifeſta. It. judicia Dei occulta eſſe poſſunt, nunquam tamen injuſta. 150
IX. Præſcientia Dei non imponit neceſſitatem eventui. Non quia Deus præſcit, res futurę ſunt, ſed quia futuræ ſunt, ideò Deus præſcit. 151
X. Præſcientia Dei contingentiam non tollit. 154
XI. Providentia Dei fortunam & cauſam neſcit. 155
XII. Aſtra regunt homines, ſed regit aſtra Deus. Item: Aſtra inclinant, non neceſſitant. ibid.
XIII. Non quævis θαυμάσια ſunt θάυματα, h. e. Non omnia mirabilia ſunt etiam miracula. 157
XIV. Miracula ſunt introitus ad fidem. 158
XV. Vitæ noſtræ tempora in Dei manibus ſunt conſignata. Ut comminationes Dei cum exceptione pœnitentiæ; ſic promiſſiones cum exceptione crucis, divinæque voluntatis ſunt accipiendæ. 159

Loc VI.
DE PRÆDESTINATIONE ET REPROBATIONE.

I. Οὐ δεῖ τὰ κεκρυμμένα ζητεῖν, ἐδὲ τὰ δεδηλωμένα παντελῶς ἀγνοεῖν, i. e. Quæ Deus occultavit, non ſunt ſcruranda; quæ verò de ſe revelavit, non ſunt negligenda. 164

II. De prædestinatione nostra potius à posteriori, quam priori judicium ferendum. 166
III. Prædestinatio mediorum antecedit prædestinationem hominum. 167
IV. Prædestinatio multis est causa surgendi, nemini labendi. 168
V. Electio universalis est σιδηροξυλον. 169
VI. Præscientiam ex electionis decreto tollere, nihil aliud est, quam oculum huic decreto excludere. 171
VII. Electi in faciem, reprobi retrorsum cadunt. 172
VIII. Sobria de prædestinatione meditatio incipit à vulneribus Christi. 173
IX. Non plus ponit Catholicus destructor, quam Catholicus reparator. 174
X. Gratia Dei vocantis per tempora & populos est variata, nemini absoluto decreto denegata. 176
XI. Dolus bonus in Deum non cadit. 178
XII. Non propter fidem, sed per fidem ad æternam salutem eligimur. 179
XIII. Prædestinatio non est præviſorum operum meritum, sed Dei eligentis gratuitum donum. 181
XIV. Dat Genitor, meruit Natus, firmatque salutem
Spiritus: una fides hæc capit, acta probant. 182
XV. Si dubitas, te esse prædestinatum, fac ut prædestineris. 183
XVI. Trahit Deus, sed per rete verbi. 185
XVII. Multa in lumine gratiæ sunt obscura, quæ in lumine gloriæ erunt manifesta. 187
XVIII. Electorum numerus certus quidem est, sed tamen non fatalis. 188
XIX. Non angeli, sed homines sunt electionis objectum. 189

Locus VII.
DE IMAGINE DEI.

I. Justitia originalis in Protoplastis non fuit donum aliquod supernaturale, sed connaturale. Item: Naturalia post lapsum non manserunt integra. 193
II. Justitia originalis non fuit latentis mali cura palliativa. 195
III. Homo in puris naturalibus non datur, nisi fictione mentis, ibid.
IV. Homo flexilis fuit conditus, ut posset peccare & non peccare, stare & cadere. Item: immutabilitas est attributum solius Dei. 196
V. Alia ratione ψυχικὸς, i. e. animalis dicitur homo in statu integritatis, aliâ in statu transgressionis. 197
VI. Homo non intellectu, sed intellectus luce; non voluntate, sed voluntatis sanitate post lapsum privatus est. 198
VII. Conditus est primus homo in terra & de terra, nec tamen ad terram & propter terram, sed ad cœlum & propter cœlum. 200
VIII. Mors corporalis non est humanæ naturæ conditio, sed oritur ex transgressionis vitio. 201
IX. Alius immortalitatis gradus fuit in natura instituta, alius olim erit in natura plenè restituta. Primi hominis immortalitas erat posse non mori; electorum immortalitas olim erit, non posse mori. 203
X. Quicquid excellens de corporibus humanis in hac vita constitutis cogitari potest, primis parentibus nostris in statu integritatis non defuit. 204
XI. Detrectans homo Deo conditori servitium, amisit in creaturas dominium. 206
XII. Paradisus terrestris non amplius extat. 207
XIII. Plus in Christo accepimus, quam in Adamo perdidimus. 209
XIV. Adamus Præadamitas excludit. ibid.

Loc. VIII.
DE PECCATO.

I. Fuit Adam, & in illo fuimus omnes; periit Adam, & in illo periimus omnes. 219
II. Peccatum est infiniti boni offensa infinita. 220
III. Totus homo inversus est Decalogus. 221
IV. Peccatum originale non est figmentum Augustini. ibid.
V. Prius incipit macula, quam vita. 222
VI. Non nascuntur, sed fiunt Christiani. 223
VII. Non, ut digitulus incurvatus rectitudini; sic voluntas primi hominis obliquata integritati suæ per naturam restitui potest. 225
VIII. Peccati vitium non tollit Dei & naturæ beneficium. 226
IX. Hominem post lapsum Diaboli figmentum esse fingitur; ibid.

Digitized by Google

X. Peccatum & privativum & positivum quid dici potest. 228
XI. Periculum non est, si origo animæ lateat, modò redemtio clareat. Item. Generantibus parentibus creat Deus. 229
XII Ubi Scriptura non excipit, ibi nec nostrum est excipere. Item: Ab originali peccato Maria, Deipara, excipi nequit. 232
XIII Concupiscentia peccati mater & ipsa peccatum est, 233
XIV. Durante vitâ durat σαρκοπνευματομαχία. 235
XV. Omne peccatum suâ naturâ est mortale: Vicissim: omne peccatum Christi merito fieri potest veniale. 236
XVI. Peccata certo respectu sunt æqualia. Item, Dantur peccatorum gradus. Item. Ut peccatorum, sic pœnarum in vita futura gradus dantur. 238
XVII. Peccatum in hac vita tollitur, non, ut non sit, sed ne obsit. 239
XVIII. Pro illo non malè oratur, de quo non desperatur. 240
XIX. De peccato in Spiritum S. non temerè pronunciandum, sed à posteriori, finali se. impœnitentia, judicium ferendum. 242

Loc. IX.
DE LIBERO ARBITRIO

I. Homo in naturalibus vulneratus, in spiritualibus planè mortuus est. 247
II. Homo non nascitur ἀδιάφορος ad bonum & malum. 248
III. Recta ratio non semper deprecatur ad optima. 249
IV. Τὸ αὐτεξούσιον soli Deo competit. 251
V. A mandato ad posse non valet consequentia. 252
VI. Nil Deus in nobis præter sua dona coronat. 253
VII. Erasmi modiculum est rejiculum & ridiculum. 254
VIII. Non trahit Deus volentes, sed ex nolentibus facit volentes. 255
IX. Tolle liberum arbitrium, non erit, quod convertatur: rolle gratiam, non erit, unde convertatur. Item: Conversio est propriè voluntatis adverbialiter, non est propriæ voluntatis, nominaliter. 256
X. Prævenit nos divina gratia, antequam possimus; operatur in nobis ut possimus; cooperatur in nobis, quando ipsius dono jam possumus. Item: Renati cooperantur Spiritui S. non collateraliter, sed subordinatè. 257
XI. Gratia, quam Pontificii quidam in h. l. docent, congrua. Scripturis est incongrua. 258
XII. Homo non convertitur irresistibiliter. Item, Δεῖ τὸ καλὸν εἶναι ἀβίαστον, h. e. Bonum non debet esse coactum, vel violenter extortum. 259
XIII. Scriptura non tantum est principium μαθήσεως, sed etiam πράξεως. 290
XIV. Arbitrium hominis in statu integritatis fuit liberum, in statu corruptionis est servum, in statu restitutionis est liberatum, in statu glorificationis erit liberrimum. 262

Loc. X.
DE LEGE.

I. Lex & Evangelium in Ecclesia esse debent conjuncta, nihilominus accuratè inter se distincta. 272
II. Quod lex imperat, Evangelium impetrat. 273
III. Lex ante lapsum aut ad obedientiam, aut ad pœnam obligat. 274
IV. Christus quidem fuit Legis Doctor, sed non Legislator. 275
V. Imagines, si Testamentum vetus vetabat, novum habet liberos. 276. seq.
VI. Jurare licet, ne tamen nomen Domini sumatur invanum. 278
VII. Sabbathum non est servandum, quia figura est. 280
VIII. Leges humanæ obligant in conscientia, sed secundariò. 281
IX. Non minus mali est, referre, quam inferre injuriam. Item: Satius est injuriam ferre, quam inferre. 282
X. Cœlibatus suaderi potest, cogi non potest. Vel: cœlibatus consilio, non præcepto regitur. 283
XI. Usuræ non sint mordentes, sed compensatoriæ. 284
XII. Cum falsum à scientе dicitur, procul dubio mendacium est, sive illo quisquam, sive nemo lædatur. 286
XIII. Lex Mosis alicubi permittebat non bonum, ad cavendum majus malum. ibid. seq.

XIV. Deſtructo templo & foro Moſaico, legibus ceremonialibus & forenſibus Moſaicis non amplius locus eſt in N. T. 287. ſeq.

Loc. XI.
DE EVANGELIO.

I. Evangelium eſt breve verbum de verbo abbreviato. 298
II. Evangelium eſt longum & breve. 300
III. Lex & Evangelium ſunt duæ doctrinæ diverſæ, non adverſæ. 301
IV. Lex ligat & damnat, Evangelium ſolvit & ſalvat. 302
V. Pro Evangelium idem quod Poſt-Evangelium docet. 303
VI. Conſilia Pontificiorum Evangelica ſunt minus conſulta. 304
VII Evangelium nec præceptiones, nec comminationes, ſed ſuaves invitationes habet. Item: Promiſſionibus Evangelicis conditio non operis, ſed organi eſt annexa. 307
VIII. Lex Evangelica videtur eſſd σιδηροξυλον. 308
IX. Juramenta per Evangelia præſtita cum grano ſalis ſunt accipie nda. ibid.
X. Paulus proprium Evangelium non ſcripſit. 309
XI. Evangelii promiſſiones ſunt univerſales. 310
XII. Summa Chriſtianorum ars eſt Legem ignorare. 311

Loc. XII.
DE POENITENTIA.

I. Pœnitentia non eſt ſecunda naufragi tabula. 323
II. Pœnitentia eſt exercitium baptiſmi. 324
III. Peccata remiſſa redeunt poſt nova commiſſa. 325
IV. Tota Chriſtiani hominis vita debet eſſe pœnitentia quotidiana. 326
V. Vera pœnitentia nunquam eſt ſera. 327
VI. Sera pœnitentia rarò eſt vera. Quomodo in morte recordabitur Dei, qui non reminiſcitur ſui? Latet unus dies, ut obſerventur omnes. Qui veniam promiſit, craſtinum non promiſit. 328
VII. Χιλιάκις μετανοήσας χιλιάκις ἔσωλθε, h. e. Millies pœnitentiam agens, millies ingredere. 329
VIII. Pœnitentia nec cum, nec ſine abſolutione Sacramentum eſt. 330
IX. Contritio, ſi ſeria eſt, tanta eſt, quantam pœnitentia requirit. 33
X. Tunc optimè ſumus diſpoſiti, cùm peſſimè videmur diſpoſiti. 332
XI. Per miſerere mei tollitur ira Dei. 334
XII. Non variant veram plusve minusve fidem. 335
XIII. Confeſſionis ſigillum non eſt reſcindendum. 336
XIV. Caſus reſervati nota ſunt Antichriſti. 337
XV. Taxa pœnitentiaria mercaturæ Papalis teſſera. 338
XVI. Afflictiones piorum non ſunt pœnæ propriè dictæ. 339
XVII. Bullæ indulgentiariæ verè ſunt bullæ. 340
XVIII. Excommunicationes debent eſſe medicinales, non exitiales. 341
XIX. Lapſus majorum ſit timori minorum. Item. Multi cum DaVide volunt cadere, pauci ſurgere. 342

I.oc. XIII.
DE JUSTIFICATIONE.

I. Δίκαιος ἑαυτῷ κατήγορος, h. e. juſtus eſt accuſator ſui ipſius. 353
II. Non omnium beneficiorum Chriſti participes in hac vita evadimus. 354
III. Juſtificatio non ſuſcipit magis & minus. Juſtificatio fit in inſtanti. Juſtitia coram Deo valens juſtificatis omnibus eſt æqualis. 355
IV. Quantum mentis noſtris adſcribitur, tantum gratiæ divinæ detrahitur. 357
V. Deus eſt noſter debitor, non ex commiſſo, ſed promiſſo. 358
VI. Chriſtus nobis à Deo datus eſt ut donum & ut exemplum. 358
VII. Meritum Chriſti profuit, antequam fuit: contemtus ejusdem obfuit, antequam fuit. Item: Tempora ſunt Patribus, non variata fides. 369
VIII. Inter Deum & homines mediatrix eſt divina humanitas & humana divinitas. 371
IX. Non datur fides informis. Fides informis informe monſtrum. 372
X. Juſtitia imputata ſtat & cadit cum fide. Item. Semel tantum juſtificamur. 373
XI. Sola fides juſtificat, ſed ſolitariè non exiſtit. It. Fides prægnans bonis operibus juſtificat ante partum. 374
XII. Non propter fidem, ſed per fidem juſtificamur. 376
XIII. Fides elevata deprimenda. 377

Digitized by Google

XIV. Non acceptillatio, ſed ſatisfactio in articulo de juſtificatione locum habet. ibid.
XV. Non putativè, ſed imputativè juſtificamur. 379
XVI. Relationes quidem ſunt minimæ Entitatis, ſed maximæ efficaciæ. 381
XVII. Peccatum in juſtificatione tollitur, non ut non ſit, ſed ut non obſit. 382
XVIII. Dubitatio de gratia eſt purgatorii columna. 383
XIX. Electi non finaliter quidem, ſed totaliter tamen fidem amittere poſſunt. 385

Loc. XIV.
DE BONIS OPERIBUS.

I. Non ex intentione, ſed norma de bonis operibus judicandum. Item: Non ex intentione de operibus, ſed ex operibus de intentione judicandum. 390
II. Bona opera non præcedunt juſtificandum, ſed ſequuntur juſtificatum. ibid.
III. Placente perſonâ placet opus. 391
IV. Bona opera ſunt via, non cauſa regnandi. It. Bona opera neceſſaria ſunt non ad ſalutem, ſed ante ſalutem. 392
V. Jam Spiritus Primitias accipimus, olim decimas. ibid.
VI. Bona opera Deo placent, ſed Deum non placant. 393
VII. Ubi opera non apparent extra, ibi fidem ne credas eſſe intra. 394
VIII. Bona opera non nominibus, ſed adverbiis ſunt dijudicanda, h. e.
Non tantum bona eſſe, ſed & benè fieri debent.
Adjectiva parum profunt adverbia multum,
Non Bona tam penſat, quàm benè facta Deus.
IX. Bona gentilium opera ſunt ſplendida peccata. 395
IX. Non opera noſtra, ſed perſona, cujus ſunt opera, ſanguine Chriſti tingitur. 396
X. Bona opera eſſe ad ſalutem pernicioſa, pernicioſè dicitur. ibid.
XI. Virtutes in ſe dilectio continet omnes. 397
XII. Scripturæ verba in opera ſunt convertenda. 398
XIII. Omnis Chriſti actio eſt noſtra inſtitutio. It. Vita Salvatoris Ethica ſpiritualis. 399
XIV. Ordinata charitas incipit à ſeipſa. 400
XV. Indigis, licet indignis, benefaciendum. 401
XVI. Bona opera non pariunt gratiam, ſed pariuntur à gratia. 402
XVII. Gratia datur, non quia bona fecimus, ſed ut ea facere valeamus. 403

Loc. XV.
DE SACRAMENTIS.

I. Sacramenta ſunt verbum viſibile. 409
II. Sacramenta ſunt ſigilla promiſſionibus Evangelicis annexa, h. e Non ad Legem, ſed Evangelium pertinent. 410
III. De quolibet Sacramento judicandum eſt ex propria ſede. 411
IV. Autoritate humanâ Sacramentum nec inſtitui, nec in inſtituto vel augeri, vel minui poteſt. 412
V. Vim Sacramenti non mutat vita miniſtri. ibid.
VI. Miniſtri non inrendentis vitium non tollit Sacramentorum eſſentiam & beneficium. 413
VII. Sacramenta V. & N. T. efficientiæ ac fine conveniunt, materiâ & formâ diſcrepant. 414
VIII. Sacramenta imitantur naturam Teſtamenti, cujus ſunt Sacramenta. 415
IX. Sacramentum extra uſum non eſt Sacramentum. 416
X. Ordo Sacramentis inſervit, non imperat. 418
XI. Fides non facit Sacramentum eſſe, ſed prodeſſe. 419
XII. Non Sacramentum, ſed fides Sacramenti juſtificat. 420
XIII. Nec Sacramenta Veteris Teſtam. ex opere operante, nec Novi ex opere operato gratiam & juſtificationem conferunt. 421
XIV. Sacramenta V. T. non ſignificarunt, ſed contulerunt gratiam. 422
XV. Chriſtiani non ſunt graculi, ſed aquilæ. 425
XVI. Character Pontificiorum eſt indelebilis, quia nullibi eſt ſcriptura. ibid.
XVII. Sacramenta ſigna ſunt non tantum ſignificativa, ſed & exhibentia & conferentia. 427

Loc. XVI.
DE BAPTISMO.

I. Baptiſmus eſt prima gratiæ porta, Baptiſmus eſt prima naufragi tabula. 434

Digitized by Google

II. Non ex generatione, sed regeneratione Christiani fiunt. 436
III. Non privatio, sed contemtus damnat. Non defectus, sed despectus officit. Deus homines, non semetipsum ordini alligavit. 437
IV. Satius est baptismum repetere, quam de semel susceptο dubitare. 438
V. Non quis, sed quid faciat, in administratione Baptismi spectandum. Item: Necessitas non habet legem. 439
VI. Limbus puerorum clumbis est evacuandus. 441
VII. Baptismus repeti potest, non actu suscipiendo novum, sed fide recipiendo veterem. 442
VIII. Substantialibus retentis, baptismus non est iterandus. Item: Ab hæreticis baptizati non sunt rebaptizandi. 444
IX. Qui baptizantur ab Arrianis baptizati non rebaptizantur, sed rectè baptizantur. 446
X. Hæretici baptismum legitimum habent, sed non legitimè. ibid.
XI. Quotidianis delictis baptismus quotidianus opus non est. Item: Baptismus non est iterandus. 448
XII. Nec mortui, nec in lucem nondum perfectè nati sunt baptizandi. 449
XIII. Sponsores os, non cor infantibus communicant 451
XIV. Peccatum in baptismo tollitur. non ut non sit, sed ut non imputetur. 452
XV. Baptismus est Imperatoris nostri character. 453
XVI. Johannis Baptismus idem fuit cum baptismo Christi. ibid.
XVII. Baptismus non fuit signum temporarium. 455
XVIII. Baptismus non ex opere operato, sed fide prodest. 456
XIX. Baptismus extra usum non est Sacramentum. 457
XX. Exorcismi duriora verba commodiore sensu sunt interpretanda. 458
XXI. Actualia peccata, sed obscuriuscula, etiam in infantes cadunt. 459

Loc. XVII.
DE COENA DOMINI.

I. Idem, qui protulit Evangelium ex sinu Patris, sigilla doctrinæ adjecit. 474
II. Idem convivator, idem cibus. Idem sacerdos, idem victima. 475
III. Non Ministri, sed Christi manum ad te porrigi arbitrare. ibid.
IV. Naturæ symbolorum nec quantitas, nec qualitas quicquam derogat, modò substantia maneat. 476
V. Mistura vini & aquæ non optimè in Scripturis audit. 478
VI. Perspicuus Testatorum solet & esse debet stylus. ibid.
VII. Quæ Christus conjunxit, homo ne separet, 479
VIII. Concomitantia naturalis corporis & sanguinis Domini sacrilegio calicis minimè patrocinatur 480
IX. Transsubstantiatio multorum errorum & abusuum genetrix extitit. 481
X. Unio Sacramentalis fit, quando fit manducatio & bibitio. 482
XI. Os Lutheranum à ventriculo Pontificio longè distat. 483
XIV. Οὐδεὶς γὰρ μέτρης εἰσίτω. Item. Quod non capis, quod non vides, animosa firmet fides. 484
XIII. Præsentiæ Sacramentalis, quâ talis, fundamentum sunt verba institutionis. Item. Præsentia Sacramentalis generalem præsupponit, 485
XIV. In, cum, sub, totum turbant monosyllaba mundum. 487
XV. Formæ consistunt in indivisibili. ibid.
XVI. Effectus verborum Christi etiamnum durat. Verba consecrationis sunt operativa. 488
XVII. Fractio panis distributioni servit. Item: Ἀρτοκλασία non est actus cœnæ principalis, sed ministerialis. 489
XVIII. In fractione panis & destructione per dentes forma Sacramenti hujus non consistit. Item: Sacramentum hoc actio Dei potius est, consequenter novis Christi præceptis non venit annumerandum. 491
XIX. Omne receptivum recipit, non per modum impartimentis, sed suæ receptivitatis. 493
XX. Eucharistia est immortalitatis pharmacũ. 494
XXI. Margaritæ porcis non sunt objiciendæ. 495
XXII. Crede & manducasti. Item: inter alios cœnæ fines est etiam doctrinæ professio. 496

Loc. XIIX.

DE ECCLESIA.

I. Ὃυ Θεὸς ὃζι πατὴρ, ᾧ μὴ Ἐκκλησία μητήρ. Non Deus huic Pater est, cui non Ecclesia mater. 506

II. Extra Ecclesiam non est salus. 507

III. Cœtus electorum non est quærendus extra cœtum vocatorum. 508

IV. Ubi tres sunt, ibi Ecclesia est, licet laici. 509

V. Ecclesia per orbem terrarum est ambulatoria. 510

VI. Τὸ ὁμόδοξον ὁμόθρονον, τὸ δὲ ἀντίδοξον ἀντίθρονον. Non sanctorum filii sunt, qui tenent loca sanctorum, sed qui exercent opera eorum. Item: Non cathedra Sacerdotem, sed Sacerdos facit cathedram. 511

VII. Sæpius puriores sunt aures audientium, quam labia docentium. 512

VIII. Errat Ecclesia, quæ negat, Ecclesiam errare posse. 513

IX. Ecclesia non errat, quatenus sequitur vocem sponsi sui. 514

X Concilia errare possunt. 515

XI. Credendum est magis simplici laico Scripturas proferenti, quam toti Concilio contra Scripturas aliquid asserenti. 516

XII. Ecclesia fidei dogmata condere nequit. 517

XIII. Ecclesia non judicis, sed indicis officio fungitur. 518

XIV. Ecclesia coruscat radiis sponsi sui. 519

XV. Ecclesia Catholica non deficit: Ecclesiæ particulares non errare dun taxat, sed etiam deficere possunt. 520

XVI. Ecclesia servat Politiam: Politia servit Ecclesiæ. 521

XVII. Solus Christus caput est Ecclesiæ suæ. Item: Fundamentum aliud, præter id, quod positum est, poni nequit. 522

XVIII. Regimen Ecclesiæ visibile, non Monarchicum, sed Aristocraticum est. 523

XIX. In particularibus Ecclesiis datur primatus ordinis, non potestatis. 524

XX. Ecclesia non super Petrum, sed super petram est ædificata. Item: Petrus non fuit primus Episcopus Romanus. Ibid.

XXI. Ecclesia fuit etiam ante Lutherum. 526

Loc. XIX.

DE MINISTERIO ECCLESIASTICO.

I. In Novo Testamento nec sacrificia propitiatoria, nec Sacerdotes sunt. 542

II. Minister Ecclesiæ ab Ecclesia est vocandus. 544

III. Ecclesia major est Pastore & Rectore quovis suo. 545

IV. A beneficio Conversionis ad Officium Vocationis non valet consequentia. 547

V. Ordinarie tanta est necessitas legitimæ vocationis, quanta ministerii tàm in N. quàm V. Testamento. 548

VI. Vocatio Lutheri fuit mediata. 549

VII. Episcopus jure divino non est Presbytero superior. 550

VIII. Vocatio Ministrorum, juxta leges Ecclesiæ nostræ hodiè facta, est legitima. 552

Loc. XX.

DE MAGISTRATU POLITICO.

I. In Respublicas earumque Magistratus nec directè nec indirectè Papa habet potestatem. 564

II. Magistratus civilis non est dicendus Ecclesiæ alicujus particularis caput. 567

III. Magistratus civilis habet potestatem in casu necessitatis & in commodum periclitantis Ecclesiæ alienandi bona Ecclesiasticorum. 568

IV. Magistratus orthodoxus potest, urgente necessitate, defensionem heterodoxæ religionis aut potius heterodoxorum vel jurato promittere & præstare. 571

V. Potest aliquando Magistratus Christianus fœdera inire cum infidelibus. 572

VI. Magistratus Christianus contra infideles, qua tales, ob solam religionem bellum gerere non debet. 574

VII. Magistratus Christianus potest certam Confessionis formulam subditis præscribere, eosq; juramento, quod vocant, Religionis obstringere. 576

Loc. XXI.

DE CONJUGIO.

Conjugium est & manet honorabile atque in se bonum, etsi finem suum primarium, qui est generatio sobolis, post lapsum non obtineat sine

concomitantia mali, ob concurrentem propagationem peccati originalis. 586

Loc. XXII.

DE NOVISSIMIS.

I. Ab existentia animæ humanæ post solutionem à corpore non licet concludere ad præexistentiam ejus ante unionem cum eodem. 596

II. Ultima tempora sunt miserrima futura. 598

III. Dies extremi judicii hodiè à nemine potest præscribi. 600

INDEX II.

LOCORUM SCRIPTURÆ, QUI VEL BREVITER EXPLICANTUR, VEL ITA ALLEGANTUR, UT DE SENSU ET USU IPSORUM HAUT OBSCURE LECTORI CONSTARE POSSIT.

Cap.	Vers.	Pag.
	GENESIS.	
I.	1.	47. 66. 68
	2	80
	26	66
	28	564
	31	137
II.	17	192. 201. 203
III.	7	192. 193
	17	586
	18. 19	586
	22.	66
IV.	2	46
V.	1	189. 222
	2	222
	3	586
VI.	6	62
IX.	2	564
XI.	7	66
XV.	6	369
	15	360
	16	423
XVI.	11	17
XVII.	7	224
	14.	224
XVIII.	14	59
XIX.	24	66
XXII.	11. 12	67
	14	46
XLVIII.	15	36. 131
	16	67
XLIX.	18	424
L.	20	421

Cap.	Vers.	Pag.
	EXODUS.	
III.	2	151
	14	46. 67
	15.	67
	16	67
	18	67
IV.	24	413
VI.	3	47
VII.	4	142
VIII.	32	149
X.	1	149
XII.	47	27
XIV.	22	59
XVII.	15	46
XX.	12	160
XXI.	13.	355
	16	584
XXIII.	4. 5	402
	21	67. 138
XXIV.	8	294. 295
XXXII.	32	401
XXXIII.	19	67
XXXIV.	5	67
	27	6.
	LEVITICUS.	
XVI.	21	384
	NUMERI.	
VI.	37	67
X.	35	46. 67

Cap.	Vers.	Pag.
	36	67
XIV.	17	67
XXIII.	22	155
XXX.	4	584
DEUTERONOMION.		
V.	32	32
VI.	4	65
VII.	7	161
XIV.	4	27
XVII.	18	558
	19	559
XVIII.	10	156
	20	303. 304
XIX.	5. seqq.	155
XXIV.	1. seqq.	287
XXVIII.	26	213. 305
XXX.	1	12
	14	10
LIBER IOSUÆ.		
VII.	15	239
X.	12, 13	59
LIBER IUDICUM.		
XIII.	totum.	167
XVIII.	1. 2	390
1. SAMUELIS.		
II.	13	558
	31	160
VIII.	11	558
XV.	29	63
XXIII.	12	58
2. SAMUELIS.		
XVI.	10	146. 147
1. REGUM.		
II.	2	204
IV.	23	564
XIV.	13	160
2. REGUM.		
VI.	7	59
	27	427
XX.	11	59
XXIII.	3	576
LIBER IOBI.		
IV.	8	133
X.	11	194
XXX.	4	65

Cap.	Vers.	Pag.
XXXVIII.	7	118
XLI.	2	121
PSALMI.		
II.	7	67. 77
VIII	3	433
	5	43
	6	294
IX.	5	115
XIV.	1	50
XIX.	2	121
	8	265
XXII.	40	28
	69	28
XXXI.	6	34
XXXII.	6	353
XXXIII.	6	67. 68. 117
XL.	7, 8	18
	10	304
XLI.	1	153
XLV.	8	48. 85. 104
LI.	9	543. 596
	12	68
LV.	23	160
LX.	9	13
	10	13
LXVIII.	2	46
	34	262
LXIX.	30	262. 175
LXXXII.	1	43
	7. 8.	43
XC.	1. 2.	218
	3	77
	5	58
XCIV.	7	140
XCV.	9	68
CII.	16	58
	25	160
	26. seqq.	57
CIV.	4	218
CX.	3	389
CXV.	3	160
CXIX.	105	10
	137	158
CXXIII.	22	13
CXXXII.	8	46
CXXXIV.	4	121
CXXXV.	7	60. 74

INDEX II.

Cap.	Vers.	Pag.
CXXXVI.	3	48
CXXXIX.	6	68
CXLIII.	2	340
	11	68
CXLVII.	20	500
CXLVIII.		121
	PROVERBIA.	
V.	16.17	401
XXV.	26	52
XXX.	4	68
	COHELETH.	
XII.	7	34
	CANTICUM.	
IV.	8	520
VI.	9	520
	ESAIAS.	
I.	21	513
	22	478
II.	3	265
	4	25
VI.	2	133
	3	45. 67
	10	150
VII.	14	94
VIII.	1	6. 10
IX.	6	368. 68. 74
XI.	2	137
	4	79
XIV.	5	147
	12	138
XXXVIII.	5	159
	8	59
XL.	17. seqq.	55
XLII.	3	335. 494
	8	46
XLIV.	6	74. 75
XLV.	24	352. 424
XLVI.	3	53
XLVIII.	8	460
	16	67
LIII.	1	117
	7	490
	11	316. 369
	26. seqq.	107
LIV.	10	323
LXI.	1	85
LXIII.	9. 10	67

Cap.	Vers.	Pag.
LXIV.	6	353. 340
	10	68
	JEREMIAS.	
X.	2	156
XXIII.	6	352. 424
XXVII.	6	564
XXIIX.	14	564
	EZECHIEL.	
XXXIII.	11	162. 177
XXXVI.	26	10
XLVII.		10
	DANIEL.	
II.	23	598
III.	28	59
VII.	10	78
	14	109
IX.	17	353. 67
	18	423
	HOSEAS.	
II.	19	323
XI.	1	27
	JOEL.	
II.	12	332
	28. 29	549
	AMOS.	
II.	7	12
	JONAS.	
IV.	11	459
	MICHA.	
II.	12	19
V.	2	58. 77. 81
	HABACUC.	
I.	14	141
	MALACHIAS.	
III.	1	131
	6	57
	LIBER SAPIENTIÆ.	
IV.	12	160
VI.	4	558
	SYRACIDES.	
VII.	v. ult.	589
	MATTHÆUS.	
I.	18	442
	20	94

INDEX II.

Cap.	Vers.	Pag.
	21	83
	25	94
II.	11	70
	15	27
	16	460
	18	25
III.	9	59
	11	444
	12	501
	16	68. 71
	17	68. 72
IV.	4	6
	7	6
	10	6
V.	12	24
	18	7. 8. 61. 266
	19	237
	22	238
	26	94. 378
	39	282. 306
	42	402
	43	402
VI.	5	392
	30	335
	31	306
VII.	15	15
VIII.	2	70
	10	335
	26	335
IX.	10	542
X.	29. 30	155
XI.	10	131
	17	65
	21. 23	58
	29	399
XII.	16	300
	20	336
	28	494. 85
	32	240
	46	94
XIII.	25	501
	29	560
	39	592.
	48	501
XV.	6	35
	9	35. 459
	13	459
	28	335
XVI.	16	83
	18	514. 525. 520
	19	337. 302
XIIX.	6	433
	8	25
	9	25. 306
	11	86
	15. 16	341
	17	495
	22	329
	32	339
XIX.	4. 5. 6	585. 287
	28	244. 433
	34	378
XX.	2	31
	8	358
	21	115
	22	478
	25	567
	28	56
XXI.	23	554
	25	454
	42	18
XXII.	14	161
	29	6
	32	34
	43	32. 34
XXIII.	3	311
XXIV.	13	592
	15	12
	22	161
	24	172
	28	425
	36	600
XXV.	9	340
	33	115
XXVI.	26	472
	28	294. 297. 421
	29	22
	58	347
	63. 65	69. 83
XXVII.	46	347
XXVIII.	18	109
	19	68 71. 72. 75 430
	20	29 592

MARCUS.

I.	15	312
V.	9	131
	13	331. 132

Cap.	Vers.	Pag.
	36	374
VI.	20	184. 404
VII.	34	540
IX.	24	318. 335
X.	11. 12	583
	18	65
	42	567
XII.	34	333
XIII.	13	600
	15	19
XIV.	23	22. 464
XV.	15	35
	28	381
XVI.	15	276. 289
	16	594
	19	115

LUCAS.

I.	4	6
	6	320
	34	94 59
	35	68. 75 91. 94 233
	37	59. 94
	38	14
	42	92
	47	356. 121
	48	233
	68. 70	70
	76	68. 74
	77	316
	78	357. 86. 334
II.	5	94
	7	94. 59
	10	289
	15	60
	11	25
	24	265
	30	369
	48	94
III.	22	417
	23	94
IV.	17	340
	18	290
VI.	13	328
	29	306
	30	306
	36	378
VII.	30	454. 63. 186, 260
VIII.	5	261
X.	7	542
	18	138
	26	6
	30	30
XI.	20	117
XIII.	32	25
XIV.	17	163
	23	575
XV.	28	259
XVIII.	33	334
	35	433
XIX.	45. 46	540
XXI.	27	593
	28	263
	33	592
	35	328
XXII.	10	155
	18	22
	19	421. 492
	21	22. 410
	27	566
	44	347
XXIII.	43	207
	45	122
XXIV.	27	272
	44	5. 265
	47	313
	52	70

JOHANNES.

I.	1	118. 58. 69. 74. 76
	3	69
	11	88
	12	317
	14	88. 98
	15	69
	17	265. 276. 291
	18	74. 88
	29	24. 25
	41	84
II.	18	554
	19	15
III.	3	432
	4	13
	5	70. 432. 435
	6	228. 437
	8	44
	11	44
	14	27
		16

Cap.	Vers.	Pag.
	16	334. 69. 162. 175
		177. 311
	19	540
	34	84. 185
IV.	10	368
	16	71
	24	44. 53
	42	519
V.	17	74
	18	69. 74
	19	76
	23	74. 76
	32	72
	39	6
VI.		411
	13	59
	32	13
	34	260
	44	185
	48 50	90
VII.	38. 39	80
VIII.	12	540
	34	243
	44	137
	58	19
IX.	22	341
X.	7. 9	540
	28. 29	76
	30	74
	34	265
XI.	9	160
	25. 26	70
	43	122
XII.	32	15
	40	150
	48	15
XIII.	1	109
	15.	393
	30	22
XIV.	1	70
	10	73
	16	72
	23	56
	28	87
XV.	26	77. 78. 79. 81
XVI.	2	341
	3.	87.

Cap.	Vers.	Pag.
	13	71
	14	71
	15	74. 80. 109
	28	81
XVII.	3	55
	5	111. 112
	9	171.
	12	173
	28	56
XVIII.	37	125
XIX	7	99
	30	27
XX.	22	79. 427
	28	19. 69
	29	11
	31	83. 300
	38	31

ACTA APOSTOLORUM.

I.	1	6
	5	428. 444
	7	609
	16	70
II.	4	71
	5	359. 178. 500
	23	145
	36	113
III.	15	106
	21	244. 263
IV.	27. 28	359. 145
V.	3 4	70
	13	457
	21	457
VI.	10	66
VII.	55	115
	56	467
VIII.	13	420
	21	429
	36	421

Cap.	Vers.	Pag.
	37.38	416
	51	66
IX.	5	467
	20	83
	22	83. 300
X.	38	88
	44	262
XII.	11	160
XIII.	2	70
	7	184. 245
	32	289
XIV.	15	70
	16	178
	17	50
	23	534
XV.	10	423
	11	416
	25	71
XVII.	26	50
	28	142
	30	19, 177
	31	178
XIX.	1	454
	32	496
XX.	7	280
	17	40.524
	18	524
	27	187
	28	368.35.69.70.85. 105
	38	347
XXVI.	22	5
XXVIII.	25	67.70

EPISTOLA AD ROMANOS.

I.	1.2	289
	16	186.261.429
	19	507
II.	13	309. 398
	14	50
	15	50.507
	18	50
	19. 20	50
	25	50
III.	20	357
	21	265
	22	356
	23	356
	24	356.318.290
	25	356
	27	265
	28	34. 374
	31	272
IV.	3	380. 423
	4	352. 378. 380
	5	317.377. 380
	6	345
	11	451. 410. 17
	15	265
	17	319
	21	350
V.	8	857. 334
	9	393
	10	347
	12	591.219
	13. 14	210. 211
	15	460
	18	175. 344
	19	72.345
VI.	3	446
	14	205
	23	590.24
VII.	2	41
	7	5. 233
	14	199. 263.268
	17	234
	21	452
VIII.	3	24
	4	89 .344
	7	245
	9	71. 79
	11	494
	16	384
	18	333
	23	393
	30	373. 508
	31	69
	32	368. 69.74
	36	381
IX.	5	24.68.401.74
	11	163
	17	63.142
X.	4	302
	10	334
	14	116
	17	262
XI.	6	333
	7	172

Cap.	Vers.	Pag.
	16	436
	19	345
	32	177
	33	151
	35	121
XII.	6	16
XIII.	1	558. 575. 591. 556
	2	556
	4	576
	5	563
	8. 9	397
XV.	27	537

I. AD CORINTHIOS.

I.	21	186. 259
	30	263
II.	2	340
	8	85
	10	71
	14	197
III.	7	413
	16	70
	21. 22	532
IV.	6	32. 81
V.	3. 4. 5	341
	6	21
	7	27
	11	495
VI.	19	70
VII.	14	436
	25. 26	284
	35	306
	39	41
VIII.	5	43. 68
	6	43. 72. 65
IX.	5	41
	7	542
	9	27. 141
	11	537
	14	333
	17	173
X.	16	429. 464
	17	473
	18	28. 465
	19. 20	465
	21	28. 465
XI.	7	193
	19	447
	20	461
	24	472. 461. 49
	26	49
	27. seqq.	419. 464
	28. 29	464
	32	339
XII.	4	71
	11	71
XIII.	12	81
	13	397. 398. 376
XV.	22	175
	29	470
	44. 45. 46	197

AD CORINTHIOS EPISTOLA POSTERIOR.

I.	21. 22	426
II.	17	478
III.	5	333 334
	8. 9	528
	14	18. 205
IV.	4	11. 12. 43
	6	119
	16	452
V.	5	384
	11	342
	19	73. 175. 347
	21	24. 347. 379
VII.	10	314
VIII.	13	401
X.	4	574
	5	14
	13	393
XI.	3	485
XII.	2. 4	307
XIII.	13	75

EPISTOLA AD GALATAS.

I.	6. 7	517
	8	31. 517
II.	16	17. 307. 374
III.	8	289. 503
	10	355. 238. 213. 305
	13	347
	15	294
	19	265
	20	65
	21. 22	269

Cap.	Vers.	Pag.
	24	269
	27	451
IV.	4	88. 275. 348
	5	88
	8	43. 50
	21	298
	24	25. 295
V.	9	375
	9	560. 20 255
	13. 14	397 398
VI.	10	402
	16	514

AD EPHESIOS.

I.	4	163 173
	5	193
	6	558. 334. 302
	13	384. 426
	14	71
II.	3	214
	8	357
	12	50. 507
	20	5. 37. 304. 505
III.	20	60
IV.	4	33. 349. 518
	5	434. 43
	6	65
	7	403
	11	532. 553
	30	426
V.	22. 23	193
	25. seqq.	519. seqq.

AD PHILIPPENSES.

I.	23	590
II.		110. 111
	6	74. 87
	7	90. 113. 114
	9	87. 103. 109
III.	19	43
	21	60. 209. 69. 198

AD COLOSSENSES.

I.	16	69. 117. 118
	17	69
II.	9	73
	16	415
	17	29 465
	20	36
III.	20	584

Cap.	Vers.	Pag.

AD THESSALONICENSES PRIOR.

V.	15	330

AD THESSALONICENSES POSTERIOR.

II.	3. 4	506
	9	79
	10	150

AD TIMOTHEUM PRIOR.

I.	3	33
	8	269
	9	311
	15	86
	20	341
II.	3	72
	4	511. 162
	6	359
	21	559
III.	2	542
	15	504
	16	69 19
IV.	1. 3. 8	560. 514
V.	8	542
	18	542
	21	189
VI.	16	56

AD TIMOTHEUM POSTERIOR.

II.	20	501
III.	15	5. 272
	16	5. 32 381
IV.	6	590

AD TITUM.

I.	5	41
	16	50
II.	13	68. 74
III.	4	357
	5	70. 379 432
	10. 11	341

AD PHILEMONEM.

	18	381

AD HEBRÆOS.

I.	2	86
	3	48. 74. 69

INDEX II.

Cap.	Verſ.	Pag.
	7	118
	9	69. 85
	10. 11	57. 69
	14	44. 461
II.	7	43
	8	109
	9	43
	14	86
	16	89
IV.	13	43. 58
	16	350
VI.	6	240. 330
VII.	3	88
VIII.	7	297
IX.	12	544
	15	295
	20	294
	27	590
X.	1	29. 416
	7	304
	8	265
	11	371
	22	350
	25	490
	36	180
XI.	1	349
	3	141. 119
XII.	6	339
XIII.	4	579. 586
	8	455. 370. 291
	9	33
	16	393

PRIOR PETRI.

I.	12	95
	19	106
	20	189
II.	2	433
	9	553
	13	282. 557
	18	563
	20	599
	21	346
	24	380
III.	20	435
	21	429. 435. 415
IV.	1	106
	15	554
V.	1. seqq.	41. 513

Cap.	Verſ.	Pag.
	2	389
	4	41

POSTERIOR PETRI.

I.	14	590
	19	12
	20	15. 516
	22	4. 70
II.	3	338
	39	243
III.	8	38. 77
	9	177
	10	592
	16	18

JACOBI.

I.	17	55. 57
	22. seqq.	398
II.	2	499
	10. 11	399
	13	61
	22	71
	24	17

I. JOHANNIS.

II.	2	19
	20	85
III.	4	212
	8	86
IV.	1	15
	9	357
	10	557
	16	58
V.	3	269
	7	68. 71. 72. 74. 75
	8	407. 465
	16	249
	17	212
	20	98. 84

APOCALYPSIS.

I.	4	46. 75. 136
	10	280
	11	69
	17	74. 75
II.	23	69
III.	17	355
	18	380
	21	116
IV.	5	137

Cap.	Vers.	Pag.
	6	136
V.	8	15
VII.	17	396
XIII.	16.17	338
XIV.	3	6
XXII.	1	77.78.80 81
	11	386
	18.19	32

INDEX III.
RERUM ET VERBORUM

A.

Absolutarii. pag. 171. 172
Absolutio privata à Calvinianis rejicitur, & cur? 179
Absolutionem Lutheranorum scommatibus traducunt Pontificii. 553
Abstractivæ locutiones de Deo non sunt usurpandæ. 54
Abyssinorum Ecclesiæ à quo conversæ. 281
Accentus & puncta ad lectionem sacrarum literarum necessaria sunt. 7
sunt pars essentialis Scripturæ nec inventum Judæorum recentium. ibid.
Acceptilatio ab Arminianis & Socinianis in loco de justificatione excogitata rejicienda est. 378. 61. 220. 322
Accidentia an creata? 117. 118
Acephali. 98
Ἀχρείως vocis usurpatione in loco de Christo Calviniani nobis imponunt. 97
Acroamaticum docendi genus. 52
Actiones mixtæ. 251
Actiones Dei circa mala. 143
Actiones quatuor principales sacræ cœnæ. 469
Actiones in Sacramento cœnæ sunt vel principales vel ministeriales. 406
Actionum humanarum principia. 251
Actualia peccata in infantibus reperiuntur. 459
Actus principales cœnæ Domini non sunt dividendi. 485
Adami peccatum primum non personale sed naturale fuit. 219
Adiaphora & ceremoniæ an eadem sint? 270
Adiaphorum quid? 387
Adiaphorum Ecclesiæ non est adiaphorum ministerio Ecclesiæ. ibid.
אדני proprium Dei cognomen. 47
אדון 47
Adoratio & invocatio non differunt. 135
Adorationis cultus sol. Deo debetur. 137
Adscensio Christi duplex. 114
Adscensio Christi literali sensui verborum cœnæ non repugnat. 29
Adversarius convictus est, licet non fateatur, se convictum esse. 66
Adulti per baptismum non semper regenerantur. 443
Advocatus Ecclesiæ cur Imperator dicatur? 537
Æquivocationes juramentium sunt perjuria. 279
Æternitas Dei quomodo describatur? 58
Æthiopicæ Ecclesiæ membra singulis annis rebaptizantur. 448
Affectus Deo tributi. 62
Afflictiones piorum non sunt pœnæ. 339
Ἀγχιλοδαλεία Papalis. 135
Agriculturam exercere Pastori licet. 542
Agricultura manet mala, licet post lapsum hominis malum ei adhæreat. 56
אישׁ quem significet? 90
Ἀκρεβατοῦντες. 166
אל גבור 68
Allegoria quid sit? 39
Dogmata Theologica non probat. ibid.
אלהים 48
Ἀλλοίωσις Zwingliana. 102. 103
Ἀλλο καὶ ἄλλο non est in Christo, sed ἄλλο καὶ ἄλλο. 100
Ἀλλο καὶ ἄλλο est in Deitate, non ἄλλο καὶ ἄλλο. 72
Alloria novum Testamentum non habet. 543
Altenburgenses Collocutores in quo erraverint. 391

Ἀμιμε-

Ἁμαρτ. & ἀναμάρτητ. differunt. 520
Americanas provincias occupandi jus Lusitano & Hispano tribuere voluerunt Papæ. 565
Amictus splendor Magistratus adjunctum est. 563
Amyraldus vocationem hominum ad Ecclesiam facit duplicem. 500
Anabaptistæ Angelos negant. 132
Analogia fidei quid? 16
Ἀναμάρτητ. 520
Anatocismus. 285
Ancas Musculus. 388
Angelicæ res sunt, 118
Angeli Michaelis pennas ex alis in pugna cum Draconе perdiras ostendit Tzetzius, 132
Angeli se possunt contrahere & diffundere. 132
Angeli sunt Spiritus dependentes. 131
Angelus an locus & tempus competat? 133
Angelis locum & tempus quinam tribuant? 134
Angelis quantitatem intelligibilem tribuit Scaliger, 133
Angelorum bonorum confirmatio. 137. 138
Angelorum lapsus. 137
Angelorum ministerio in negotio salutis Deus cur erga homines non uratur? 64
Angelorum motus perceptibilis. 134
Ordo. 129. seqq.
Peccabilitas. 133
Potentia. 134
Simplicitas non absoluta, sed secundum quid talis. 133
Angelos corpereos dicentes patres, quomodo intelligendi? 132
Animam primus homo unde acceperit? 200
Anima propagatur per traducem, non per infusionem. 92. 230. seq.
Animæ creationem Pelagiani statuunt. 230
Anima humana seipsam ignorare debet. 597
Animæ incorruptibilitas probatur. 590
Anima humana duplicitер à corruptione eximitur. 590
Anima statim post mortem beata est. 596
Animam Christum habuisse, contra Apollinaristas asseritur. 90
Animalia rapacia in statu integritatis cum hominibus amicè vixerunt. 129
Animalis homo. 197
Anni Deo per ἀνθρωποπάθειαν tribuuntur. 58
Ἀνόμοιοι quid in articulo de Christo crediderint? 74
אנוש 90
Antecedentia & consequentia ad intellectum Scripturarum sunt necessaria. 7. 23. 24
Anthropomorphitæ crassi. 53. 63
Ἀνθρωποπάθεια. 52
Anti-Christus est Papa. 506
Anti-Christus potestatem remittendi peccata sibi soli arrogat. 1337
Antidico-Marianitæ. 94
Antinomi. 273
Antipodes cur terreno globo adhærescant? 126
Antipodes Pontifex Zacharias non credidit. 126
Antitrinitarii. 71
Aphthardocetæ. 90. 93
Ἀπιστία. 335
Apollinaristæ. 9
Apologiæ an ἀκυρολογίαν imputet Hülsemannus eiusmodi distinctionem inter potestatem ordinis & Jurisdictionis. 551
Apostoli à Judæis qui dicti fuerint? 528
Apostoli scripserunt jussu divino. 6
Apostolos cur Christus discipulos suos dixerit? 528
Appetitus divisio in concupiscibilem & irascibilem. 250
Appetitus sensitivi & rectæ rationis pugna. 250
Aquam baptismalem bibens asinus quid bibat, quærunt Pontificii. 457
Aquilæ Christiani cur ab Ambrosio dicti fuerint? 425
Arbitrium hominum quomodo se in statibus quatuor habeat? 262. 263
Architectonicam potestatem Magistratus Ecclesiasticam non recte dici, quomodo statuat Hülsemannus? 519
Architectonica potestas Magistratus Ecclesiastica dici potest. 568. 567
Aristotelis de mundi origine sententiæ. 119
Aristoteles cum Paulo consensus. 21
Arriani. 29 71
Ariani in doctrina de Trinitate partim cum Socinianis conveniunt, partim ab iis dissentiunt. 71 72
Ari formula, ἦν ποτε, ὅτε οὐκ ἦν, falsa est. 74
Aires, animalibus cognitæ & exercitæ. 128
Articulus fidei quid dicatur? 34 35

Artificialia an à Deo condita? 117
Astrologia quid sit, & an toleranda? 156
Astronomia quid sit? 156
Astrorum influxus in res sublunares. 156
Ἄθεοι quinam Paulo dicantur? 50
Athei non sunt tolerandi. 560
Atomi an rerum principium sint? 117
Attributa Dei non sunt accidentia, sed ipsa divina essentia. 53. 54
Attributa divina πρὸς ἕξω distinctionem admittunt. 61
πρὸς ἕτω sunt simplicissimum ταὐτότι. ibid.
Attritio & contritio secundum Pontificios differunt. 318
Audæani. 51. 53
Auditores sæpè sunt puriores doctoribus. 512
Auditus verbi duplex, internus & externus. 186
Auferibilitas Papæ ab Ecclesia. 547
Augusti Electoris Saxoniæ notabile dictum de rationis captivatione in mysteriis fidei. 14
Augustinus non excogitavit peccatum originale. 222
Traduci favit. 230
Quâ intentione Ambrosium audiverit ante conversionem. 245
Augustini de autoritate Ecclesiæ dictum. 37
de Cypriani & Patrum autoritate sententia. 37
Augustinus SS. Trinitatem investigat. 51
Antea bulla. 410
Autes Deo adscriptæ notant clementiam ejus. 53
Automatario Deus similis est. 124
Αὐτὸς. 42. 44
Αὐτεξούσιον soli Deo competit. 251. 252
Αὐτοκατακρισία. 241
Αὐτοκατάκριτοι Pontificii. 16
Αὐτόθεος Christus non rectè dicitur. 76
Αὐτουσία Dei. 49
Azymus panis in sacra Cœna rectè usurpatur. 477

B.

Baptismus cur statim post tractationem de Sacramentis in genere exponatur? 428
Non sunt signum temporarium. 455
Est internus & externus. 428. 433. 434
Prima naufragi tabula. 435
Baptismus character Christi. 453
Non est reiterandus. 443. 444 seqq.
à pagano administratus, legitimus non est. 549
Baptismi Etymologia, Homonymia, Synonymi, causæ &c. 728, seqq.
Materia cœlestis. 431
terrena. ibid.
Forma. 445
Fœdus est ex parte Dei ἀμεταμέλητον. 438
439
Actus principales. 417
Repetitio quando licita. 438. 439. 442
Baptismale ad fœdus datur hominibus pœnitentibus regressus. 325
Baptizati ab hæreticis non rebaptizantur, sed rectè baptizantur. 446
Βαπτίζειν quid significet? 428
ברא Trinitatem continere creditur à Judæis. 47
Baronius Cardinalis Hispaniæ Regem lege Cornelia plectendum censuit 366
Batavistatui Clericano quoad vocationem & remotionem ministrorum seducti ab Anglis nimis favent. 547
Beatitudo essentialis in vita æterna eadem competit omnibus. 595. 596
Bellum quidem punitivum non datur, est tam in loco pœnæ, 563
Benedictio Ecclesiastica. 67
Benedictio symbolorum Cœnæ. 469
Beneficia spiritualia Patrum Vet. Test. 423. 424
Beneficiorum omnium per Christum partorum in hac vita participes non sumus. 354
Berengarius primus præsentiam corporis Christi in Cœna negavit. 452
Besoldus Gothofredus statuit Spiritum Sanctum à Christo secundum humanam naturam procedere. 80
Bibitio in sacra Cœna necessaria. 471
Bibliomastyges. 24
Bibliothecæ Patrum oculis prudentiæ & charitatis sunt lustrandæ. 37. 255
Bis mortui. 591
Βλαχικὸς orthodoxos Calviniani superiori seculo nominabant. 228
Blasphemi non sunt tolerandi. 560
Bona Ecclesiastica an Magistratus alienare possit? 569

Bona Ecclesiastica à Magistratu alienari posse, ipsi Papistæ fatentur. 570
Bona immobilia quâ ratione ad Clerum pervenerint? 569
Βούλησις quid Aristoteli dicatur? 251
Brentius ad Concilium Tridentinum accessit. 40
Βρίθω quid significet? 92
Bruta cur pœnam non sentiant, si peccent? 250

C.

Calixtini peccatoribus post mortem remedia præscribunt. 329
Calviniani negant omnipræsentiam Dei. 56
Omnipotentiam Dei. 62
Socinianizant. 62
Deo nolente mala moralia fieri non posse censent. 63
Judaizant. 18. 28
Dissentiunt in exponendis verbis Cœnæ. 19
Si quid in Scripturæ dicto contra rationem est, τὸ ῥητὸν relinquendum esse censent. 30
Deum homines ad mala instigantem malè non facere dicunt. 54
Negant incarnationem. 96
Sunt Nestoriani. 98
Quomodistæ. 14
Calvinianorum principium fidei. 16
Formula in exhibendis communicantibus in sacra Cœna symbolis usitata. 419
Camelus per foramen acus transire non valens. 484
Campanarum baptismus. 430
Origo. ibid.
Canones Apostolorum adulterini. 40
Capitis vox quot modis sumatur? 522
Caput Ecclesiæ non est Magistratus. 567
Caput Ecclesiæ Regem suum dixerunt Angli. 568
Cardanus Christi suspendium ex astris derivavit. 157
Cardinales non habent vocationem. 554
Cardinalium consensus Pontifici præbitus est coactus. 566
Cardinalium martyria non Apostolica sunt, sed politica. 566
Cardinalis officii pars præcipua. 565
Carnem suam de cœlo Christus secum non attulit. 89
Casus Logicis quid significet? 101
Casus reservati a Pontifice circa remissionem peccatorum. 337
Casum an providentia divina admittat. 138
Cathari qui dicti fuerint? 329
Catholica Ecclesia non errat. 520
Catholicismus. 498
Catabaptistæ Scripturas vilipendunt. 13
Causa sine qua non salutis Bona Opera non sunt. 279
Centrum terræ non est locus inferni. 595
Ceremoniæ Vet. Testam. erant pars cultus Dei. 387
Ceremoniæ Judaicæ in N. Testamento retentæ & cur? 270. 271
Ceremoniæ Papistarum circa Baptismum. 447
Certitudo hominum de prædestinatione & salute sua. 184. 185. 383
Chætemon senex an sicut Enoch & Elias non sit mortuus? 191
Chamierus in bello tormentaria pila in fiusta disceptus fuit. 555
Chatacteres personatum Deitatis. 77
Chatactet indelebilis Pontificiorum. 425. 426. 453
Charitas omnes virtutes in se continet. 397
Charitas an fidei forma? 373
Charitas incipit a seipsa. 400
Χειροθεσία non est apta, ut possit esse materia terrestris in Sacramento. 331
Χειροθεσία & χειροτονία differunt. 514
Chiliastæ veteres & recentes. 21. 598
Christiani non sunt sancti generatione, sed regeneratione. 436. 223. 224
Christi nomina. 83
Christus idem est, ac Messias. 84
Cur non statim post lapsum venerit? 64
Per omnes ætatis nostræ gradus venit. 92
A primo conceptionis momento ad dextram Dei evectus est. 113
Sine peccato natus est. 214
Autor Cœnæ sanctæ & cibus ejus esse potuit. 475
Liberè passus est. 106
Tempore mortis fuit verus homo. 97
Ratione officii Patre suo minor non est. 87
Non est electus. 189

Christus electionis decretum ingreditur. 174
Cur beneficia passione suâ acquisita nobis in hac vita non communicet omnia? 64
Christum in mundum venisse etiamti homo non peccasset, statuunt Sociniani & alii. 68
Christi actio nostra institutio. 399
Chronotaxis Apocalyptica Hosmanni non planè est rejicienda. 600
Cinganorum liberi an baptizandi? 437
Circumcisione qualis character homini fuerit impressus? 436
Clavis ligans & solvens. 322. 302
Clerici an à Laicis distinguendi? 41
Clinici. 450
Cloacis an Deus præsens sit? 56
Cognitio Dei duplex, naturalis & revelata. 49
Cognitionis gradus. 11
Cœlibatus. 284
Cœlum ubi sit, & an πῦ creatum an increatum sit, ignoratur. 595
Cœlum Monasticum & Phantasticum Calvinianorum. 29
Cœlum ultimum an sit in loco? 60
Cœnæ Domini definitio & causæ &c. 462. seqq.
Cœnæ Domini Synonymia. 460
Cœnæ Domini actus principalis. 417
Cœnæ verba, sicut sonant, seu κατὰ τὸ ῥητὸν sunt retinenda. 28 29
Cœnæ fines. 473
Cœna sacra quibus non sit porrigenda. 495. 496
Cœnam Sacramentum esse, negant Sociniani. 491
Columba Symbolum Spiritus Sancti. 427
Commensurantur sibi invicem creaturæ. 127
Communicatio, communio & communitas differunt. 97
Communicatio quid & quotuplex? 102
Communicationis idiomatum tria sunt genera. 104
Compositio alia physica est, alia metaphysica. 332
Compositio quotuplex sit? 55
Compositionis nullus modus competit Deo. ibid.
Concilia errare possunt. 515. 38
Concilia antiquiora recentioribus anteferenda. 39
Conciliis inferiorem esse Papam Sorbonæ Doctores jurant. 546
Conciliorum divisio. 39
Concilia quatuor Oecumenica, 39
Concilium Tridentinum. 40
Basileense malè audit Pontificiis & cur? 232
Florentinum. 79
Constantiense. 412
Qual Protestantes ab Imperatore Carolo V. perierint. 40
Concomitantia naturalis corporis & sanguinis Christi an πανσεκλησία Pontificiorum patrocinetur. 480
Concreti & abstracti termini quomodo in Loco de Christo accipiantur? 101
Concupiscentia vel originalis est vel actualis. 214. 215
Concupiscentia peccatum est. 233. 234
Confessio privata retinetur à Lutheranis. 320
Respuitur à Calvinianis. 321. 322
Confessionis sigillum. 336
Confirmatio Pontificiorum Sacramentum. 408
Conjuges spem salutis non habere crediderunt Eustadiani. 588
Conjugii definitio, causæ &c. 579. seqq.
Conjugium ideò intermitti non debet, quod cum peccato liberi nascantur. 226
Clericorum in Concilio Niceno solus defendit Paphnutius. 516
Est status honorabilis. 579
Sacramentum non est. 579
Omnes inire possunt. 580
Impuritatis arguunt Pontificii. 588
Consanguinitatis & affinitatis gradus prohibiti. 584
Hos nimis extendunt Pontificii, ibid.
Consecratio in cœna usitata. 469
Consecrationis verba, 488
Consensus in articulo de sacra Cœna inter Lutheranos & Calvinianos est nullus 471
Consensus parentum ad conjugium est necessarius. 584
Hunc de honestate solum esse, docent Pontificii. 585
Consensus quinque-secularis Syncretistis est principium fidei secundarium. 578
Consequentiæ in Theologia admitti debent. 33
Conservatio rerum divina datur. 140
Conservatio rerum creatarum Filio attribuitur. 69
Consilium Dei quomodo à fato Stoico differat? 143

Conſilia Evangelica. 305
Conſiſtoria ſunt Eccleſiæ repræſentativæ. 495
Conſolationes ægrotorum Calvinianæ. 310
Conſubſtantialis vox primum Eridos in Concilio Niceno fuit. 74
Conſuetudo conjugalis in ſtatu integritatis ſed abſque vitio habuit locum. 226
Conſummatio ſeculi. 591. ſeqq.
Contemtus Sacramentorum, non defectus damnat. 437
Continentiæ votum non eſt licitum. 580
Contradictiones Scripturæ imputatæ non veræ ſunt, ſed apparentes. 16. 17
Contriſtatio Spiritus S. quid ſit? 235
Contritionis definitio, diviſio & neceſſitas. 313 314. 319
Gradus. 332
Contritio paſſiva eſt, non activa. 335
Non eſt bonum opus. 314. 331 391
Controverſiarum Theologicarum judex quisnam ſit? 518
Converſio hominum gratiæ divinæ adſcribenda eſt. 246
Fit mediante verbo. 261
Convertendos qui docent, unde vocationem habeant? 548
Convertens Eccleſia non ſola habet jus præficiendi converſis miniſtros. 547
Cooperatio hominum in converſione ſui non datur. 258
Dari creditur à Pontificiis. 254
Corona triplex Papalis. 305
Corpus Chriſti quomodo in ſacra cœna ſpectetur? 480
An anima mediante Filio Dei unitum fuerit? 96. 97
Glorioſum differt à majeſtatico. 60
Corporis & ſanguinis Chriſti præſentia in ſacra cœna probatur. 463. ſeqq.
Corpus Julium quid ſit? 577
Correptio auditorum miniſtris verbi qualis competat? 538
Correptio qua ratione privato permitti poſſit? 562
Corruptionis arguunt Pontificii codicem Biblicum Veteris Teſtamenti. 9. 10
Crama Pontificiorum. 463. 478
Creatio. 116. ſeqq.
Filio Dei attribuitur. 69
Creatio mediata & immediata eſt. 116
Creatura omnis bona. 124
Creaturæ omnes præter hominem non habent imaginem Dei, ſed veſtigium tantùm Dei. 190
Crux quomodo ad gratiam nos compellat? 257
Piis cur imponatur: 339
Crucis ſpecies. 339
Crypto-Calviniani. 489. 490
Crypto Calviniani ditionum Saxonicarum ſuperioris ſeculi. 458. 466
Crypto-Sociniani. 62
Cultus Dei quid ſit, & an Bona Opera cultus ſint? 387
Cultus divinus Chriſto competit. 70
Curiam Romanam ab Eccleſia diſtinguunt libri Symbolici. 526

D.

Damnatio hæreticorum an ad Auditores æquè ac Doctores ſit dirigenda.? 513
David excidit gratia Dei. 343
Debitor hominum quâ ratione Deus ſit? 358
Decalogus Ante-Moſaicus. 266
Decalogi diviſio in duas tabulas. 267
Decretorum divinorum ordo. 167. 168
Defectus ſunt vel naturales vel morales. 451
Defenſio Eccleſiæ patrono competit. 537
Deitatem paſſam eſſe dici non poteſt. 106
Deſcenſio Chriſti eſt duplex. 114
Deſertio Dei quid ſit, cùm ex mente Calvinianorum, tum Lutheranorum. 149
Deſiderium fidei juſtificat. 318
Deſiderium vel audiendi eſt, vel credendi. 184
Deſperatio à contritione quomodo differat? 315
Determinatio malorum divina juxta Calvinianos quid ſit? 145
Deus quomodo paſſus ſit? 105
Eſt cauſa peccati juxta Calvinianorum doctrinam. 149
Mediatè homines ad ſalutem vocat. 186
Dextra quid in Scripturis denotet? 115
ad Dextram Dei ſedere & ad dextram Dei evectum eſſe differunt. 113
Diaboli non ſunt redemti. 89
Diabolorum ordo. 138
Diabolum verum poſſe Sacramentum adminiſtrare, quomodo Lutherus docuerit. 413

Digitized by Google

Diabolus cogitationes hominum obscuras nescit. 139
Miracula patrare non potest. 134
Ad peccandum homines incitat, sed non cogit. 139
Διαθήκη quid? 294
Διχοτομία in corpore humano observata. 127
Differentia Legis & Evangelii juxta Lutheranos & Pontificios. 292. 293. 294
Δικαιοσύνη, δικαίωσις & δικαίωμα differunt. 344
Dimittere vocatum ministrum vocans non potest. 530
Dimittendi ministrum jus habet Ecclesia. 537
Dionysius Areopagita quis fuerit? 130
Disciplina Ecclesiastica. 495
Dispensatio gradus in contrahendo matrimonio jure divino prohibitos, licitos facere non potest. 585
Dispensationes ad gratiam in Ecclesia Pontificia defensæ. 332
Distributio in sacra Cœna est necessaria. 470
Divortii libellus Israelitis à Mose permissus. 287
Divortiorum causæ. 287
Doctoratus non est ordo. 540. 541
Doctoratus Theologici finis. 549
Doctoratum Carolostadius rejecit. 541
Doctor orbis Bzovio dicitur Pontifex & cur? 548
Doctor publicus in Ecclesia speciali non est, qui Symbolis ejus non subscripsit. 577
Doctoris Theologi requisita. 550
Doctores ad convertendos infideles non sola Ecclesia Romana mittere potest. 548
Doctrina Lutheri erat renovata, non nova. 159
Dogmata fidei qui condere possit? 517
Dogmatibus fidei novis non est opus. 518
Dogmatistæ ab Auditoribus differunt. 512
Dolor in contritione non est meritorius. 314
Dominium in Ecclesiam homini nulli competit. 523
Dominium primi hominis in creaturas irrationales. 206
Dominium hominis in bestias. 191. 192. 193
Donatismus vetus apertus, & novus occultus. 413
Donatismum fovet vulgus. 476
Donec particula terminum continuum significat. 74
Donum est Christus. 368
Δουλεία, λατρεία, & ὑπερδουλεία non differunt. 135
Dubitatio de gratia Dei. 383

E.

Ecclesiæ in gremio nasci quid sit? 437
Ecclesia quo sensu hæreticis comperat. 498
Ecclesiam Catholicam quam vocent Pontificii. 497
Ecclesiæ nomen, causæ, definitio &c. 497. seqq.
Caput est solus Christus. 125. 522
Ecclesia ex tribus quoque personis constare potest. 510
Ecclesia habet etiam mala membra. 501 508
Ecclesia dogmata fidei condere non potest. 517
Major est verbi ministris. 545
Quâ ratione errare non possit. 514
Quâ ratione errare possit. 513
extra Ecclesiam nemo salvatur. 507
Ecclesiæ notæ. 502
Ecclesiæ autoritas. 504. 518
Testimonium de articulis fidei quale sit? 519
Testimonium de autoritate Scripturæ est primum non primarium. 3
Ecclesia certo loco non est affixa. 510
Veteris Testamenti infantilis fuit. 424
Tempore adventus Christi erat nimis angusta. 509
Fuit ante Lutherum. 526
Quotuplex? 501
Votiva. 508
Visibilis & invisibilis. 508
Ecclesia Gallicana Pontificiis suspecta est & cur? 546
Ecclesiæ actiones sunt in potestate hominum. 183. 184
Effectus an sua causa possit prior esse? 370
Efficacia Scripturæ in conversione. 261
Ἐκπόρευσις Spiritus S. 78
Electio ab reprobatione differt. 168
Electio quid sit? 161
Electionis decretum Christus ingreditur. 189
Electionis objectum nec Angeli sunt, nec Christus. 189
Electio universalis non est. 169. 170
Mutabilis non est. 172. 173
Particularis Calvinianorum & Lutheranorum quomodo differant? 170

Digitized by Google

Electio completa & incompleta. 172
Electi fidem & gratiam amittere possunt. 343. 385
Electi fidem & gratiam amittere non possunt 385
Ἔλεγχος quid sit? 350
Elipandus Toletanus Episcopus Nestorianus. 99
Elisabetha Angliæ Regina dici voluit Ecclesiæ gubernatrix & cur? 568
Emanatio de Spiritu S. dicta quomodo intelligenda? 78
Embryoni an divina Christi natura unita fuisse dici possit? 91. 92
Enoch & Elias an paradiso terrestri inclusi sint? 208
Ἔνωσις vox à Græcis in articulo de Christo usurpata. 98
Ἐνθυσιασμοὶ non sunt media, quibus Deus homines ad salutem vocat. 186
Epicurei notantur. 155
Refutantur ex creaturarum admiranda natura. 125. 126
Ἐπιμέλεια ministris verbi competit. 530
Epiphanias festi origo. 449
Episcopi & presbyteri jure divino non differunt. 40. 540. 550
Episcopi & presbyteri differentia maximam disputationem præbuit in Concilio Tridentino. 552
Episcopus nomen laboris est. 41
Episcopis jure divino nulla jurisdictio competit. 551
Episcopos milites habent Pontificii. 554
Ἐπιταγὴ quid sit? 284
Essentia hominis post lapsum mansit integra. 199
Eteobaptistæ. 449
Ἑτεροδιδασκαλεῖν. 33
Ἑτερούσιον Filium & Spiritum S. à Patre quidam volunt 76
Ἔτι particula non semper incrementa, sed nonnunquam continuationem significat. 356
Evangelium & Lex non sunt eadem. 304
Evangelii nomen, definitio, causæ, &c. 289. seq.
Evangelium olim paucis verbis continebatur. 300
Non est concio pœnitentiæ. 290
Nec præcipit, nec comminatur. 307
Est Concio de Christo. 299
Salvat. 302
Evangelium per novam Legem definiunt Pontifici 422
Quomodo à Socinianis describatur. 292. 411
Idem in Veteri Testamento quod in Novo. 32. 38
Evangelium Nicodemi. 4
Evangelistæ Matthæus & Johannes Apostoli. 5
Marcus & Lucas Apostolorum συνεργοί. ibid.
Eucharistia in ædibus privatis celebrari potest. 418, 419
Eunomii ἀνόμοιοι dicti & cur? 74
Eunuchorum conjugium recentissimè propugnat Gisbertus Voetius, sed contra sectæ suæ Doctoris Bezæ sententiam. 581
Eutychiana hæresis. 39. 98
Exaltatio Christi. 110. 111. 112
Excæcans impios Deus. 249
Excommunicatio. 322. 341, 519
Excommunicatio Major Pontificia. 341
Excommunicationem exitialem habent Anabaptistæ. 342
Exemplar passione suâ reliquit nobis Christus. 359
Exemplum peccati ab Adamo ad nos perveniisse statuebant Pelagiani. 587
Ἐξήρτισθαι in doctrina de Christo quid significet? 81
Exinanitio Christi constitit non in κρύψει, sed κενώσει. 112
Ἔξοδοι in doctrina de Christo quid sint? 81
Exorcismus baptismi. 458
Exotericum docendi genus Scriptura, cum humana membra Deo attribuit, usurpat. 52
Exposititii liberi an baptizandi? 431. 438

F.

Facultates animæ tres statuit Plato. 250
Fanatici Scripturas vilipendunt. 13
Ministris verbi stipendia solvenda esse negant. 27
De Trinitatis mysterio non rectè sentiunt. 75
Fatum Christianum. 142. 143
Felix Urgellorum Episcopus Nestorianus. 99
Fides ad salutarem usum Sacramentorum pertinet. 414. 420. 421
Ad essentiam Sacramentorum non pertinet. 419. 420. 456

Digitized by Google

Fides eſt pars pœnitentiæ. 316
Pœnitentiæ ſaccharum vocatur à Tauleio. 315
Decretum electionis ingreditur. 163. 179
è præteſtinatione fluere à Lutheio dicitur. 168
Quos habeat patres? 316. 348. 349
In quod feriatur objectum? 350
Juſtificat & ſalvat. 374. 180
Non tamen, ut opus. 307. 376. 351
Etiam infima juſtificat. 307. 335
Amitti poteſt ab electis. 321
Eſt una copulativa. 20
Conſideratur, quatenus vel eſt in corde, vel in ore. 334
Sine Bonis Operibus non exiſtit. 374. 375. 394
Elevata Calixti. 377
Quatenus per charitatem eſt efficax juſtificare creditur à Calixtinis. 375
Pontificiorum carbonaria. 456. 348. 249
Vel informis vel formata. 344. 372
Socinianorum & Remonſtrantium. 351
Filius Dei eſt perſona Deitatis. 67
Cur ſecunda perſona. 75
Eſt Angelus increatus in Vet. Teſtamento ſæpius apparens. 67
Eſt poſterior Patre ordine. 75
Cur incarnatus ſit, & non Pater aut Spiritus S. 88
Cum Spiritu Sancto non eſt principiatum Patri. 78
Filio Dei quomodo opus redemptionis competat? 82
Finis ab homine intentus an & quomodo ab hominibus interveni poſſit? 63
Finitum an capax ſit infiniti? 122. 123
Flacii error circa peccatum originis. 227
Flagella Dei quâ ratione Aſſur & Tamerlanes dicantur? 147
Fœdera cum infidelibus Magiſtratus Chriſtianus inire poteſt. 572
Fœdera cum Turcis inita ſibi invicem Galli & Hiſpani objecerunt. 573
Fœminæ non poſſunt fieri miniſtri Eccleſiæ. 532
Fons Sacerdotii Papa dicitur, & cur? 539
Fontis nomine venit textus authenticus. 6
Fontes ſoli in controverſiis fidei ſunt attendendi. 7
Forma primorum hominum fuit elegantiſſima. 204. 205
Formæ quomodo creatæ ſint? 120
Formula baptizandi à veteribus hæreticis uſurpata. 432
Formulæ Eccleſiarum Græcarum in baptizando adhibitæ. 432
Formula Lutheranorum, quâ hoſpitibus ſanctæ Cœnæ corpus & ſanguis Chriſti porrigitur. 473
Formula Calviniſtarum, quâ ad hoſpites ſacræ Cœnæ utuntur. 473
Formulam Confeſſionis præſcribere poteſt ſubditis Magiſtratus. 576
Hoc vero negant Calviniani. 578
Formulam Concordiæ quidam oppugnant. 577
Fortuna an detur in providentia Dei? 155
Fractio panis Sacramentalis quid ſit, & an formam Sacramenti conſtituat. 472. 489 491
Francofurtenſis Synodus à Carolo M. convocata laudatur. 277
Fructus paſſionis etiam ante peractum redemtionis negotium locum habuit. 291
Secus docent Papiſtæ. 371
Fundamento fidei Calviniani & Lutherani non conveniunt. 497
Fundamentum Eccleſiæ eſt Chriſtus. 522

G.

Gebhard Cancellarius Ruthenus & Altenburgicus fuit Chiliaſta. 598
Generatio Filii & proceſſio Spiritus S. differunt. 81
Generatio Filii quid ſit & quomodo fiat? 77. 81
Genitalia homo an ante lapſum habuerit? 192
Geometram agit Deus & natura. 125
Germania de poteſtate Papæ in Principes ſæpè quæſtata fuit. 565
Germania jugo Pontificis quo fundamento eximi poſſit? 567
Gloria ob incarnationis opus Deo debita ad quid referenda. 96
Gloriæ gradus an fideles metiantur? 596
Glorificati corporis proprietates homini integro non competierunt. 198
Glorioſum Chriſti corpus differt à majeſtatico. 60
Gnadenſchänder dicuntur κακόζηλοι. 328
Γνώμη quid ſit? 284
GOtt quid nomen DEI Hebraicum in verſione Lutheri Germanica ſignificet? 48

Gta-

Grabius Joſepus Calvinianus de unctione Chriſti non rectè ſentit. 85
Graduum certorum prohibitio Lutherana à Pontificia toto cœlo diſtat. 584
Græca Verſio nomen Dei יהוה non retinuit, & quare? 45
Græcorum ſententiam de proceſſione Spiritus Sancti quidam molliter exponunt. 80
Gratia Dei quot modis dicatur? 245
Gratia Dei ſignificat ipſius favorem & benevolentiam, non donum ex gratia profectum. 357
Gratia Dei non ſignificat dona gratiæ. 291
Gratia Dei vel commiſerationis eſt vel complacentiæ. 357
Et gratioſa, & gratuita. 357
Non eſt irreſiſtibilis. 186. 246. 247
Eſt univerſalis. 176. 152. 258. 259
Gratia congrua Pontificiorum. 185. 247. 258
Gratia gratis data & gratum faciens. 535. 536
Gynæcobaptiſmus, 418. 419. 429

H.

Hæreſcos non eſt particeps Magiſtratus, ſi hæreticos defendat. 571
Hæretici quinam ſint? 445
Hæretici baptiſmum legitimum habent. 446
Hæretici in Eccleſia ſunt. 447
Hæreticorum defenſionem promittere poteſt Magiſtratus orthodoxus. 171
Hæreticos ſi Magiſtratus recipiat, ſubditi verbis quidem contradicere poſſunt, armis autem reſiſtere nequeunt. 560. 561
Harmonia inter decreta Dei & eorum executionem. 166. 167
Helmſtadienſes verba cantilenæ, doch macht allein der Glaube gerecht, rejecerunt. 375
Helvidius negavit virginitatem Mariæ. 94
Hemerobaptiſtæ. 448
Heibrandus ad Concilium Tridentinum acceſſit, 40
Hierarchici Anglicani 547
Hilarii dictum de ſcrupuloſis majeſtatis divinæ inveſtigatoribus. 52
Hodiè idem ſignificat, ac ab æterno. 68
Homini omnes creaturæ inſerviunt & utiles ſunt. 128
Homo totam legem transgreditur. 221
Honoris divini fundamentum. 121
Hoſtiarum nomine cur panis Euchariſticus veniat? 462
Huberianiſmus. 170
Hubertus Languetus Monarchomachus Auguſto Saxoniæ Electori charus, 561
Humana Chriſti natura ſola paſſa eſt, an dici poſſit? 106
Humana Chriſti natura divinæ nihil dedit. 109
Humana Chriſti natura propriâ ſubſiſtentia caret. 91
Hunnii ſcriptum de exorciſmo abrogando ſuppoſititium. 459
Hydroparaſtatæ. 463
Hypocritam Deum Calviniani faciunt. 179

I.

יה nomen Dei abbreviatum ad incarnationem Chriſti reſpicit. 299
Janſeniſtæ gratiam converſionis irreſiſtibilem ſtatuunt. 187. 246
Ἰατρὸς ἄρις ἀγνὸς, ἄρις θεραπεύει. 316
Iconoclaſtæ. 278
Ἰχθύς. 16
Idola quid Lutheranis, Pontificiis & Græcis dicantur? 277
Idoneitas hominis ad converſionem eſt vel activa, vel paſſiva. 256
יהוה nomen Dei proprium. 44. 45
Jeſu nomen eſt parvum Evangelium, 301
Jeſus eſt nomen filii Dei. 83. 300
Jeſuitæ Socinianizant. 62
Jeſuitarum libri vitæ. 220
Ignis infernalis. 594
Ignorantia quotuplex? 251
Imaginis divinæ nomen, definitio, cauſæ &c. 190
Imago Dei vel ſubſtantialis eſt, vel accidentalis. 191
Imago Dei non fuit hominis ſubſtantia. 190
Imago divina amiſſa naturalibus viribus reſtitui non poteſt. 225
Imaginis divinæ axiomata. 191
Imaginis divinæ amiſſio. 192. 193
Imaginis divinæ reliquiæ. 50. 193
Imagines an in Novo Teſtamento prohibitæ ſint? 277
Immenſitas Dei, quomodo differat ab omnipotentia? 55

Immersio in baptismo an sit necessaria, & qui sic statuant? 428
Immortalitas in integro homine reperiebatur. 201. 202
Immortalitas hominis in statu integritatis & vitæ æternæ differunt. 203
Immortalitas acquiritur per Sacramentum Cœnæ. 494
Immortalitatis Candidatos quis dixerit Antiquitas? 591
Immutabilitas Dei. 57
Impedimenta malorum quotuplicia? 143
Impii in sacra Cœna corpus Christi etiam accipiunt. 493
Impiorum interitus gloriam divinam illustrat, 63
Impletio Legis. 268
Impossibilia naturæ & impossibilia naturâ differunt. 59
Impossibilia sine tyrannide à nobis exigit Deus. 243
Impossibilia jure ab hominibus exigit Lex. 268
Impossibilis impletu quâ ratione dicatur Lex? 268
Impotentia an sit in Deo, non posse peccare, mori, factum infectum reddere. 59
Imputationis vox explicatur. 345
Imputatio justitiæ Christi pertinet ad formam justificationis. 352
Imputationem quam in justificatione Pontificii admittant. 379
Imputationem justitiæ alienæ concedere coguntur Pontificii. 380
Imputativa justitia. 379
In, particula, non instrumentum, sed ordinem agendi denotat. 76
In, cum & sub, particulæ, cur in articulo de Cœna usurpentur? 487
Incantationes non sunt miracula. 135
Incarnatio Christi mysteriorum plena. 95
Incarnationis Christi finis est nostra redemptio. 86
Incarnationis opus, non est opus mixtum, 82
Incredulitas sola damnat. 594
Indignis, si sint indigi, benefaciendum, 401
Individua electio attingit. 172
Inductio Didascalica quid sit? 423
Indulgentiæ papales. 321
Indulgentiariæ Bullæ. 340
Induratio divina. 149
Infantes in utero matris extincti Christo Salvatore gaudent. 92
Infantes Christianorum ante Baptismum sunt extra Ecclesiam. 435
Infantes per baptismum regenerantur. 433. 443. 451
Inferioritas rei à quo dependeat? 546
Infernus. 594
Infernales cruciatus Christus sustinuit. 347
Infideles quà tales Magistratus Christianus bello aggredi non potest. 574
Infidelium convertendorum modus. 575
Infirma fides, 493
Infirmitates hominum ex peccato ortas Christus sustinuit. 106
Inhæsiva justitia. 379
Injuriæ quotuplices, & an vindicandæ? 282
Innocentiâ vitæ coram Deo non justificamur. 346
Institutio rituum & rerum à Deo institutarum ortas de iis controversias decidere debet. 580
Instrumenta sunt nec dispositiva, vel meræ ministerialia. 414
Intentio nec facit integritatem Sacramentorum nec bonum opus, 413. 390
Invisibilis hodiè Christus non est per accidens. 593
Invitatio à vocatione, propriè sic dicta distinguenda. 500
Invitationes tantùm Evangelio competunt. 307
Invitum. 251
Inviti ad ministerium an vocandi & quomodo? 534
Johannes Baptista cur miracula non patraverit? 158
Johannis baptismus idem fuit cum baptismo Christi. 455. 454
Jordanis aqua non solum ad baptizandum apta est. 444
Ironia Deo competit non illusoria, sed objurgatoria, 66
Irresistibilitas gratiæ. 260
Judæi contra gentes infideles pugnando religionem vi non propagabant. 575
Judæi Trinitatem negant. 72
Judæorum divisio Scripturarum. 6
Judæi Christianorum Bibliothecarii, Capsarii, Serinarii. 9
Nobiscum tantum ex V. Test. disputant. 66
Judæorum liberi an baptizandi? 431
Judas an institutioni primæ cœnæ interfuerit? 22

Judicii extremi dies ignoratur. 600
Judicium extremum. 593
Judicia Dei occulta. 150. 151
Judicium aliud προφητικὸν, aliud δοκιμαστικὸν. 25
Judicium decisivum in Concilio Tridentino quorum fuerit? 516
Judicium à posteriori de prædestinatione ferendum. 166
Judices controversiarum Theologicarum supremi & subordinati. 16
Julii III. Papæ impia vox de peccato Adami. 221
Juramenta an licita? 278
Juramenta illicita an servanda? 379
Juramenta per Evangelia præstita. 309
Juramentum religionis justè ab iis, qui officio admoventur, exigitur.. 576
Jurisdictio Ecclesiastica. 539
Juris vocandorum ministrorum exercitium cedi potest alteri. 531
Jus Episcopale à jure patronatus quam maximè differt. 536
Jus in sacras Magistratus adjunctum est. 563. 564
Jus Patronatus. 554. 336
Jus Regis quale sit? 554
Justificationis vox significationem forensem habet. 344 345
Non ergo significat moraliter, quod Juliani volunt. 345
Justificatio à sanctificatione distinguenda est. 356. 357
Hæc duo confundunt Pontificii. 379
Justificationis nomen, definitio, &c. 344
Justificationes in libellis methodicis vulgò constitutæ. 346
Justificario non est ex Lege. 268
Agnoscit formam. 352
Non est infusio justitiæ. 344. 345
Non recipit gradus. 336. 355. 356
Potest amitti. 375
Est eadem in V. & N. Testamento. 369. 423
Statuitur à Pontificiis esse prima & secunda. 344
Justinianus Imperator Aphthartodoceta creditur fuisse. 90
Justinus Martyr. 13
Justitia Dei. 61
Justitia Christi quomodo in articulo de justificatione sumatur? 346
Justitia Christi essentiali non justificamur. 317. 348
Justitiam causæ non personæ quidam Deo opposuerunt. 354
Justitia originalis an donum supernaturale fuerit? 193. 194
Justitia inhæsiva fuisset in homine integro. 209
Post lapsum in hac vita inchoatur, in altera consummatur. 209
Est imperfecta. 253
Quo respectu dicatur inchoata? ibid.

K.

Καισαροπαπία. 522
Κάλυμμα. 18
Κατὰ particulæ usus in tribus communicationis idiomatum generibus. 108
Keckermannus' personas Deitatis modaliter tantùm differre statuit. 73
Ketzer unde descendat? 329
Κλεῖς. 490
Klotzbekehrung. 256
Κριτήρια autoritatis sacrarum literarum. 3

L.

Labilis an conditus fuerit primus homo? 196 197
Laici etiam vocare debent Pastores. 531
Iis id jus Pontificii adimunt. 545
Laici possunt fieri ministri. 553
Baptizare. 429. 439
Sed non administrare cœnam. 496
Lapsis post baptismum patet ad gratiam reditus. 443
Latina V. Testamenti versio Græcam secuta est.
Λατρεία. 135
Legislator novus Christus non fuit. 275. 492
Lensæus armis Ecclesiam à ministris verbi defendendam esse statuit. 555
Lex & Evangelium sibi non contrariantur. 272 301
Lex, ejus nomen, definitio, causæ. 264. seqq.
Lex Forensis. 270. 271
Ceremonialis. ibid.
Moralis. 266
Lex docenda est in Ecclesia. 272
Lex eadem in V. & N. Testamento. 32
Lex etiam ante Mosen fuit. 211
Damnat. 302
Cum ante ignoratur. 311

Digitized by Google

Lex quoad ſummum gradum vi juſſus divini à nobis implenda eſt. 305
Obligat. 563
Leges humanæ obligant conſcientiam. 281
Leges Judaicæ ſunt abrogatæ. 287. 288
Leges ſunt media tranquilla. 563
Lex Evangelica non datur. 308
Lex non vivificat. 27. 264
Libellatici. 329
Liber vitæ quid ſit? 162
Liber gratiæ & gloriæ differunt. 162
Liberi Chriſtianorum ante baptiſmum decedentes ſalvi fieri poſſunt. 437. 447
Libertas Dei. 64
Libertas quotuplex. 243
Libertatem peccandi & non peccandi habuit primus homo. 197
Liberum arbitrium, ejus nomen, definitio, cauſæ, &c. 243. ſeqq.
Libri Bibliei quo ſenſu in Proto-Canonicos & Deutero-Canonicos dividantur? 38
Limbum infantum ex Pelagianorum commento conſtruxerunt Pontificii. 896
Limbus Patrum. 224. 425
Ἀπῶλεια fidei. 317
Lites Pontificiorum. 583
Literæ Scripturarum inhærendum. 28
Λογίζεσθαι. 34. 381
Loca Scripturæ claſſica de Sacramento Cœnæ. 411
Lucas Evangeliſta ordinis tenaciot. 22
Lutheri vocatio. 549
Lutheri officium docendi in Eccleſia & Academia Wittebergenſi aliud fuit ab officio docendi in tota Eccleſia. 541
Lutheri miracula. 159
Lutheri de ſervo arbitrio fati Stoici patrocinium non ſuſcipit. 143. 144
Lutherus in verſione Bibliorum Metaparaphraſten egit. 374
Lutheranæ Eccleſiæ jus vocandi miniſtros denegari non debet. 153
Lutherani Eutychianiſmi poſcuntur. 99
Lutherani Fideiolatri & Opeticidæ vocantur à Pontificiis. 374
Lutherani an ad Cœnam Pontificiorum vel Calvinianorum poſſint accedere. 473
Lux primogenia fuit cauſa diei, antequam Sol crearetur. 19
Lyra Mercurii τριχερσ. 250

M.

Maccabæorum liber tertius accenſetur libris Canonicis & Canonibus Apoſtolicis. 41
Macedoniana hæreſis. 39
Maculiſtæ quinam? 232
Magica vis in verbis conſecrationis non invenitur. 489
Magiſtratus Homonymia, Synonymia, cauſæ &c. 556. ſeqq.
Magiſtratus author eſt Deus. 557
Poteſtas & abſoluta eſt & limitata. 557, 558
Poteſtas etiam Eccleſiaſtica eſt. 558
Diviſio. 563
Magiſtratus non dominatur Eccleſiæ. 521
Eccleſiam protegere & ampliare debet. 521
Magiſtratui gentilium parendum eſt. 282
Subditi in Republica ſimplici armis reſiſtere non poſſunt, benè autem in Republica mixta. 561
Magiſtratui in cauſa Religionis, ſi Respublica eſt mixta, armis reſiſti poteſt. 161
Mahumetes ad ſiniſtram Dei ſedere à Mahumetanis creditur. 116
Major, Georgius. 588
Malefici à carnifice occiſis gratia Dei denegandа non eſt. 328
Mandatum Dei, quo pœnitentiam præcipit, quando ab hominibus obſervandum. 253
Mandatum non ſemper potentiam præſtandi rem mandatam involvit. 252
Manducatio in ſacra Cœna neceſſaria & qualis, & quotuplex ſit? 470. 471
Manducatio ſacramentalis & ſpiritualis differunt. 466
Manichæi. 51
Manichæorum principium malum. 124
Manſuefactio beſtiarum ferocium. 128. 129. 206. 207
Manus Deo adſcriptæ omnipotentiam notant. 53
מסר 8
Maſora unde dicatur? 8
Quid ſit? 8. 9
Quotuplex? 9
Mariæ immaculata conceptio. 36. 232
Maria an ſalvis clauſtris virginalibus pepererit? 93

Μαρτύριον cur Christi passio dicatur? 359
Matrimonium scortationem appellant Hydroparastatæ. 588
Matthæus & Marcus Evangelistæ ὑστερολογίας habent. 23
Medium quid sit? 387
Media salutis an sint Bona Opera? 387
Media salutis cur tàm vilia sint & abjecta? 64
Distinguuntur in ὁρατικὰ καὶ λαπτικά. 257
Media salutis quando Deus decreverit? 167. 168
Mediator noster secundum quam naturam sit Christus? 37. 347. 371. 372
Mendacia. 286
Merces cur vocetur vita æterna? 358
Meritum quid? 331. 386
Meritum congrui & condigni. 332. 403
Meritum Christi universale negant Calviniani. 348
Meritum Christi valet antrorsum & retrorsum. 369
Merito Christi non resurgent impii. 392
Messias cur non statim post lapsum venerit? 370
Μεταβάσεις εἰς ἄλλο γένος committunt Calviniani & Sociniani. 29. 123
Μεθαγγισμὸς in Divinitate non est. 73
Μετάνοια, & μεταμέλεια an differant? 512
Μετεμψύχωσις non datur. 590
Μεθωείζοντες. 166
Militares actus peragere ministris Ecclesiæ non licet. 554
Minima etiam sunt objectum providentiæ divinæ. 125. 241
Minimorum animalium admiranda natura. 124. 125
Ministri verbi, quo intuitu Sacerdotes dicantur? 543
Ministrorum verbi officium. 538. 539
Ministris verbi arces & oppida tuenda tradenda esse, censet Mariana. 555
Ministri vita Sacramento aliquid nec derogat nec addit. 476
Minister Ecclesiæ in castris actus ministeriales exercere potest. 554
Ministri Calviniani pugnant. 555
Ministri verbi munus Ecclesiasticum non possunt deponere. 530
Ministri Ecclesiæ & Scholæ ad subscriptionem Formulæ Concordiæ compelli possunt. 578
Ministri verbi propria bona licitè possident. 541. 542
Ministri mali quomodo à Deo sint? 530
Ministerium Ecclesiasticum quoad nomen, causas, definitionem, qualitatem &c. exponitur. 527. seqq.
à Pontificiis otdo vocatur. 529
Ministerium Ecclesiasticum qui tradit articulus, quomodo creditu sit necessarius. 527
Miracula fidem confirmant. 158
Miracula patrat solus Deus. 157
Non patrant Pontificii. 504. 506
Misericordia Dei quid & quotuplex. 62. 334
משפט significat jus cùm internum tùm externum. 558
Missæ vocabulum unde ortum sit? 461
Missam retinent Protestantes. 461
Missificantes Pontificis notantur. 544
Mittendarii qui dicantur? 528
Mittitur Spiritus à Filio secundum humanam naturam. 80
Modiculum virium humanarum ab Erasmo assertum nullum est. 254. 255
Modus in rebus divinis non potest sciri. 24
Monarchomachi. 561
Monophysitæ. 98
Monstra an baptizari possint? 430
Morale legum ceremonialium hodienum retinetur. 271
Mors. 591
Mors piorum non est pœna. 337
Mors corporalis, non naturæ conditio, peccati pœna est. 201
Mors Christi justitiæ divinæ opponi potest. 62
Negant hoc Jesuitæ quidam & Calviniani. ibid.
Mortis materiale non formale pii sustinent. 202. 203
Mortui non sunt baptizandi, nec pro illis alius. 450
Moribundi cur Eucharistiam accipiant? 494
Mori Christus potuisset, etiamsi Judæi non fuissent. 145. 146
Mortificatio Calvinianis est pars pœnitentiæ. 321
Mos Magnatum, quo de se in numero plurali loquuntur, Deo non competit. 66
Motus concupiscentiæ primi & secundi. 215
מוצאות 81
Multipræsentia humanæ Christi naturæ à quibus fuerit defensa. 486

Digitized by Google

Multitudo imperantium non derogat origini magistratus divinæ. 563
Mundi vox an in Scripturis de electis usurpetur? 19
Mundus cur ita dicatur? 127
In tempore productus qua ratione vocetur? 58
Est τῆς θεογνωσίας παιδευτήριον. 128
Deum repræsentat. 127
Annihilabitur. 592
Interiturus fuisset, etiamsi homo non peccasset. 592
Münzeri votum de Bibliis. 262
Mus de pane consecrato comedens, an corpus Christi devoret? 457
Mutatio in creaturis non involvit mutationem in Deo. 57
Mutatio status animalis in homine integro habuisset locum. 201
Mutatio viventium tempore adventus Christi ad judicium. 201
Mutuum quibus dandum? 402
Mysteria divina humanâ ratione non percipiuntur. 20

N.

Nati nondum non sunt baptizandi. 450
Natura Christi utraque concurrit ad ἀποτέλεσμα. 107
Natura humana Christi vera fuit. 89
Sacramentum Cœnæ instituit. 474
Naturæ in Christo non exæquantur. 87
Naturale corpus omne an sit in loco? 123
An visibile atque palpabile? ibid.
Naturales hominis vires per lapsum sunt imminutæ. 248
Naturalium purorum status non datur. 195. 199
Necessitas baptismi num absoluta sit? 437. 439
Nestorii hæresis. 39. 98. 99
Nicolaus Amsdorffius. 588. 396
Nihil, ex quo omnia condita sunt. 219
Nihilum privativum est materia ex qua resurrectionis mortuorum. 595
Nomen Dei spectatur quoad essentiam & quoad usum. 101
Nomina Dei sunt decem & denominant eum ab esse, præesse, posse & eminentia. 48
Nomina Dei præcipua. 45. seq.
Normam confessionis fidei Magistratus præscribere potest, & non potest. 576
Notitia Dei vel naturalis, vel salvifica. 49
vel simplex, vel practica. 50
Notitia Dei naturalis ad salutem non sufficit 507
Novatiani. 329
Novissima. 589
Novissimi vox pro extremo rectè dicitur. 589
Novissimorum quaternarius numerus accuratius à Gerhardo ponitur, quàm vulgò fieri solet. 589
Novitatis studium Theologo vitandum. 21
Nubere non est à Satana. 588
Numerus electorum certus quidem est, non tamen fatalis. 188. 189
Nummus confessionarius ficitus est. 338
Nundinatores Pontificii taxantur. 358
Nuptias tanquam opus & præceptum Diaboli damnarunt Lucianistæ. 588
Νῦν æternitatis Deo competens. 57
Νῦν vel stans est vel fluens. ibid.

O.

Ob, particula, in phrasi orthodoxorum, ob fidem justificationem habemus, pro per ponitur. 376
Obedientia Christi activa justificationem nostram ingreditur. 274. 348
Obedientia perfecta à Lege exigitur. 273
Obedientiam Legi præstitam Evangelium offert. 273
Obex malitiosus & naturalis. 258
Oblata cur panes Eucharistici appellentur? 463
Obligatio Legis ante & post lapsum obtinet. 774
Occulta Dei non sunt investiganda. 365
Ὀχήματα corporis & sanguinis Christi sunt panis & vinum, & quomodo hoc intelligendum? 483
Oculi Deo tributi notant omnipræsentiam. 53
Officia Christi. 474
Omnipotentia Dei. 59
Omnipræsentia Dei attributum κίτικόν. 55
Omnipræsentiæ divinæ modus. 56
Omnipræsentia Dei ad cloacas, canibaros & patibula an se extendat. ibid.
Omnipræsentia corporis Christi. 467
Omnipræsentiam carnis Christi cur negaverint Pontificii? 505.
Omniscientia Dei. 43

Ὁμοιο-

Ὁμοιούσιος Patri Filius non est. 39. 73
Ὁμοούσιος Patri Filius est. 73. 39
Opus operatum & operantis Pontificiorum. 421. 422
Opus operatum in baptismo non salvat. 456
Opera Deitatis vel sunt ad intra, vel ad extra, vel interna. 78. 82
Opera bona gentilium non placent Deo. 392
Sunt splendida peccata 393
Opera bona hominum & eorum causæ. 386. 388
Quæ verò dicenda sint bona? 331. 395
Unde oriantur? 493
Licet ab hominibus peragantur, non tamen sunt hominum, sed Dei. 254
Formam habent duplicem. 388
Decretum prædestinationis non ingrediuntur. 181
Non placant Deum, nec salvant. 393. 403
Non præceduntjustificandum, sed sequuntur justificatum. 391
Necessaria ad salutem non sunt. 388. seq. 392
Deo placent propter fidem. 392
Sanguine Christi tincta esse non sunt dicenda 396
Impura sunt, licet à Spiritu S. proficiscantur. 393
Opera vel externa sunt vel interna. 78
Ὀψώνιον quid sit? 590
Oratio remissionem peccatorum petens quid sit? 241
Oratio pro peccato in Spiritum Sanctum. 241
Ordinationis jus. 534. 535
Ordinatio Pontificiis Sacramentum est. 408
Ordinatio malarum voluntatum quid Lutheranis? 145
Quid Calvinianis? ibid.
Ordo personarum Deitatis. 75
Ordo Papistis significat Clerum. 529
Ordines accipere quid? 529
Ordines qui sint? 529
Ordinis vox plebi quoque tribuitur. 529
Ordines ministrorum, quos Papistæ habent, jure divino non nituntur. 540
Ordo inter ministros Ecclesiæ datur. 529
Ordo in administrandis Sacramentis an semper retineri debeat? 418
Ordo rem facit facilem. 1
Ordo tractandæ Theologiæ quisnam sit & quotuplex? 1, 2
Organum quid sit? 386
Organa salutis δοτικὰ καὶ λητικά. 183. 386
Orientales Ecclesiæ utramque speciem in sacra Cœna simul porrigentes errant. 481
Origenis sectatores Diabolus ex inferno redemptum iri crediderunt. 90
Os Deo adscriptum quid notet. 55
Osiandrismus. 371. 348
Osiander, Andreas, statuit, Christum in carnem venturum fuisse, licet homo non peccasset. 86
Osnabrugensem pacem ex qua causa publicis Scriptis quidam Pontificii Imperatori dissuaserint. 570
Osnabrugensem pacem defendit Dorscheus, & Caramuel Pontificius, licet posterior parum candidè. 571

P.

Pactum Legale & Evangelicum. 294. seqq.
Pædagogicæ actiones non sunt dispositiones ad gratiam. 313
Pædagogus ad Christum Lex moralis & ceremonis diverso modo dicuntur. 269
Pædobaptismus. 439
Paganorum liberi quando baptizandi? 436
Papa non habet vocationem. 554
Quæ habere possit feuda. 564
Non habet potestatem in Respublicas & Magistratus, nec hos constituere potest. 557. 564
Papatus ante Lutherum habuit fideles. 509. 526
Papilio Divinitatis scrutatorum emblema. 52
Parabolæ quomodo exponendæ? 31
Paradisus terrestris. 207
Παράπλωμα. 211
Particulæ restrictivæ quomodo usurpentur in propositionibus idiomaticis. 108
Particulares Ecclesiæ errant. 521
Pasoris Lexicon corrigitur. 175
Passio Christi fuit vicaria. 359
Passionis Dominicæ fructus non demum post verbum prolatum, Consummatum est, cœpit. 422
Pastor secundum quid sit sanctificatus? 546
Pater prima persona est, & cur? 75
à nemine cur mittatur? 79
Patri cur tribuatur creatio? 82
Patres Vet. Testamenti polygami quomodo defendantur? 583

Patres ante motas controversias securius loeuti sunt. 98
Respuuntur à Socinianis. 38
Pro principio fidei & recipiuntur & non recipiuntur à Pontificiis. 36
Patriarcha Galliæ contra Papam constituendus aliquando fuit. 547
Patrini non credunt pro infantibus. 451
Paulus Evangelium proprium non scripsit. 309
Peccata an à voluntate Dei pendeant? 266
Non solùm fiunt contra voluntatem Dei. 61
Habent formale duplex. 381. 452
Sunt infinita. 220
Admittunt gradus. 238
Quos agnoscant fines? 143
Quæ Spiritum S. excutiant? 26
Quomodo in baptismo tollantur. 452
Quomodo in justificatione removeantur? 382
Quà varietate in vita hac ab homine amoveantur? 239. 382. 452
Cur non penitus in hac vita tollantur? 64. 235 236
Nulla sua natura venialia sunt, licet omnia venialia statuant Calviniani. 216. 217
Omnia merito Christi sunt venialia. 236
Omnia natura sua sunt mortalia. 236
Nulla in homine integro habuerunt locum. 195
Imputata fuerunt Christo. 347. 380
Remissa novitet peccantibus iterum imputantur. 326
Peccatum originale datur. 221. 222
Non est ipsa hominis substantia. 227
Non est carentia justitiæ supernaturalis. 460
Est pessima macula & malum culpæ. 214
Cur à Concilio Tridentino non fuerit definitum? 214
Per nativitatem propagatum conjugium non facit impurum. 586
Quotuplex? 213
Peccatum in Spiritum S. est irremissibile. 217. 218. 240. 241. 242
Peccatum mortale & peccatum ad mortem differunt. 236
Peccatum actuale quomodo dividatur? 215
Peccatilla Pontificiorum. 216. 220
Peccata peccatis punire quomodo Deus pethibeatur? 449
Peccatorum omnium enumerationem in Confessione Pontificii exigunt. 319
Pedes Deo tributi quid notent. 53
Pentateuchus Mosaica per accessionem novorum laborum non fuit perfectior redditus. 33
Per, præpositio, non instrumentum sed ordinem agendi notat. 69. 76
Perfectio Scripturæ. 31
Perfectionarii se pœnitentia non egere putant. 327
Περιχώρησις duplex, essentialis & personalis. 73
Περικτῶς & περικτικῶς quomodo differant? 56
Περιποιεῖν. 35. 368
Perjurus non fuit Lutherus, quando diversa docuit à Papæ dogmatibus. 550
Permanentia entia. 58
Petmissio peccati non est notitia peccati. 248
Permissio malorum Dei non est otiosa. 144. 149
Permissio mali quando licitè fieri possit? 559
Permissio peccatorum divina quid sit juxta Calvinianos? 145
Permissione peccatorum Deus peccata punit. 146. 147
Person a Deitatis secunda Arrianis est creaturarum prima. 72
Personæ tres in Deitate probantur. 75. seqq.
ab essentia divina differunt λόγῳ. 73
Personales prædicationes idiomaticas includunt. 103
Petra non Petrus fuit id, super quod Ecclesia fuit structa. 524. 525
Petrus non fuit Episcopus Romanus. 225
Ubi Evangelium prædicaverit? 525
Petrus Suavis per anagramma quomodo dicatur? 552
Φιλαυτία. 400
Φυσόω. 79
Pingitur Trinitas aliter à Græcis, aliter à Latinis. 179
Pistorius negavit, hæreticos in Ecclesia esse. 447
Πνεῦμα unde derivetur? 79
Πνέω. ibid.
Pœna damni & sensus erit in inferno. 594
Pœnæ remedia sunt violenta. 563
Pœnæ infernales quomodo à Pontificiis distinguantur? 441

Digitized by Google

Pœnæ infernales habent gradus. 238
Pœnitentia Deo in Scripturis attribuitur & denegatur. 62.63
Pœnitentia quoad Etymologiam, Homonymiam, definitionem, causas &c. proponitur. 312. seqq.
Tabula naufragi secunda non est. 323
Vel μερικῶς, vel ὁλικῶς accipitur. 312
Est exercitium baptismi. 459
Non est Sacramentum. 330
Quotidie agenda est piis. 326
Non est differenda. 328
Paulò ante finem vitæ actu vera est. 327
Quot habeat partes apud Pontificios? 318
Quot habeat partes apud Calvinianos? 321
Socinianis est nova obedientia. 321
Politia non tollitur ab Ecclesia. 556
Politici Lutherani circa jus vocandi verbi ministros errantes. 545
Polygamia Patrum V. T. 287
Polygamia rejicitur. 582
Polygamiæ prohibitionis origo & antiquitas. 582, 583
Polygamiæ faventes vel repugnantes sententiæ trium sunt classium. 582. seqq.
Polygamiam probat Ochinus. 583
Polygamiam in N. Test. tantùm prohibitam esse censet Grotius. ibid.
Pondere Deus omnia fecit. 126
Pontifeis Romani principatus Ecclesiasticus. 564
Principatus secularis. 564
Interpretatio sacrarum literarum est privata. 16
Pontifici juramento Doctorali nihil promisit Lutherus. 550
Pontificum lites. 503
Pontificia Ecclesia est erronea. 512. 513
Pontificii Scripturæ contradictiones tribuunt. 17
Sunt Nestoriani. 98
Porci, quibus margaritæ non projiciendæ, quinam sint? 495
Πῶς admirantis particula. 24
Post Evangelium quid sit? 303
Positivum quid an sit peccatum originis? 228. 229
Possessio regionum, quas Papa in Italia & Gallia habet, in foro soli, non poli, defendi potest. 566
Potentia Dei absoluta est & ordinata. 122
Ordinaria non tollit absolutam. ibid.
Potentia activa & passiva. 59
Potestas Ecclesiastica vel externa est, vel interna. 567
Quibus competat? 547
Pro primo & immediato subjecto juxta Pontificios agnoscit Papam. 546
Monarchica statuitur à Papistis. 546
Immediatè confertur à Deo verbi ministris à statibus electis 544. 545
An Ecclesiæ insit inhæsivè. 544
Potestas ordinis & jurisdictionis distincta sunt. 551
Potestas Magistratus in Ecclesiam nec politica est, nec œconomica, sed Ecclesiastica externa. 567
Potestatem Papæ generalem impugnavit Gallia. 565
Ποτηριοκλεψία Pontificiorum unde orta? 471. 482
Præ-Adamitæ. 210
Præcepti noni & decimi differentia. 234. 268
Prædestinatio reprobationem non includit. 261 169
Prædestinatio est particularis & respicit individua. 163
Prædeterminantes Dominicani. 247
Prædicatio verbi ministris competens in quo consistat. 538
Prædicatio vel Synonymica est vel Paronymica. 101
Prædicationes personales an intisitatæ? 100
Prædicationes de Christo in Scripturis occurrentes quotupliees. 103
Præexistentiam animarum recentissime Henricus Morus adstruxit, qui refutatur. 597. 598
Præ-Existentiam animarum non probat existentia earum post solutionem à corpore. 596
Præscientia Dei ex electionis decreto tolli non debet. 171
Rebus necessitatem non imponit. 151. 152. 154
Præsentatio Candidati ministerii patrono competit. 336. 337
Præsentia humanæ Christi naturæ generalis 486
Est intima & extima. 113
Præsentia carnis Christi in Cœna à patribus credita est. 468

Modus ignoratur. 485
Fundamentum offenditur. 485
Præveniens gratia. 257
Presbyter est nomen ætatis. 41
Presbyteri an ab Episcopis differant? 40
Πρεσβυτέριον à πρεσβυτερεύω distinctum est. 528
Primatus ordinis non potestatis datur in Ecclesiis. 524
Primatus Papæ in Ecclesia non est tolerandus. 523
Primitas in Divinitate est vel essentialis, vel personalis. 75
Principes ἀνυπεύθυνοι quarum legum intuitu dicantur? 557
Principium fidei primarium & secundarium faciunt Novatores. 38
Principium Theologiæ est vel essendi, vel cognoscendi. 2
Privata non privati opinio rejicitur. 459. 516
Προαίρεσις quid? 459. 251
Processio Spiritus S. malè per missionem describitur. 78
Quomodo à Græcis concedatur? 78. 79
Quâ ratione fiat? 77. 81
Pro-Evangelium quid sit? 303
Promissiones Evangelii sunt universales. 310
Promissiones Legis & Evangelii conditionatæ sunt. 292
Propheta quis dicatur? 16
Propositiones idiomaticæ quotuplices? 104
Reales & usuales differunt. 463
Propositum emendandi vitam quâ ratione pars pœnitentiæ dici possit? 313
Propria possunt communicari. 122
Proprietates divinæ naturæ juxta Lutheranos, proprietates humanæ Christi naturę non fiunt. 109
Προσδαπανᾶν. 31
Proselyti quotuplices? 178. 500
Protoplasti, si in statu integritatis mansissent, per opera justificati fuissent. 357
Providentiæ & præscientiæ divinæ differentia. 141
Providentiæ divinæ existentia, definitio, causæ &c. 140. seqq.
Psalmi pro Hagiographis ponuntur syncedochicè. 5
Puerilismus. 507
Puellæ non circumcisæ in V. T. non sunt damnandæ. 441
Puelli in V. T. ante diem octavum non circumcisi extincti, non fuerunt damnati. 441. 442
Pugna appetitus sensitivi & rectæ rationis. 250
Non est σαρκοπνευματομαχία. 235
Pugna carnis & Spiritus. 235
Puniendi jus soli Magistratui competit. 562
Purgatorium ex Poetarum, Platonis & Origenis somniis à Pontificiis constructum fuit. 596
Stabilitur dubitatione de gratia Dei. 383
A quonam Concilio fuerit firmatum. 515
Rejicitur. 601

Q.

Quæstionum multarum ratio voluntas Dei statuenda est. 64
Quomodistæ. 12. 81. 485

R.

Rabbini Veteres τρισάγιον de SS. Trinitate exponunt. 68
Radicem fidei infantibus tribuunt Calviniani. 451
Radios de se primi parentes sparserunt. 205
Radios inhabitantis majestatis Christus in statu exinanitionis exeruit. 112
Rathmannus. 261
Ratio certa & ejus officium. 249. 250
Humana in articulo de Cœna non est audienda. 484. 485
Rationem principium fidei faciunt Calviniani. 11
Rationis usus in Theologia. 11
Rationalistæ. 60. 65. 123
Rebellionem in solium Petri vocat Perronius Cardinalis, negare velle potestatem Romani Pontificis. 565
Reciprocatio in tertio genere communicationis idiomatum locum non habet. 109
Redemtio quomodo Patri & Spiritui S. sit adscribenda? 82
Redemtor catholicus est Christus. 175
Regale Magistratus est, dirigere exercitium Religionis. 567
Regeneratio. 379
A renovatione quomodo differat? 432
In hac vita non ὁλικῶς, sed μερικῶς peragitur. 244

Digitized by Google

Regimen Ecclesiæ visibile Aristocraticum est. 523
Relationes. 381
Religio voluntatia est, nemoque adeò ad eam cogi potest. 574. 575
Falsa an admitti possit à Magistratu? 559
Religionis diversæ Sacramento Cœnæ orthodoxus non debet uti? 496
Remissio peccatorum juxta Pontificios est delectio, vel expulsio peccatorum. 382
Remittendi peccata potestas non fuit privilegium personale. 337
Non solo Pontifici competit. 337
Remonstrantes quale principium fidei habeant? 16
Remotio ministrorum verbi. 538
Repudium Israelitis permisit, non mandavit. 585
Resurrectio mortuorum ex natura non constat. 592
Retorsiones sunt illicitæ. 283. 400
Revelata non sunt omnia viventibus adhuc in mundo. 187
Ῥητὸν in verbis cœnæ est retinendum. 479
Ruteni à Pontificiis Religionem acceperunt. 137

S.

Sabbathum S. an sit servandum? 280
Transfertur à feria septima in primam. 280
Anglis dimidium tantùm est. 281
Socinianorum & Anabaptistarum. 281
Sabellius personas Trinitatis χέσει tantùm differre licuit. 51. 71. 72. 73
Sacerdotes non sunt in Novo Testamento. 542
Sacerdotes pontificiorum non habent vocationem. 554
שד nomen Dei. 48
Sacramenta quot modis dicantur? 405
A quo possint institui? 412. 405
Quæ requisita ad sui constitutionem requirant? 330
Quam agnoscant materiam? 406
Sunt sigilla gratiæ. 419
Novi Testamenti φυσικῶν insitam gratiam non habent. 422
Quot sint? 407
Veteris & Novi Testam. quomodo differant & conveniant? 415. 416. 29
Sacramentorum septem reliquias apud Lutheranos spirat formula jurandi per septem Sacramenta. 330
Sacrificium & Sacramentum differunt. 405
Sacrificium incruentum est σιδηρόξυλον. 462
Sacrificiorum quot dentur species? 542
Sactificia quando vel ad Legem, vel ad Evangelium pertineant. 269
Fuerunt gratiæ applicandæ media. 470
Propitiatoria V. Test. qualia fuerint? 542
Propitiatoria in N. Test. non dantur. 542
Eucharistica in N. Test. inveniuntur. 543
Sacrificium ex Cœna faciunt Pontificii. 472
Sacrificium Cœnam dicit Apologia Augustanæ Confessionis. 543
Sadducæi negant resurrectionem mortuorum. 34
Recipiunt tantùm Pentateuchum. ibid.
Salarium verbi ministris accipere licet. 542
Salvator & Servator differunt. 84
Sanctitas quo sensu nobis dicatur imputari? 356
Sanctitas imputata competit Ecclesiæ. 519. 520
Sanctitas alia est spiritualis, alia fœderalis, alia Ecclesiastica. 436
Sandzehlen quid vocavetit Lutherus? 320
Σαρκοφαγικὴ Θμαχία. 235
Satisfactionis vox. 35
Satisfactionis vocabulum & res an in Scripturis extet? 359
Satisfactio Christi. 62
A papistis non parum labefactatur. 347
A Socinianis impugnatur. 346
Qualis à Socinianis admittatur? 368
Satisfactio pro peccatis debebat esse infinita. 220
Satisfactiones deprecatorias admittunt Lutherani. 340
Satisfactio humana est pars pœnitentiæ apud pontificios. 320
שד mamma pro abundantia. 48
שלחים 528
שם pro nomine DEI Jehova ponunt Judæi. 45
Schematici. 24. 90
Schisma an Lutherani fecerint? 527
Scholastici corpus Christi mediante anima τῷ λόγῳ unitum esse docent. 97
Schraderus, Heinricus, non rectè sentit de notitia De naturali, ἐμφύτῳ. 50

Digitized by Google

Scientia Dei quotuplex? 151. 152
Media. 152. 153
Schwenckfeldiani Eutychianismo infecti sunt. 99
Scriptores θεόπνευστοι non semper ut θεόπνευστοι scripserunt. 32
Scriptura sacra in Systemate Theologico præmittenda est doctrinæ de Deo. 2
Est principium ἀναπόδεικτον. 3
Cur non statim post πρωτευαγγέλιον fuerit conscripta? 4
Definitur. 3
Explicatur ab Homonymia, causa efficiente, materia, forma, fine. 4. 5
Necessaria fuit necessitate expedientiæ. 6
Comparatur cum mari. 10
Lectorem nunquam à se inanem dimittit. 10
Legi à Laicis apud Pontificios non debet. 20
Est perspicua. 11 12
Sibi non contrariatur. 23. 24
Scipsam dupliciter explicat. 15
Dictum nullum habet, a quo non pendeant doctrinarum montes. 12
Scrutinium Dei extra Scripturas interdictum est, & quinam ei operam dederint? 51
Sedere & sedere ad dextram Dei differunt. 115
Sensus in Scripturam quomodo inferatur? 20
Sensus Scripturæ quotuplex ex sententia Pontificiorum? 24
Literalis & mysticus. 25. 27
Literalis solus argumenta suppeditat. 20
Qua ratione indagetur. 20
Servum arbitrium. 243
Sextiduum creationis in oculis Dei momentum fuit. 57
Sextiduum creationis non respectu Dei, sed respectu creaturarum dicitur. 118
Sicut particula, non ταυτότητα, sed ὁμοιότητα significat. 378
Signa qualia Sacramenta sint? 427
Simonides Ethnicus Deum investigat. 55
Simplicitas Dei. 55
Συλλοχαρδίαν quid vocet Salvator? 287
Sociniani sunt Quomodistæ. 14
Nihil credunt, nisi quod ratione sua penetrare queunt. 24
Quale habeant principium fidei? 16
Torquent Scripturas. 19
Dictorum Scripturæ ῥητὸν deferendum esse censent. 30
Non admittunt articulos fidei, qui per consequentiam ex Scripturis eruuntur. 35
Deitatem Filii & Spiritus S. negant. 49
Negant notitiam Dei naturalem. ibid.
Deum justitiam & misericordiam essentialem, futurorum contingentium scientiam habere & omnipotentem esse negant. 54. 55. 59. 60
Satisfactionem Christi negant, & in vicem ejus acceptillationem substituunt. 62
Christum ex necessitate mortuum esse docent. 107
Socinianus, si in nomine Patris, Filii & Spiritus S. baptizet, rectè baptizat, etiamsi falsam de Deitate Filii & Spiritus Sancti sententiam fovear. 446
Socius Ecclesiæ specialis est, qui ejus symbola accipit 577
Solenniter conjugium debet contrahi. 585
Species monadica quid sit? 219
Species mixtas an Deus creaverit? 117
Speculationes cœcæ rationis non audiendæ. 466
Spes & fides differunt 349
Spinæi Tractatus de consolandis ægrotis taxatur. 53
Spiritus S. est Deus. 68
Est persona, & cur tertia? 70. 75
A Christo secundum humanam naturam num procedat? 80
A donis suis distinctus est. 71
Cur septiformis? 75
Regit Ecclesiam. 70
Adorari debet. 70
Regenerationis, renovationis & conversionis nostræ autor est & causa. 70. 82. 240
Spiritualis manducatio in sacra Cœna, & errores circa eam. 491
Spiritualium rerum non datur liberum arbitrium. 184. 245. 248
Σπλάγχνα ἐλέους Deo adscripta. 53
Spontaneum. 251
Spühlteich Pontificiorum. 488
Spuriorum patrum characteres. 41
Stancarismus. 71
Status hominis quotuplices. 190. 244
Status reparationis plura bona hominibus conferet, quam status integritatis contulisset. 209

Digitized by Google

Status nullus juri vocandorum verbi ministrorum renunciare potest. 531
Sterilium conjugium conjugio Eunuchorum non est comparandum. 582
Stigelii Victorini error, & ex errore in errorem lapsus. 21
Subjectum & principia conversionis sunt distinguenda. 256
Subordinatio ministrorum verbi. 539
Subsidia contra Christianum Principem an ab infideli Magistratus Christianus petere possit? 573
Successio localis non est nota Ecclesiæ. 511
Successio non personarum sed doctrinæ attendenda est. 511
Successiva entia. 58
Supererogationis opera. 305
Superintendentes. 538
Superioritatem Papæ in Siciliam Cardinalis Columna impugnavit. 566
Syllogismi practici. 330
Syllogismus Lutheranorum quem à requisitis verorum Sacramentorum, ad refutanda spuria Pontificiorum Sacramenta nectunt, est legitima. 579
Symboli Athanasiani præfationem non esse superbam, contra Remonstrantes asseritur. 71
Symbola corporis & sanguinis Christi reverenter tractanda. 470
Συγκατάβασις Dei cum hominibus. 52. 53
Syncretistæ vocari possunt Nicolaitani. 30
Repudiant terminos Ecclesiasticos & scholasticos in Theologia & cur? ibid.
Συνεκτῶς & συνεκτικῶς quomodo differant? 56
Synergismus crassus & subtilis. 252. 254. 257
Συνθήκη quid? 294

T.

Tabulam, in qua nihil actu scriptum est, intellectum humanum vocat Philosophus. 248. 249
Θαυμάσια & θαύματα differunt. 157
Taxa pœnitentiaria Papalis. 338
Temperamentum justitiæ & misericordiæ Dei in opere redemtionis. 61. 182
Templa an in Novo Testamento sint necessaria? 277. 278
Tempus quid sit? 58
Tempus infantibus baptizandis quodnam sit aptum? 440
Termini Ecclesiastici & Scholastici an in Theologia ferendi? 34
Terminus vitæ. 159. 160
Terra hominis materia. 200
Testamentum V. & N. quid sint & quot modis dicantur? 294. 295. 296. 297
Testamentum Vet. cur Ebraicâ & Novum Græcâ scriptum sit? 7
Testamenta duo cur Deus post lapsum cum hominibus fecerit? 298
Testamentaria verba hostes non admittunt. 479
Textus Vet. Testam. propter Masoram corrumpi non potuit. 9
Theodorerus primus processionem Spiritus S. à Filio negavit. 79
Θεοκρατία spuria est in Papatu. 564
Theologia est practica. 398
Theopaschitæ. 98
Θεόπνευστα sunt vel ἄμεσα vel ἔμμεσα. 37
Thomistæ quinam sint? 466. 11. 485
תורה quid significet? 264
Thronus Dei & thronus Christi differunt. 115
Thurificati qui fuerint? 329
Σ odtenpfeiffer Pontificios dixit Lutherus. 329
Torquere Scripturas quid? 18
Τραχηλίζομαι. 43
Traditores qui fuerint? 319
Traditiones quænam rejiciantur, & quæ non? 35
Trahere homines ad salutem quomodo Deus dicatur? 135
Transsubstantiatio. 481
Transsubstantiationem rei cœlestis in terrestrem in baptismo Pontificii credunt. 459
Tridentinum Concilium. 515. 516
Trinitas personarum divinarum probatur. 65. seqq.
An Patribus V. T. cognita fuerit? 65. seqq.
Τριτάριον Anglicum. 67
Tropus omnis an à verbis Cœnæ exulet? 478. 479
Trunco an similis sit homo in conversione sua? 256
Tubingenses exinanitionem Christi in κρύψει constituisse docent. 113
Turcæ ad generationem æternam Filii Dei a Patre, matrem & fœminam tanquam causas socias requirunt 77

77 Tur-

Turcarum liberi an baptizandi 431
Turcarum Sabbathum. 281
Turcæ Trinitatem negant. 72
Typi quid sint & quotuplices? 27

V.

Velle hominis ad conversionem non sufficit. 255
Verbum apud Hebræos idem significat ac rem. 59
Verbum abbreviatum dicitur Filius Dei incarnatus & cur? 298
Verbum Dei est vel ἔγγραφον, vel ἄγραφον, non juxta Pontificios solum; sed Lutheranos etiam. 33. 4
Verbum in doctrina Sacramentorum duplex est, institutionis & promissionis. 406
Verbum Dei an sit controversiarum judex? 15
Verbum fidei & legis quomodo ad conversionem hominis concurrat? 258
Veritas quotuplex? 286
Vermes an à Deo conditi? 117
Versiones Veteris Testamenti. 6
Versio vulgata à Pontificiis pro authentica habetur. 7
Vestis alba, quâ baptizati solent indui. 453
Verus testamentum quid significet? 265. 410
Vis eminentiæ cognoscendi Deum. 54
Vicariatus Pontificis. 522
Vicarios in officio Sacerdotali Christus non admittit. 544
Victus splendor Magistratus adjunctum est. 563
Vindicta datur licita & illicita. 282
Virginitas in quo consistat? 93
Virginitas Mariæ probatur? 94
Visa in divinis quoque plus valent, quam audita. 409
Visibilis erit Christus in die extremo non necessariò, sed ex sola dispositione divina. 593
Visio beatifica Dei an oculis corporis fieri in altera vita possit? 595
Vita Christi est nobis exemplar. 399
Vita æterna. 595
Vita ministri non facit ad essentiam Sacramentorum. 412. seqq.
Vitia piorum cur in Scripturis proponantur? 13
Vivi tantùm homines, & qui extra uterum maternum sunt, baptizari debent. 430
Vivificatio Calviniana est pars pœnitentiæ. 321
Ultima tempora miserrima. 598
Umbræ Sacramentorum V. Testamenti. 416
Unctio Christi. 85
Unio Sacramentalis qualis sit? 483
Unio Sacramentalis quando fiat? 469 482. 485
Unitio, unio & unitas in articulo de Christo differunt. 97
Unio in persona Christi duplex, naturalis & personalis. 96
Unio quæ soluta fuerit in morte Christi? 96. 480. 482
Uniones à quo denominentur? 83
Unitas essentiæ divinæ probatur. 68. 65
Unum duntaxat communicationis idiomatum genus faciunt Scholastici, pontificii & Calviniani. 105
Vocales Ebræorum non sunt recens inventum Judæorum. 7
Vocatio Dei ad Ecclesiam est universalis. 177. 499
Quoties solenniter in toto mundo facta sit? 177
Duplex ab Amyraldo statuitur. 500
Vocatio ministrorum verbi. 533
In ministro necessaria est. 527
à convertendo sciri non debet. 527
pro causa efficiente agnoscit Deum. 530
Pertinet ad officium Christi regium. 530
Vel mediata est, vel immediata. 513
Quâ ministri Lutherani vocantur, legitima est. 552
Ecclesiam non facit superiorem ministris vocatis. 545. 546
Rejicitur à fanaticis. 545
Vocationis per casus obliquos impetratæ qualitas. 534
Vocationis legitimæ necessitas ordinaria est. 548
Vogt unde dicatur? 537
Voluntas divina signi & beneplaciti, quid sit ex mente Calvinianorum? 43. 179
Est vel Legalis vel Evangelica. 5
Absoluta & abscondita differunt. 138
Antecedens & consequens. 162
Modificata. 61
Impletur semper vel à nobis, vel de nobis. 63
Est factorum ratio. 64
Vorstiani. 52. 56. 57. 59
Usuræ an licitæ? 284. 285
à quibus accipiendæ? 402

Usus facit Sacramentum. 417
Usus Sacramentorum qui sit & quotuplex? 417
Usus legis triplex. 269
Vulnera Christi prædestinationem ingrediuntur. 174
Οὐδέτερος non est homo. 249

VV.

Wicleffi sententia de creatione. 120

Υ.

Ὑπερβολὴ. 235
Ὑπομονὴ quot modis sumatur? 180
Ὑπερολογία Scripturæ. 22. 23

Z.

Zanchii de corporeitate Angelorum sententia. 132
צבא 48
צבאות nomen Dei. ibid.
Zwinglii conscientia errans, qua statuebat, se pugnare debere cum militibus. 354

FINIS.

Pr. 4 (1890